The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

The Ontario
Agricultural College
LIBRARY
Guelph, Ont.

SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM

SECUNDUM

MATTHAEUM,

ADDITIS UBIQUE LOCIS PARALLELIS ALIORUM EVANGELISTARUM,

AMPLO COMMENTARIO,

WITHDRAWN

tum morali et homilitico ex ss. Patribus, quum literali et exegetico ex auctoribus nostrae aetatis,

ILLUSTRAVIT

J.-A. VAN STEENKISTE

Canonicus hon. eccl. cathedr. Brug., s. Theol. Lic. in Univ. Cath. Lovan., et per viginti annos s. Script. prof. in Semin. Brugensi; nunc Pastor-Decanus eccl. B. M. Virg. Brugis.

« Os Christi Evangelium est : in coelo sedet, « sed in terra loqui non cessat. »
S. Aug., *Serm. 85* (ed. Migne).

« Multis certe haec facilia videntur esse... : « verum ita existimant ii qui sententiarum ibi « reconditarum profunditatem ignorant. »
S. Chrys., *Hom. 1 in Matth.*

« In Evangelicis sermonibus semper literae « junctus est spiritus ; et quidquid primo fri- « gere videtur aspectu, si tetigeris, calet. »
S. Hier., *in Matth. 14, 14.*

EX LIBRIS PROVINCIAE
PRO STUDIO THEOL.
S. S. CORDIS JESU.

QUARTA EDITIO,

DILIGENTISSIME RECOGNITA, HAUD PARUM ADAUCTA, ET QUASI TOTA TRANSFORMATA.

Quintum et sextum milliarium.

CUM TABULA GEOGRAPHICA.

TOMUS II.

BRUGIS

APUD C. BEYAERT, BIBLIOPOLAM

1903

225.6
S814s
v.2

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

S 814 a
v. 2
I 9 12763

SECTIO 3ª.

POSTREMUM ITER HIEROSOLYMAM; INGRESSUS TRIUMPHALIS; CAETERA USQUE AD BIDUUM ANTE PASSIONEM: XIX-XXV.

P. I. ITER ULTIMUM AD URBEM: XIX et XX.

Jam ad finem vergit vita Jesu mortalis: ipse nunc Galilaeam, quae hactenus praecipua actionum ejus fuit sedes, in perpetuum relinquit; atque Judaeam, ubi mox moriturus est, intrepide petit; tamquam dux fortissimus praeit, sequuntur discipuli, ast attoniti et timentes (Mc. 10, 32; cf. ad M. 20, 17); pro more turbae multae ipsos comitantur (M. 19, 2). Omnia autem et singula, quae in itinere illo evenerunt secundum ordinem temporis, videsis in *Tabula synoptica* ad calcem hujus operis. Ea vero, quae narrat M., in octo sequentibus paragraphis explicabimus.

§ 1. JESUS PROFICISCITUR IN JUDAEAM: 19, 1, 2.

Praeced. vide ante q. 522.
M. 19, 1. Et factum est, cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilaea, et venit in fines Judaeae trans Jordanem: 2 et secutae sunt eum turbae multae, et curavit eos ibi. 3 Et accesserunt etc. *Ante q. 526.*

Mc. 10, 1. Et inde exsurgens venit in fines Judaeae ultra Jordanem: et conveniunt iterum turbae ad eum: et sicut consueverat, iterum docebat illos.

L. 17, 11. Et factum est dum iret in Jerusalem, transibat per mediam Samariam et Galilaeam.

Q. 525. *Concordia historica.* S. Matthaeus, ut modo dicebam, jam finem imposuit narrationi eorum quae fecit et docuit Jesus *in Galilaea;* deinceps ea tradet quae evenerunt quando Salvator Hierosolymam ultimum petiit, tum in ipso itinere, tum etiam in urbe et in vicinia. Multa autem praetermittit; quare verba *Cum consummasset Jesus sermones istos, migravit a Galilaea* ut iret in Judaeam, non ita sumenda sunt quasi statim post sermones istos iter illud Jerosolymitanum institutum fuerit, sed formula est qua Evangelista ad aliam historiae partem transit (ut 26, 1). Etenim

silentio premit fere omnia quae habentur apud J. a cap. 7, 10, nempe ab adventu Jesu in Judaeam (quando ad dies festos Scenopegiae seu Tabernaculorum Hierosolymam venit), ubi deinceps praedicavit, usquedum Lazarus ad vitam revocatus fuit, cap. 11, 53.

Statim post hoc miraculum, Jesus sciens mentem esse Judaeis *ut eum interficerent, jam non in palam ambulabat apud eos*, sed Bethania profectus est *in regionem juxta desertum*, sc. in *Ephrem*, J. 11, 54. Oppidum illud probabiliter situm erat ad confines meridionales Samariae, ergo ad septentrionem Jerosolymae, a qua 20 milliaria secundum s. Hier. (Onomast.) distabat (1). Paulo post, cum proximum esset Pascha (hoc est ultimum Domini Pascha), statuit ab Ephrem redire Hierosolymam, ubi moriturus erat in Paschate.

Sed non via recta Urbem petiit, nam transivit *per mediam Samariam et Galilaeam* L. 17, 11; vel, ut graeca possunt verti: *transivit per medium Samariae et Galilaeae*, vers. syr. *inter Samaritanos et Galilaeam*, arab. *inter Samariam et Galilaeam*, i. e. per confines utriusque provinciae, quasi vellet ab Urbe recedere. Fortasse perrexit Scythopolim, ubi (in ponte qui erat et adhuc est prope eum locum) Jordanem trajecit: M. **19, 1** *venit in fines Judaeae*, in territorium Judaeae, *trans Jordanem*, i. e. iter faciens per Peraeam, i. e. incedens juxta ripam Jordanis orientalem, venit (2) usque *Bethaniam trans Jordanem* (de qua cf. not. margin. ad q. 139), ut videtur, unde rursum transmisso Jordane per vadum quod ibi habetur, petiit Jerichuntem M. 20, 29, et inde Hierosolymam M. 21, 1.

Per viam turbas docebat, sicut consueverat (Mc. hic), et curabat infirmos (M. hic v. **2**), doctrinam suam miraculis comprobans. Interdum *polemice* (verbis pugnans hostilesque repellens impetus)

---

(1) **Ephrem** (alias *Ephraïm*) idem videtur oppidum ac *Ephron* (2 Par. 13, 19 haud procul a Bethel), et *Ophra* seu *Ephra* (de quo 1 Reg. 13, 17). Putat Robinson situm ejus quaerendum esse in hodierno *Taiyibeh*, 4 aut 5 milliaria ad orientem *Beitin* (Bethel), et 16 mill. ab Hierosolymis. Desertus autem locus, in cujus vicinia situm dicitur istud Ephrem, non est *desertum Judae*, ad occidentem maris Mortui, sed *desertum Bethaven* de quo Jos. 18, 12; illudque haberi potest tamquam pars septentrionalis *deserti Jerichuntini*.

(2) Igitur *trans Jordanem* referendum est ad *venit*, non autem ad *fines Judaeae*: haec enim provincia ultra Jordanem non pertingebat, teste Jos. *B. J.* 3, 3, 5. Jam notavi p. 480 multos e Galilaeis, qui Hierosolymam ascendebant, solitos fuisse iter facere per Peraeam, non per Samariam, quae via multo brevior erat, ut cum Samaritanis nihil agere deberent.

agit in docendo, cum nempe adversarios confutat : cujus quidem rei exemplum habemus in paragr. seq.

§ 2. DIVORTIUM DAMNATUR: 19, 3-9.

Praeced. vide ante q. 525.

M. 19, 3. Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum, et dicentes : Si licet homini dimittere uxorem suam, quacumque ex causa ? 4 Qui respondens, ait eis : Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos ? et dixit : 5 Propter hoc dimittet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. 6 Itaque jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 7 Dicunt illi : Quid ergo Moyses mandavit dare libellum repudii, et dimittere ? 8 Ait illis : Quoniam Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere uxores vestras : ab initio autem non fuit sic. 9 Dico autem vobis, quia quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur : et qui dimissam duxerit, moechatur. 10 Dicunt ei discipuli etc. *Ante q. 527.*

Mc. 10, 2. Et accedentes Pharisaei interrogabant eum : Si licet viro uxorem dimittere : tentantes eum. 3 At ille respondens, dicit eis : Quid vobis praecepit Moyses ? 4 Qui dixerunt : Moyses permisit libellum repudii scribere, et dimittere. 5 Quibus respondens Jesus, ait : Ad duritiam cordis vestri scripsit vobis praeceptum istud. 6 Ab initio autem creaturae, masculum et feminam fecit eos Deus. 7 Propter hoc relinquet homo patrem suum et matrem, et adhaerebit ad uxorem suam : 8 et erunt duo in carne una. Itaque jam non sunt duo, sed una caro. 9 Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet. 10 Et in domo iterum discipuli ejus de eodem interrogaverunt eum. 11 Et ait illis : Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam. 12 Et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur.

De divortio jam scripsit M. 5, 32 sqq. Vide supra q. 228 sq.

Q. 526. 1° Quinam in Evang. leguntur Jesum interrogasse de divortio ? Quid petierunt et quem in finem ? 2° Quid respondit Christus ? 3° An responsum ejus legi Mosaicae consentaneum erat ?

R. ad 1m. *Pharisaei* accedentes ad Jesum, qui in Peraea adhuc versabatur, petierunt num *quacumque ex causa*, an vero propter solum adulterium uxorem dimittere liceret. Interrogant autem *tentantes eum*, ergo ut ex verbis ejus occasionem habeant eum accusandi ; et utuntur, ait s. Hier., « cornuto syllogismo [gall. « *dilemme*], ut quodcumque Jesus responderit, pateat captioni. »

Quaestio captiosa sub multiplici ratione.

1° Forte audierant ipsum olim (videlicet in Orat. Mont.) coarctasse facultatem divortii : igitur, si nunc responderet licere, opponerent ei sententiam contrariam quam antea tenuerat ; si

autem diceret, sicut prius, non licere, Moysen objicerent (ita s. Chrys.), atque simul ipsum populo invisum redderent propter severitatem.

2° Praeterea, id temporis apud Judaeos duae erant scholae, quarum altera rigidior (**schola Schammai**) docebat solum delictum in re voluptatis et libidinis, ab uxore commissum, (adulterium ?) legitimam esse causam divortii ; altera vero laxior (**schola Hillel**) ob multiplices causas etiam parvas uxorem dimittere viro permittebat (1) : ergo Pharisaei praevidebant fore ut Jesus, uni adhaerendo scholae, alterius invidiam incurreret.

3° Haud improbabile est eos etiam voluisse iram Herodis Antipae, in cujus ditione erat Jesus, quique uxorem sine causa repudiaverat, excitare contra Salvatorem ; exspectabant enim fore ut ipse severiorem sententiam amplecteretur. Supra vidimus Joannem B. occisum fuisse, propterea quod alteras Herodis nuptias tamquam adulterium reprehendisset.

R. ad 2m. Solerter respondit, indirecte tantum quaestionem solvens, neque suam statim proferens sententiam, sed verba Scripturae s recitans: satis tamen innuebat quid sentiret ipse; sed adversariis occasionem non dabat doctrinam suam oppugnandi. V. 4 *Non legistis*, ait (2), vos qui notitiam legis semper jactatis et ostentatis, *quia qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos* (Gen. 1,27 secundum 70), i. e. ita hominem creavit, ut duplici sexu constaret, et utroque esset completus ; proinde, ut unus vir uxorem unam haberet, atque adeo (v. 5) duo essent una caro seu unum corpus; aliis verbis, ut ambo essent corpore unum ; quatenus nempe ambo simul tamquam una causa generarent prolem, quae una utriusque parentis communis esset caro (3).

---

(1) Ut dixi supra ad M. 5, 31, lex Mosaica Deut. 24, 1 hanc tradit causam licitam divortii : *Si uxor non invenerit gratiam in oculis viri propter aliquam foeditatem.* Sed quaestio erat quaenam intelligenda esset *foeditas* sufficiens. In Deut. 22, 19 et 29 indicantur duo casus in quibus uxor non poterat dimitti umquam.

(2) Secundum Mc. ipsemet Jesus legem Mosaicam invocat (*quid*, ait, *vobis praecepit Moyses ?*), ut, dum eam explicat, suam insinuet doctrinam. Secundum M. autem lex Mosaica a Pharisaeis invocatur (*quid ergo*, aiunt, *Moyses mandavit* etc. ?), quasi doctrinae a Jesu jam traditae sit opposita. Nulla est repugnantia in ipsa re.

(3) **Objectio solvitur.** Sed objicit quidam (vide Mald.), idem dicendum esse de animalibus, quae creata sunt mas et femina ut duplici sexu completa essent, quum tamen nulla sit ipsis lex ut unum idemque mas cum una eademque femina vivat. Resp. Concedere possumus Christi argumentum vim probandi non habere quod attinet ad animalia ; verum de istis tunc quaestionem minime

Istam autem arctissimam et individuam conjunctionem plenius clariusque significavit Deus, quando *dixit* (nempe per os Adami Gen. 2, 24) v. **5** *Propter hoc* etc. Certe cum Adamo nec pater nec mater essent, verba ejus *Dimittet homo patrem et matrem* etc. ad futurum tempus spectabant, et prolata fuerunt ex inspiratione *prophetica :* ergo merito tribuuntur *Deo.*

Apud M. connexio est : quia Deus hominem creavit, ut ex duplici sexu, per viri et uxoris conjunctionem, esset completus, ideo *(propter hoc)* arctissimum erit vinculum virum inter et uxorem ; imo vero, tanti roboris erit, ut omnibus vinculis fortius ac praestantius futurum sit ; adeo quidem ut quaevis alia, si necesse sit, per illud sint solvenda atque disrumpenda, v. gr. vinculum, ceteroquin firmissimum, quo filii parentibus adstringuntur : *Propter hoc dimittet homo*, i. e. vir *patrem et matrem*, *et adhaerebit uxori suae*, gr. προσκολληθησεται, quod magnam habet vim, *agglutinabitur*. Necdum satis dixit, nam addit: *Et erunt duo in carne una*, οἱ δυο εις σαρκα μιαν, *in unam carnem* (nota acc.), i. e. per hebraismum (לְ חָיָה εἰναι εις: cf. q. 575 *in caput anguli*) *erunt una caro*, unum corpus. In hebraeo habetur tantum *et erunt caro una* : suo marte 70 addiderunt *οἱ δυο*, ut monogamiam, quae alibi in V. T. diserte non exprimitur, clarius statuerent.

Porro in Gen. istud *propter hoc* aliam statuit connexionem cum praecedentibus, nam ibi conclusio deducitur ex verbis : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea.* Sensus nempe est : quia femina secundum corpus ex viro formata est, quia ambo initio unum erant, atque ideo in utroque est naturalis appetitus ut iterum unum fiant, *dimittet homo* etc.

R. ad 3^{m}. Christus satis indicat matrimonium debere esse indissolubile ; ideoque concludit v. **6** : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.* Non dixit : *quos* Deus conjunxit, sed *quod* conjunxit, ut non tamquam de duobus, sed tamquam de uno corpore loqueretur, quia paulo ante dixerat *itaque non sunt duo, sed una caro* (Mald.). Ergo istud *quod* fortius notat unitatem rei conjunctae.

---

factam fuisse ; nullamque esse paritatem cum homine, siquidem adhaesio, quae apud hominem in concubitu existit, et qua proles procreatur, perseverare debet per vinculum matrimonii indissolubilis, ut liberi debito modo ad vitam vere humanam et ad bonos mores probitatemque educentur.

Lex autem Mosaica permittebat divortium (1); sed v. **8** propter duritiam cordis Judaeorum, ut ait Christus: ergo, hac in re Salvator legem veterem correxit et perfecit. Igitur neutri ex duabus Judaeorum scholis (*Schammai* et *Hillel*) adhaeret, sed divortium totaliter rejicit, utpote contrarium primitivae matrimonii institutioni.

8. *Ad duritiam cordis vestri*, quasi diceret: Si cor vestrum non adeo pravum esset, Moyses sane divortium non permisisset; itaque, illud concessit tantum ad vitanda majora mala, v. gr. jurgia continua, necem uxoris etc. Quod confirmatur ex eo quod, ut addit Jesus, *ab initio non fuerit sic:* si enim lex divortii fuisset praecipua utilisque, non alia a principio data fuisset, ut notat s. Chrys.

Animadverte cum eodem s. Chrys. quomodo Christus, dum eis duritiam cordis indirecte exprobrat, adversariorum objectionem in ipsorummet caput solerter retorqueat. Quod facere solet; vide accusationes de spicis vulsis, illotis manibus, violato sabbato etc.

Deinde Dominus, postquam illos ad silentium compulit, cum auctoritate suam statuit legem, et declarat mentem suam esse ut matrimonii vinculum numquam solvatur; pergit enim: v. **9** *Dico autem vobis* etc. Per *autem* suam legem legi Mosaicae opponit, hoc sensu: Quod permisit Moyses, ego nequaquam concedo. — *Nisi ob fornicationem* i. e. adulterium: Christus igitur divortium propter adulterium permittit, sed intelligit tantum divortium incompletum, quo conjuges toro et habitatione separantur: cf. supra ad M. 5, 32 sqq. Marcus refert Jesum, quando domi erat cum discipulis, non addidisse *nisi ob fornicationem*, adeoque absolute et simpliciter prohibuisse divortium.

Interpretatio inepta.

Stolberg, et Foisset post ipsum, ita: verba M. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit moechatur*, respiciunt tantum legem Mosaicam, circa quam inquirebant Pharisaei: Christus autem suam legem novam postea, quando

(1) Attende ad verba M. **19, 7**: *Moyses mandavit* (nempe Deut. 24, 1) *dare libellum repudii et dimittere*. Sensus non est Moysen mandasse dimittere, verum permisisse dimittere (quare Christus in responso v. 8 dicit *permisit*), et casu quo uxor dimitteretur, mandasse ut libellus repudii ei daretur. Haec autem praescriptio in gratiam uxoris, ut divortium difficilius redderetur, statuta erat.

solus erat cum discipulis (Mc. loco paral.) declaravit, non excipiendo fornicationem, sed simpliciter prohibendo divortium.

Haec autem interpretatio magnam prodit oscitantiam et prorsus rejicienda est : nam supra, in Orat. Mont. M. 5, 32, Christus eadem adhibet verba fornicationemque excipit, quando certissime loquitur de sua lege : *Dictum est* sc. in lege Moysis... *Ego autem dico vobis : Quia omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari.*

Hac occasione lectorem monere liceat, explicationem veram firmamque apud eos auctores, qui studia specialia in Scripturam sacram non perfecerint, numquam quaerendam esse.

CONTINUATIO § 2. CAELIBATUS COMMENDATUR : 19, 10-12.

Praeced. vide ante q. 526.

M. 19, 10. Dicunt ei discipuli ejus : Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere. 11 Qui dixit illis : Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est. 12 Sunt enim eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt : et sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus : et sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum coelorum. Qui potest capere, capiat. 13 Tunc oblati sunt ei parvuli etc. *Ante q. 528.*

Q. 527. 1° Qua occasione et quomodo Jesus in Evang. *virginitatem* commendavit ? 2° Proba ad continentiam speciale Dei donum requiri, inde tamen non sequi quandoque accidere ut homo virtutem illam servare non possit. 3° Alia s. Scripturae loca, in quibus status virginitatis laudatur, indica.

Homiliticum pro virginitate.

R. ad 1m. Christus virginitatem commendavit tum factis quum verbis (1).

Quod autem attinet ad **facta**, tria praesertim in memoriam revoco : ipsum mansisse virginem, virginem ab eo in matrem electam, atque Joannem virginem prae ceteris discipulis dilectum

(1) Obiter animadverte **virginitatem** ad propriam et specialem Legis Novae oeconomiam et perfectionem spectare, quum tempore legis Mosaicae virorum feminarumque partes fuerint praecipuae ut liberos gignerent : ita s. Th. 3, 28, 4, post s. Aug., qui *Serm.* 51, c. 16, ed. M., docet dignitatem virginalem a matre Domini coepisse. Et s. Chrys. *Hom. 79 in M.* de virginitate scribit « Neque in « veteri Test. a priscis illis sanctisque viris culta fuit. » Nescio num uspiam virginitas in vetere Test. commendetur vel suadeatur : quod autem nonnulli putent, filiam Jepthe virginitatem suam Deo consecrasse, atque ita exsolutum fuisse votum patris, omnio falsum, imo futile est, ut ait Ben. XIV *De festis*, ubi de Desponsat. B. M. V.

fuisse (1). Possem addere 4° ipsum non permisisse ut vel contra se vel contra discipulos suos, umquam impudicitiae accusatio fieret ; quamvis alias sustinere voluerit omnis generis calumnias : cf. q. 1129.

Quod vero spectat ad **verba** ejus, virginitatem *indirecte* commendavit quando docuit M. 22, 30 et L. 20, 34-36 in altera vita nulla dari matrimonia, sed homines futuros esse sicut Angelos. Imo vero, eamdem *directe* et dedita opera commendavit occasione conclusionis quam discipuli ex doctrina de divortio eruerunt: *Si,* aiunt hic apud M. v. **10**, *ita est causa hominis* i. e. viri *cum uxore*, si numquam licet dimittere uxorem et alteram ducere, etiamsi uxor pessima sit et molestissima, *non expedit nubere* (γαμειν, uxorem ducere: *nubere* proprie dicitur de feminis). Isti recte intellexerant verba Jesu, et per eorumdem severitatem turbati fuerant: ideo etiam *domi* Mc. seorsum ipsum interrogaverant, ut notat s. Chrys. Quum autem Jesus verba sua in omni severitate domi repetisset, conclusionem practicam ex eis deducentes attoniti exclamant: *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Ad hoc autem respondet Christus v. **11** et **12** donum speciale pro virginitate servanda necessarium esse: *Non omnes capiunt* (practice) *verbum istud, sed quibus datum est*: vide statim dicenda ad 2m. Deinde vitam caelibem commendat: *Sunt eunuchi qui* etc., qui per Dei donum a re venerea sponte ac libenter abstinent ut digniores sint regno coelorum, igitur propter excellentiam virtutis castitatis. Tandem suam adhortationem fortius inculcat addendo: *Qui potest capere, capiat*: vide infra.

Votum castitatis. In verbis illis *sunt eunuchi qui* etc., Christus proprie et directe respicit eos qui voto erga Deum se obligant ad servandam perpetuam castitatem, sive viri sint, sive feminae (agitur enim de castratione quae animo fit, non corporis mutilatione): isti stricto sensu seipsos spiritualiter castrant, cum in perpetuum sibi adimant facultatem ineundi nuptias, sicut Eunuchi (2), qui seipsos castrant, hoc corporali ratione faciunt. Quam-

(1) Pater ejus nutritius, s. Joseph, virginitatem servasse creditur (q. 1133) ; quemadmodum et praecursor Jesu, s. Joannes B. (q. 1072).

(2) *Eunuchi*, ab ευνη *cubile* et εχω *custodio*, qui secundum mores Orientalium adhiberi solent ad cubilia matronarum virginumque divitum custodienda, ne quis stuprum inferat.

quam illud sit eunuchorum spiritualium perfectissimum genus, quod praesertim laudat Servator, non tamen a mente ejus excludendi sunt qui, absque voto, amore virginitatis ita se gerunt ac si castrati essent.

Jam vero eunuchi spirituales, pergit Christus, valde diversi sunt ab eunuchis corporalibus, qui inviti et coacti manent caelibes, vel a/ quia nati sunt steriles (*eunuchi, qui de utero matris sic nati sunt*), vel b/ quia ab hominibus evirati sunt, i. e. quorum testiculi fuerunt exsecti (*eunuchi qui facti sunt ab hominibus*).

Sed quare de istis loquitur Salvator? Ut suos ad continentiam tacite excitet, ait s. Chrys.; ac si dicat: cogita quid faceres, si ex natura talis esses, aut si idipsum per vim et injuriam passus esses? Voluptate privatus esses, sed sine mercede: nunc abstine spe maximi praemii; eo vel magis quod minores quam isti evirati libidinis tentationes patieris.

Talem esse mentem ejus liquet ex eo quod omnes ad virginitatem (posito nempe Dei dono) adhortetur, cum in fine addit *Qui potest capere capiat:* « Hortantis vox Domini est, ait s. Hier., et milites « suos ad pudicitiae praemium concitantis. » Sensus enim est: qui verba mea intelligit, ac percipit in eis commendari virginitatem; nempe qui hoc efficienter intelligit (gall. *pratiquement*), adeoque donum castitatis habet: statum illum amplectatur. Aliis verbis, utinam me intelligatis et caelibes maneatis! vel, felices illi qui mente capiunt quod dico illudque opere perficiunt!

Perperam Origenes. Eus. *H. E.* 6, 8 narrat (neque est quod fidem ei denegemus, cf. Wetz. u. Welte, *Lexic.*, *Orig.*) Origenem Christi verba ad literam accepisse, atque ex amore castitatis seipsum evirasse: sed perperam fecit, quum, ut ait s. Chrys., membrum sibi abscindere non liceat (diabolica operatio est, ait, et maledictioni obnoxia, ut ex Gal. 5, 12 colligitur), et prava libido inde non extinguatur, sed potius excitetur.

Donum castitatis.

R. ad 2^m^. *Non omnes*, ait Christus, v. 11, *capiunt* (intellectu efficiente, qui ad actum sese exerit) *verbum istud* (quod dixerant Apostoli, nubere non expedire), *sed quibus datum est.* Igitur approbat, et maxime quidem, Apostolorum verba. « Per se, ait s. Hier.,

« castitas blanda est, et quemlibet ad se alliciens: sed conside-
« randae sunt vires, ut *qui potest capere capiat.* » Ideo non oportet unicuique indiscriminatim consulere continentiam: *melius* enim *est nubere quam uri.*

Volenti non negatur. Igitur, requiritur *donum continentiae:* vis enim qua homo fertur ad generandum est fortissima omnium cupidinum naturalium (v. 5), et ad hanc vincendam non valet sola voluntas humana, sed specialis Dei gratia est necessaria. Attamen, quum Deus semper paratus sit donum continentiae concedere, omnes et singuli homines castimoniam servare possunt si velint, si nempe gratiam a Deo petant, si carnem cum vitiis et concupiscentiis per voluntariam corporis afflictationem castigent et *crucifigant*, si otium aliasque occasiones devitent etc. Unusquisque sibimet ipse dicere potest quod s. Aug., *Conf.* 8, 11, cum ad pudicitiam se excitaret: « Tu, ait, non poteris, quod isti et istae?
« An vero isti et istae in semetipsis possunt, ac non in Domino Deo
« suo? » « His *datum est*, ait s. Hier., qui petierunt, qui voluerunt,
« qui ut acciperent laboraverunt. » Pariter s. Chrys. « Iis *datum*
« *est*, inquit, qui voluerunt. Sic porro dixit (Christus), ut osten-
« deret magno supernae gratiae auxilio opus habere eum qui hoc
« init certamen, quo plane fruetur quisquis voluerit... Si supernum
« solummodo esset donum, nihilque de suo afferrent ii qui virgini-
« tatem colunt, superflue ipsis regnum coelorum promitteret, nec
« merito illos a ceteris eunuchis distingueret. »

Continentiam autem donum Dei esse docet etiam 1 Cor. 7, 7 *Unusquisque proprium donum habet ex Deo.* Solet etiam citari Sap. 8, 21 *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det:* ast immerito ; namque de sapientia ibi sermo habetur.

R. ad 3m. Locus valde insignis, et praecipuus totius Scripturae in hac materia, invenitur 1 Cor. 7, 25-40 : vide *Comm.* nostr. *in Epist. Paul.* 6a ed. Brugis 1899. In Apoc. 14, 1-5 singulare virginitatis praemium describitur : *Qui cum mulieribus non sunt coinquinati..., sequuntur Agnum quocumque ierit* etc. Cf. s. Aug. *De s. virginit.* 1, 27. Nihil igitur mirum si status virginitatis excellentior statu matrimoniali praedicatur Trid. 24, 10, secundum 1 Cor. 7, 25-40. Nolim hic laudare Sap. 4, 1 propter rationem quam dedi 1. Cor. 7, ad fin. cap. (Cf. *comm. in Epist. Paul.*, modo citat.)

S. Chrys. librum scripsit eximium *De virginitate*. Alios ss. Patrum et Doctorum libros circa hanc materiam indicavi in *Comm. Ep. Paul.* l. i. Istis adde tractationem amplissimam ROSKOVANY Episc. Nitriensis, in op. *Caelibatus et Breviarium*, a. 1861, 5 vol.

Cum hac materia connexa est *Castitas* injuncta a Christo (cf. q. 225) et a s. Paulo (cf. Index sub voc. *Castitas*, in append. *Comm.* nostri *Epist. Paul.* ed. 6ª).

§ 3. CHRISTUS INFANTIBUS BENEDICIT: 19, 13-15.

Praeced. vide ante q. 527.

M. 19, 13. Tunc oblati sunt ei parvuli, ut manus eis imponeret, et oraret. Discipuli autem increpabant eos. 14 Jesus vero ait eis: Sinite parvulos, et nolite eos prohibere ad me venire: talium est enim regnum coelorum. 15 Et cum imposuisset eis manus, abiit inde. 16 Et ecce unus etc. *Ante q. 530.*

Mc. 10, 13. Et offerebant illi parvulos, ut tangeret ilios. Discipuli autem comminabantur offerentibus. 14 Quos cum videret Jesus, indigne tulit, et ait illis: Sinite parvulos venire ad me, et ne prohibueritis eos: talium enim est regnum Dei. 15 Amen dico vobis: Quisquis non receperit regnum Dei velut parvulus, non intrabit in illud. 16 Et complexans eos, et imponens manus super illos, benedicebat eos.

L. 18, 15. Afferebant autem ad illum et infantes, ut eos tangeret. Quod cum viderent discipuli, increpabant illos. 16 Jesus autem convocans illos, dixit: Sinite pueros venire ad me, et nolite vetare eos: talium est enim regnum Dei. 17 Amen dico vobis: Quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud.

Jesus occasionem opportune oblatam solerter arripit, ut suam ostendat benignitatem et modestiam, simulque humilitatis necessitatem, quam pluries jam docuerat, discipulorum animis denuo inculcet.

Q. 528. Quid narrat Evang. de benedictione a Jesu infantibus impertita?

R. Quatuor rerum capita et narrationis momenta ex ordine distinguere juvat.

1° Quum viderent Judaei tam multos aegrotos a Jesu sanari (*tunc* refertur ad v. 2), et scirent magna saepe prodigia fieri per manus ejus, *obtulerunt* ei *parvulos* (M. v. **13**, Mc.), seu potius *attulerunt* eos, brachiis eos gestantes (nam apud tres Evang. legitur προσφερειν *afferre*); etenim non erant *pueri* qui jam pedibus incedebant, sed proprie *infantes* seu *pueruli* (παιδια M., Mc.), imo *lactentes* (βρεφη L.) Eos autem afferebant matres, *ut* Jesus *manus eis imponeret* M., nempe ut expansis manibus *tangeret* (Mc. L.) caput eorum, et interea pro eis et super eos *oraret* M.

Idque ut facerent, conferre potuit **consuetudo apud Judaeos** vigens, pueros offerendi viris sanctis eorumque benedictionem petendi : persuasi enim erant apprecationes illorum quam plurimum valere, eas eventu non carere, et felices esse eos quos illi precibus Deo commendassent. Gen. 48, 14 Jacob, cancellatis in formam crucis manibus, duobus Josephi filiis benedixit. Num. 22, 6 benedictionibus Balaami vis magna adscribitur.

Impositio manuum, in re religiosa altiorem et mysticam habet significationem; indicat enim supernam virtutem coelestiaque munera conferri (vel actu, vel saltem votis): cf. *Comm.* nostr. Hebr. 6, 2. Videtur ea ratione niti, quod inter homines dona per manus tribui soleant, quodque in manibus praecipua sit vis et potentia ad opus perficiendum. Cf. *Comm.* nostr. in 1 Tim. 4, 14; et in Act. 13, 3. Josue Spiritu sapientiae repletur per impositas manus Moysis, Deut. 34, 9. Vide supra M. 9, 18.

2° Discipuli autem *increpabant* eos qui infantes attulerant (non *pueros* increpabant), i. e. objurgando et admonendo arcere studebant (apud tres Evang. est idem v. ἐπιτιμάω, quod in Vulg. redditur per *increpare* M. et L., et per *comminari* Mc.) : igitur satis dure eos repellebant, vel quia intempestiva erat interpellatio, eo quod Jesus de re graviore sermonem haberet (de matrimonio, si ponamus statim post superiora hoc factum fuisse), vel quia fatigatus esset, vel potius (s. Chrys.) quia puerorum cura ipsum decere haud videretur.

3° Salvator autem id *indigne tulit* Mc., et ait illis v. **14** : *Sinite parvulos ad me venire, et nolite eos* aditu ad me *prohibere* : quidni eos amem eisque benedicam? Tales ego quaero : *talium est enim regnum coelorum*, i. e. pertinet ad eos qui istis similes sunt, morum innocentia, humilitate, mansuetudine etc. Et tales solos in cives mihi assumo, nam *quicumque non acceperit regnum Dei sicut puer, non intrabit in illud* L. ; cf. Mc. Vide supra M. 18, 2-4. Cf. 1 Cor. 14, 20. Dicit *talium*, non *horum*, non ut parvulos excludat, sed ut adultos comprehendat.

4° Tandem *amplexus est eos* Mc., et *imponens manus super illos* M. v. **15** et Mc., *benedixit* eis Mc., non solum apprecans bona, ut homines faciunt cum benedicunt, sed reipsa conferens id quod verbis precabatur.

Quis Christi, sublimissimi doctoris, modestiam humilemque benignitatem non miretur? Ipsum vero imitentur sacerdotes, imprimis humilitatem sectentur (s. Chrys.), et diligenti puerorum educationi et institutioni se tradant, scholas sedulo visitent, catechismum explicent etc.

*Q. 529. Homiliae schema.

Nullum certe in universa Evangelii historia reperitur factum, quod dulcius atque jucundius animum commoveat: rex regum et doctorum doctor infantibus tenellis operam impendens, quale spectaculum! Admirabile utique, sed salutare simul: utiles enim ex narratione illa doctrinas colligemus.

1° Consideremus exemplum eorum qui puerulos afferebant; merito fecisse dicemus, si attendamus quanta sit vis benedictionis a Christo impertitae. Sacerdotes autem nomine Christi benedicunt: id notent fideles; et parentes matres Judaicas imitentur.

2° Exemplum Apostolorum, illudque sedulo vitandum.

3° Christi exemplum, a/ benignitatis ab una parte, et b/ modestiae ab altera parte: id admiremur et sequamur.

4° Verba Christi *Talium est regnum coelorum* nobis accommodemus, ut vera christianae virtutis indole imbuamur.

5° Cum fiducia et amore filiali ad Deum patrem nostrum per pias preces accedamus, ut saepissime, praesertim urgente re gravi, benedictionem ejus impetremus. Dicamus cum Psalmista *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus* Ps. 66, 8.

6° Tandem moneamus filios ut interdum benedictionem petant a parentibus suis, v. gr. id faciant vespere ante cubitum, secundum veterem et laudabilem consuetudinem: parentes enim hac in re Dei vices gerunt, proindeque eorum benedictio effectu suo non frustratur. Quare dicit Eccli. 3, 11 *Benedictio patris firmat domos filiorum; maledictio autem matris eradicat fundamentum.* In memoriam revocemus benedictionem solemnem quam patriarchae dabant filiis suis, v. gr. Isaac Gen. 27, et Jacob Gen. 49, 28.

§ 4. JUVENIS DIVES DIVITIARUMQUE PERICULUM. 19, 16-26.

I. Historia adolescentis divitis.

Praeced. vide ante q. 528.

M. 19, 16. Et ecce unus accedens, ait illi: Magister bone, quid boni faciam ut habeam vitam aeternam? 17 Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono? Unus est bonus, Deus. Si autem vis ad vitam ingredi, serva mandata. 18 Dicit illi: Quae? Jesus autem dixit: Non homicidium facies: Non adulterabis: Non facies furtum: Non

Mc. 10, 17. Et cum egressus esset in viam, procurrens quidam genu flexo ante eum, rogabat eum: Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam? 18 Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? Nemo bonus, nisi unus Deus. 19 Praecepta nosti: Ne adulteres, Ne occidas, Ne fureris, Ne falsum testimonium dixe-

L. 18, 18. Et interrogavit eum quidam princeps, dicens: Magister bone, quid faciens vitam aeternam possidebo? 19 Dixit autem ei Jesus: Quid me dicis bonum? Nemo bonus nisi solus Deus. 20 Mandata nosti: Non occides: Non moechaberis:

falsum testimonium dices: [19] Honora patrem tuum, et matrem tuam: et, Diliges proximum tuum sicut teipsum. [20] Dicit illi adolescens: Omnia haec custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest? [21] Ait illi Jesus: Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me. [22] Cum audisset autem adolescens verbum, abiit tristis: erat enim habens multas possessiones. [23] Jesus autem dixit etc. *Ante q. 532.*

ris, Ne fraudem feceris, Honora patrem tuum et matrem. [20] At ille respondens, ait illi: Magister, haec omnia observavi a juventute mea. [21] Jesus autem intuitus eum, dilexit eum, et dixit ei: Unum tibi deest: vade, quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me. [22] Qui contristatus in verbo, abiit moerens: erat enim habens multas possessiones.

Non furtum facies: Non falsum testimonium dices: Honora patrem tuum et matrem. [21] Qui ait: Haec omnia custodivi a juventute mea. [22] Quo audito, Jesus ait ei: Adhuc unum tibi deest: omnia quaecumque habes vende, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me. [23] His ille auditis, contristatus est, quia dives erat valde.

Cum humilitate, quam Jesus animis nostris statim inculcavit, arcte connectitur studium paupertatis divitiarumque contemptus: hanc autem virtutem, quam pluries jam commendaverat, iterum praedicat, occasione juvenis cujusdam divitis, qui, nimio opum affectu detentus, ipsum sequi recusavit.

Q. 130. Historiam adolescentis divitis, qui Jesum interrogavit quid sibi faciendum esset, narra et explica, collatis Evangelistis.

16. *Unus accedens*, εἷς pro τις, ut M. 8, 19; 16, 14; 18, 24, 28 etc., et L. hic habet τις; secundum alios *unus separatim*, egressus e multitudine, accessit.

1° **Quis erat?** Quidam *princeps* L. ἀρχων, unus e Judaeorum proceribus, vir auctoritate quadam insignitus (*een zeker overste* Beel., *ein Vorsteher* All.), forsitan praefectus synagogae (M. 9, 18 coll. Mc. 5, 22), vel judex Synedrii magni (L. 24, 20 *principes* vocantur quaedam membra Synedrii), vel potius quum esset junioris aetatis, judex tribunalis inferioris (L. 12, 58 *princeps* dicitur de quovis judice). Iste autem erat *adolescens* M., et homo *valde dives* L., utpote *multas* habens *possessiones* M.

2° **Quid fecit?** Accessit ad Jesum in via, et genu flexo ante eum, interrogavit eum Mc., non certe tentandi, sed discendi causa: quod abunde demonstrat Mald. ex s. Chrys. et s. Bas. *Hom. contra div.*, contra s. Hier.

3° **Quid rogavit,** et quid ei respondit Jesus? Secundum M. adolescens dixit: *Magister bone* (hoc epitheton videtur glossema ex Mc. et L.), *quid boni faciam ut habeam vitam aeternam?* **17.** *Qui dixit ei: Quid me interrogas de bono* faciendo, i. e. quid inquiris quod tam

evidens est? *Unus est bonus, Deus*, proinde unum est bonum, Dei voluntatem perficere, ejusque praeceptis obtemperare: ergo, *si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Loco *quid me interrogas de bono*, textus graecus receptus habet *quid me dicis bonum?* Sed hoc videtur glossema ex Mc. et L., ubi certo sic legitur; igitur melior est lectio Vulgatae.

Mc. autem et L. paulo aliter: *Magister bone, quid faciam ut vitam aeternam percipiam? Jesus autem dixit ei: Quid me dicis bonum? nemo bonus nisi unus Deus. Mandata nosti: Non occides* etc. Ambae narrationes conjungi possunt, adeo ut juvenis utrumque dixerit *Magister bone* et *quid boni faciam* etc., et Christus utrumque responderit. Cum dicit *Quid me dicis bonum? Unus bonus est Deus,* fortasse eum inducere vult ut magistrum illum, quem vocat *bonum*, agnoscat esse Messiam, Dei Filium. Ita Mald., post s. Hier. aliosque Patres. Juvenis ille Jesum tamquam hominem habebat, et Jesus respondet in sensu petitionis ejus: non ergo negat suam divinitatem quam alibi tam saepe affirmavit. Secundum hanc explicationem facile concludimus contra Arianos verba ista Christi divinitati non adversari. Deinde pergit et alterum respondet: *Quid me interrogas de bono?* Verum et unicum hominis bonum in servanda lege divina consistit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Ex his ultimis verbis necessitas bonorum operum ad salutem, et doctrina catholica de merito contra Protestantes probantur firmissime.

4° **Dein Christus** v. **18** et **19** per modum exempli quaedam posterioris tabulae praecepta enumerat, et dicta concludit addendo apud solum M. regulam generalem: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* De solis mandatis alterius tabulae loquitur, quia vera dilectio proximi Dei dilectionem, ad quam spectant mandata tabulae prioris, requirit ac necessario includit: cf. infra M. 25, 35; et comm. nostr. in Rom. 13, 10. Knab. autem non approbat illam rationem, quum dici possit aequo jure in amore Dei includi amorem proximi; ideo aliam dat rationem: quia ex amore proximi certius concludi potest amor Dei, siquidem prior non tam facile quam posterior simulatur.

5° **Tunc dixit adolescens** v. **20**: *Omnia haec custodivi a juventute*

mea (1); *quid adhuc mihi deest?* nempe, ut magis magisque dignus fiam regno coelorum, magis magisque certus fiam illud obtinendi, vel ut internam impulsionem, qua ad vitam perfectiorem vocor, fideliter sequar. Christus autem *intuitus eum, dilexit eum* Mc., et respondit: *Adhuc unum tibi deest* L., Mc.: *si vis perfectus esse* M. **21,** si vis dilectionem usque ad summum gradum seu ad perfectionem efferre, *vade, vende* etc. Non dicit *Si vis ad vitam ingredi:* atque ideo consilium Evangelicum, non praeceptum Domini, traditur.

Obiter. **Distinctio inter praecepta et consilia** evangelica contra Protestantes istis Jesu verbis certissime demonstratur. Auctor pius, Ps.-Aug. (*Serm. 61 de temp.*, qui supposit. est, ed. M. « in Append. s. 273): « Aliud, ait, est consilium, aliud praecep-« tum. Consilium datur ut virginitas conservetur, ut a vino et « a carnibus abstineatur, ut vendantur omnia et pauperibus ero-« gentur: praeceptum vero datur ut justitia custodiatur, ut omnis « homo divertat a malo et faciat bonum... Consilium qui libenter « audierit et fecerit, majorem habebit gloriam; praeceptum qui « non impleverit, nisi poenitentia subvenerit, poenam evadere « non poterit. » De cetero his concinit s. Aug. apud Migne t. 6, p. 402, 466. Et s. Hier. *Ep. ad Hebid.* mox citanda: « *Si vis esse per-« fectus:* non tibi jugum necessitate imponit, sed potestati tuae « liberum concedit arbitrium. »

6° **Tria** jam juveni **suadet**, non jubet, **Dominus** v. **21:** a/ ut paupertatem colat *Omnia quaecumque habes vende;* b/ ut beneficentiae actionibus operam det *Da pauperibus;* simulque spe mercedis eum allicit *habebis thesaurum in coelo*, i. e. mercedem specialem, majorem mercede eorum qui *praecepta* tantum, non *consilia* observarunt. Apte de thesauro loquitur illi cui magna de pecuniis cura erat, et quem cunctis rebus denudari consulebat (s. Chrys.). c/ Suadet ut sibi propius et indivulse adhaereat, sicut Apostoli et familiares discipuli faciebant: *Veni*, ait, *et sequere me* (2): quod

(1) **S. Hier. minus recte:** censet fuisse mendacium; sed cum s. Chrys. tenemus juvenem vere et sincere locutum fuisse, neque ullam ipsi fuisse tentandi animum; eo vel magis quod, ut apte ratiocinatur s. hic doctor, Marcus notet Jesum hoc audito *oculos in eum cum dilectione conjecisse;* deinde princeps ille recessit *moerens* ob illa quae audierat, dum tentatores semel confutati solent magis indignari. Verba *a juventute mea* in quibusdam codicibus desunt apud tres Evangelistas; ideo *Tisch. 7a ed. ea habet ut glossema: attamen longe plures ea ut genuina legunt.

(2) Istud *sequere me* intelligitur de sequela speciali intimiore quae ad *perfectionem* requiritur. Ergo differt a sequela illa communi quae ad *salutem* necessaria est, sine qua nemo est verus christia-

omnium summa est ; « Facilius enim sacculus contemnitur quam voluntas » ait s. Hier. : per hoc jam ipsa perfectio inchoatur.

Ista Jesu verba cum **s. Antonius eremita** audisset legi in Missa, omnia reliquit et desertum locum petiit, ut refert s. Athan. *Vita s. Ant. 2.* « Haec sunt verba, inquit Pseudo-Bern. in *Declam.*, « quae monachis claustra replent, deserta anachoretis. » (1)

Ad verba *Da pauperibus* notat s. Hier. *Ep. ad Hedib.*, ep. 120, c. 1, ap. Migne : « Non dixit : Da filiis, da fratribus, da propinquis..., « sed *da pauperibus,* imo da Christo, qui in pauperibus pascitur. »

7° **Finis historiae.** Adolescens verbis illis *Vende et da pauperibus* contristatus est v. **22** ; ideo quod hinc quidem divitias quas habebat magnas nimium diligeret, illinc vero perfectionis desiderio magnaque cupiditate sequendi Jesum intus afficeretur ; adeo ut utrimque tractus ac distentus, vincula divitiarum abrumpere non posset : quamobrem *abiit moerens.* Atque ita factum est, inquit s. Hier., ut spinis illis multis divitiarum sementis Dominica suffocata fuerit. Ille, qui cum alacritate accesserat, ait s. Chrys., ne responsionem quidem dedit : inde patet quantam vim morbus exhibuerit.

Schema homiliae de paupertatis studio.

***Q. 531.** Ad v. **21**. Quare *paupertas* ad perfectionem acquirendam imprimis utilis est ?

R. 1° Quia, cum opes, honores et delicias succidit tollitque, triplicem concupiscentiam, ex qua omnia oriuntur peccata, vincit atque extinguit (1 Tim. 8, 6-10). S. Greg. *H. 32 in Ev.* : « Nihil maligni spiritus in hoc mundo proprium possident. « Nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisquam cum nudo « luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid sunt terrena omnia nisi quaedam corporis indumenta etc. » Inde fit ut divites tam difficile salventur ; quod statim addet Salvator, v. 23 sq.

2° Paupertas parit humilitatem, quae fundamentum est sanctitatis maxime necessarium.

---

nus, nemo verus Christi discipulus : ad hanc refertur M. 16, 24 *Si quis vult post me venire* etc., nam ibi statim additur v. 25 *Qui enim voluerit animam suam salvam facere.* Pariter J. 8, 12 *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris* etc.

(1) Christus hoc capite **tria praecipua consilia Evangelica,** in quibus natura et indoles status religiosi consistit (ut probat s. Th. 2^a 2^{ae}, 86, 3 sqq.), diserte proponit : **castitatem** perfectam et perpetuam, v. 12 (coelibatus etiam v. 21 supponitur, quum venditis rebus omnibus de nuptiis cogitari nequeat) ; **paupertatem** v. 21 *Vende quae habes ;* et **obedientiam,** cum ait *Sequere me* (A Lap.). Per tria illa consilia omnibus hujus mundi bonis nos abdicamus, ut ostendit s. Th. 1^a 2^{ae}, 108,4 : cf. q. 154 : inde concludit ea aptissima esse ad perfectionem vitae christianae acquirendam : cf. 2^m 2^{ae}, 184, 4.

3° Opportunam praestat nobis occasionem, ut Deo rebusque divinis nos totos tradere possimus.

4° Igitur charitatem erga Deum promovet; praeterea dilectionem proximi fovet et nutrit: tollit enim meum et tuum, ex quo solo et invidiae et discordiae, et odia et inimicitiae semper profluunt. Atqui in Dei hominumque amore consistit ipsamet perfectionis natura et essentia.

5° Christo similes nos reddit, cf. q. 288.

6° Similes etiam B. Mariae V., cujus paupertas vel ex hoc solo demonstratur quod die *Purificationis* munus pauperum dederit, sc. par turturum aut duos pullos columbarum, loco agni; L. 2,24.

7° Tandem ad eamdem virtutem nos quoque provocat exemplum, tum a/ Apostolorum, qui facti sunt pauperes propter Christum: reliquerunt enim omnia et secuti sunt eum. Quare s. Petrus aperte dicit: *Argentum et aurum non est mihi*: Act. 3, 6. Tum b/ eorum omnium qui volunt Christum sequi propinquius eique constanter adhaerere, sicut Apostoli: nam hic apud M. juveni illi dicitur positive quod antea debeat omnia vendere. Tum c/ generatim exemplum Sanctorum illorum de quibus Hebr. 11, 37, et 38, qui, per paupertatis miserias probati, Deo placuerunt.

II. Divites difficile salvantur.

Praeced. vide ante q. 530.

M. 19, 23. Jesus autem dixit discipulis suis: Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum coelorum. 24 Et iterum dico vobis: Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum coelorum. 25 Auditis autem his, discipuli mirabantur valde, dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? 26 Aspiciens autem Jesus, dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt. 27 Tunc respondens Petrus etc. *Post. q. 535.*

Mc. 10, 23. Et circumspiciens Jesus, ait discipulis suis: Quam difficile qui pecunias habent, in regnum Dei introibunt! 24 Discipuli autem obstupescebant in verbis ejus. At Jesus rursus respondens, ait illis: Filioli, quam difficile est, confidentes in pecuniis, in regnum Dei introire! 25 Facilius est, camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26 Qui magis admirabantur, dicentes ad semetipsos: Et quis potest salvus fieri? 27 Et intuens illos Jesus, ait: Apud homines impossibile est, sed non apud Deum: omnia enim possibilia sunt apud Deum.

L. 18, 24. Videns autem Jesus illum tristem factum, dixit: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt! 25 Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum Dei. 26 Et dixerunt qui audiebant: Et quis potest salvus fieri? 27 Ait illis: Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.

Q. 532. 1° Qua occasione Christus dixit salutem divitibus valde difficilem esse? 2° Quam adhibuit comparationem? 3° Eam explica, variis adductis auctorum sententiis.

R. ad 1m et ad 2m. Quando vidit adolescentem illum divitem, cui consilium dederat, ut, si perfectus esse vellet, bona venderet et daret pauperibus, tristem abiisse, neque animi virtutem ei

fuisse ut divitias repudiaret : tunc doctrinam extendit ad ea quae requiruntur, non solum pro perfectione, sed pro salute. *Circumspiciens* Mc. ait discipulis suis M. **23** : *Amen dico vobis, quia dives* non tantum difficile tendet ad perfectionem, sed *difficile intrabit in regnum coelorum ;* imo vero, secundum Mc. cum magna verborum vi locutus est, exclamans : *Quam difficile qui pecunias habent in regnum Dei introibunt !* « Si difficile divites, longe difficilius avari « (s. Chrys.). »

Nota tamen per *divites* intelligi *confidentes in pecuniis,* ut ait Mc. Divitiae, quoniam ab una parte annexas habent multas sollicitudines terrenas, et ab altera parte subsidia praebent ampla ad malas cupiditates exercendas, obstaculum serium animarum saluti opponunt. 1 Tim. 6, 9 *Nam qui divites fieri volunt, incidunt in tentationem et in laqueum diaboli, et desideria multa inutilia et nociva, quae mergunt homines in interitum et perditionem. Radix enim omnium malorum est cupiditas,* φιλάργυρια, *pecuniae amor.* Discipuli autem *obstupescunt* hoc audito Mc. ; nihilominus Jesus sententiam enuntiatam haudquaquam mitigat, sed contra, terribili modo confirmat ; imo ei « ali- « quid ultra addere videtur (s. Chrys.) », dicens v. **24** : *Facilius est camelum per foramen acus* (ῥαφιδος *aiguille à coudre*), *transire,* gr. secundum lect. probabiliorem *intrare, quam* etc.

R. ad 3^m^. Proverbium est, ea tempestate apud Judaeos tritum sermone, quo significatur rem aliquam fieri non posse. Simile quid de *elephante* dictum reperitur in Thalmude *Bava Mez.* 38, 2 : « Forte « ex urbe Pumbedita es, qui introducunt elephantem per foramen « acus, » i. e. cujus incolae id ipsum, quod nullo pacto fieri potest, perficere valent. Cf. illud Coran *sur.* 7,38 : « Qui mendacium dixerunt doctrinas nostras, coelorum portae eis non aperiuntur. In paradisum tunc demum ingrediuntur, quando camelus transibit per foramen acus, » i. e. fieri nequit ut umquam ingrediantur. Forsitan hoc Corani dictum ex Evang. desumptum fuit.

Interpretationes ineptae.

Sed cum nulla sit *analogia* seu proportio inter camelum, qui animal est ingens, et foramen acus, aliqui interpretes, non animadvertentes in proverbiis omnia ad latum unguem haudquaquam

esse resecanda (1), aliam explicationem omni modo excogitare conati sunt.

Sunt qui loco *camelum*, gr. κάμηλον, legant κάμιλον, et cum Theophyl. dicant esse funem nauticum, gall. *cable, grosse corde* : ita Bochart. *Hieroz.* (cf. ital. *gomena*, fl. *kommel*). Verum omnes codices unciales habent κάμηλον, et vox κάμιλος antiquis prorsus est ignota, quippe quae tantum inveniatur apud Hesych., Suidam, etc. ; neque improbabile est eam vocem ex falsa hujus loci intelligentia esse derivatam : cf. Passow, *Griech. Wörterb.* Deinde de camelo animali intellexerunt Syrus ceteraeque vers. antiq., et ss. Patres, ut Hier., Aug., Chrys., etc.

Alii cum Glossa loquuntur de porta quadam Jerosolymae (de qua tamen nemo veterum mentionem fecit), quae nomen habuisset *Foramen acus*, quaeque tam submissa fuisset ut cameli nonnisi deposito onere sub ea transire potuissent: quod Jans. Gand. merito rejicit ut fabulosum. Sepp (olim catholicus) probare conatur in Oriente januas parvas ac demissas vocari *foramina acus :* ast argumenta ejus non valent (Knab.).

Utcumque ista sunt, verba Jesu significant fieri non posse ut dives regnum coelorum intret ; sed illud effatum statim mitigatur, quum v. **26** adjiciatur *impossibile* hoc *esse apud homines*, non *apud Deum*: ergo hoc sibi vult Christus, rem istam secundum vulgarem consuetamque hominum agendi rationem non fieri, fieri tamen posse per singulare et extraordinarium Dei auxilium; verbo, raram eam esse ac difficillimam. De cetero, in proverbiis verba non stricte sumenda esse ignorat nemo. Dein loquitur tantum de divitibus qui *confidunt* in pecuniis, ut supra notavi, non de divitibus universe et generatim.

Q. 533. Ad. v. **24.** 1° Explica Christi effatum: *Facilius est camelum* etc. 2° Quaenam fuerunt discipulorum sensa cum istud audirent? 3° Quomodo sensa illa mitigata ac temperata fuerunt ?

R. ad 1m : vide q. praeced.

Ad 2m. Discipuli *mirabantur valde* v. **25**, imo *magis admirabantur*, inquit Mc., quam antea. In q. praeced. vidimus eos jam obstupe-

(1) Imo vero, hujusmodi loquendi ratio saepe in proverbiis invenitur ; v. gr. cum dicimus : citius coelum digito tetigeris quam hoc effeceris ; Plaut. in Eucl. : Citius *aquam ex pumice*. Cf. etiam Jer. 13, 23 *Si mutare potest Æthiops pellem suam* etc.

factos fuisse, quando Christus asseruit valde difficile esse divitibus intrare in regnum coelorum. Igitur, magis attoniti quam antea, dicebant ad invicem (*ad semetipsos* Mc.): *Quis ergo*, si res ita se habeat, *poterit salvus esse*, quum tanta cupiditate divitias appetant omnes? Minus apte Beel.: quum praeter divitias tot alia sint salutis impedimenta: conclusio enim eorum (*ergo*) refertur ad ea quae Christus dixerat *de periculo divitiarum*. Quando autem tristem illam conclusionem exprimunt, non tam de semet ipsi cogitant, secundum s. Chrys., quam de multorum amissa salute. Attamen, quum forte sentiant in corde suo desiderium ad res terrenas non penitus exstinctum esse, quamdam etiam de se ipsis sollicitudinem concipere poterant.

Ad 3m. Jesus eos *aspicit* v. 26: « Jucundo, ait s. Chrys., ac « mansueto aspectu illos horrore animi captos prius consolatus, « et angustia illa solutos (hoc enim significavit Evangelista dicens « *Respiciens*), tum verbis illos erigit, Dei potentiam in medium « adducens. » Dicit enim: *Apud homines hoc impossibile est* etc., i. e. quod per vires naturales et secundum consuetos rerum eventus inter homines fieri nequit, hoc per Dei specialem gratiam obtineri ac perfici valet. Sic Zachaeus *et ipse dives* (L. 19, 2) conversus est ad Christum: « Ecce camelus, ait lepide Ven. Beda *in Luc.* 19, 2, « deposita gibbi sarcina, per foramen transit: hoc est dives... « relicto onere divitiarum... augustam portam... ascendit. »

(Homiliticum) Jesu sermones contra divitias.

Q. 534. Occasione hujus doctrinae petitur generatim ut praecipua Christi testimonia contra divitias indicentur.

R. 1° In parabola de seminante docet divitias esse *spinas*, quae verbum Dei suffocant: cf. q. 405.

2° In Orat. Mont., post praedicatas Beatitudines, addit apud L. 6, 24: *Vae vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram!* Illudque *vae* gravissimum quater repetit ibidem v. 25 sqq. Hac occasione notare juvat quae dixi supra q. 372.

3° Post abitum adolescentis divitis, asserit valde difficile esse ut divites se salvent: cf. q. 532 et 533.

4° Miserrimam sortem divitis epulonis magna vi describit, L. 16, 19 sqq.

5° Per parabolam divitis horrea destruentis ut majora aedificet, ostendit *stultum* esse *qui sibi thesaurizat et non est in Deum dives*, L. 12, 13 sqq.

6° Plurima contra opes terrenas obiter dicit, quando inanem rerum caducarum sollicitudinem reprehendit: vide supra ad M. 6, 19 sqq, ubi ex ordine recensui

omnes rationes propter quas divitiae quaerendae non sint; confer etiam L. 12, 22 sqq.

Bonum monitum. Ne autem severissimae illae Domini sententiae male intelligantur, monitum s. Ambr. *in Luc.* 19, 2 adjungo: « Discant divites, non in « facultatibus crimen haerere, sed in iis qui uti nesciant facultatibus. Nam « divitiae ut impedimenta in improbis, ita in bonis sunt adjumenta virtutis. » Ideo etiam non omnes divites a Christo rejecti fuerunt, ut seq. quaest. demonstrabit.

Inter Jesu discipulos nonnulli divites.

***Q. 535.** Quaestio generalis obiter ponitur. Adductis exemplis ex Evang., ostende nonnullos viros divites nobilesque a Christo vocatos et ad fidem conversos fuisse, quamvis pauperes hominesque plebeii prae ceteris electi fuerint. Aliis verbis: quinam inter discipulos Christi erant divites, aut saltem honestioris conditionis?

R. Sequentes recenseri possunt. Zachaeus *princeps publicanorum et ipse dives*, L. 19, 2. Joseph ab Arimathaea, qui etiam dicitur *homo dives* M. 27, 57. Nicodemus *princeps Judaeorum*, J. 3, 1. Lazarus et sorores ejus, de quibus scribit J. 11, 19 *Multi ex Judaeis venerant ad Martham et Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo:* atqui loco verborum *ad Martham et Mariam* habetur in graeco προς τας περι Μαρθαν και Μαριαμ, quod sign. *ad Martham et Mariam suis circumdatas sociabus* (cf. Act. 13, 13): hoc autem innuit familiam insigniorem et honoratam. Praeterea, magnae conditionis erat Joanna, *uxor Chusae procuratoris Herodis*, de qua L. 8, 3. Aliae etiam mulieres piae, quae Jesum secutae erant a Galilaea, quaeque *ministrabant ei de facultatibus suis* L. l. c., certe pauperes non fuerint. Nonnulli quoque ex Apostolis honesti generis et loci fuisse videntur: cf. q. 330. Tandem J. 12, 42 testatur *ex principibus* Judaeorum, puta e Synedrii judicibus, *multos credidisse in Christum, sed propter Pharisaeos id non confessos fuisse, ut e synagoga non ejicerentur.*

Nota. Clemens Alex. scripsit opusc. sub titulo *Quis dives salutem consequi possit.*

§ 5. MERCES EORUM QUI JESUM SEQUUNTUR 19, 27-30.

Praeced. vide ante q. 532.

M. 19, 27. Tunc respondens Petrus, dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid ergo erit nobis? 28 Jesus autem dixit illis: Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel. 29 Et omnis qui reliquerit domum, vel

Mc. 10, 28. Et coepit ei Petrus dicere: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. 29 Respondens Jesus, ait: Amen dico vobis: Nemo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios aut agros, propter me, et propter Evangelium, 30 qui non accipiat

L. 18, 28. Ait autem Petrus: Ecce nos dimisimus omnia, et secuti sumus te. 29 Qui dixit eis: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres,

fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, et vitam aeternam possidebit.

30 Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi. 20, 1. Simile est regnum coelorum etc. *Ante q. 538.*

centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, et fratres, et sorores, et matres et filios, et agros, cum persecutionibus, et in saeculo futuro vitam aeternam.

31 Multi autem erunt primi novissimi, et novissimi primi.

aut uxorem, aut filios propter regnum Dei, 30 et non recipiat multo plura in hoc tempore, et in saeculo venturo vitam aeternam.

Connexio et rerum summa. In praec. paragr. Servator divitiarum pericula ostendit, et monuit nos ut ipsi adhaereamus omniaque relinquamus: nunc in § 5 illud confirmat, eximiam proponens mercedem, atque in § 5bis sub forma parabolae ostendens eam ab omnibus, qui Deo vocanti obediant, sive tardius sive citius vocati fuerint, accipiendam esse: addit tamen numerum eorum, qui praemium consecuturi sint, minorem fore quam aliorum. Haec secundum sententiam communiorem, quae parabolam ad singulos homines refert, dicta sunt: sed secundum alteram interpretationem, Jesus per parabolam docet gentiles, quod attinet ad salutem, Judaeis feliciores fore.

27. RESPONDENS: ut saepius vidimus, *respondere* per hebraismum sign. sermonem exordiri data occasione; quare in l. parall. Marci habetur tantum *Coepit Petrus dicere.* Occasio autem, quae movit Petrum, fuit vel haec Christi sententia paulo ante prolata *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes..., et veni, sequere me;* vel agendi ratio adolescentis illius divitis qui Christum sequi noluerat; vel verba Jesu thesaurum in coelo promittentis ei qui bonis terrenis sese abdicasset.

ECCE NOS RELIQUIMUS OMNIA: « Grandis fiducia! exclamat « s. Hier.: Petrus piscator erat, dives non fuerat; cibos manu et « arte quaerebat: et tamen loquitur confidenter *Reliquimus omnia.* » Et jure quidem merito, nam, ut ait proverbium, Suum cuique maximum est; et s. Greg. M. *Hom.* 5 *in Ev.* « Multum, inquit, « reliquit, qui sibi nihil retinuit... Imo qui etiam desideria habendi « dereliquit. » Dein pergit s. Hier.: « Et quia non sufficit tantum « relinquere, jungit quod perfectum est: *Et secuti sumus te.* » Atque adeo, ut notat s. Chrys., accurate respondet ad illa duo

quae Jesus postulaverat. Multi philosophi, ut animadvertit s. Hier., divitias contempserunt et omnia reliquerunt (*Hoc enim et Crates fecit philosophus*, nempe *Crates* ille Thebanus, non *Socrates*, ut quaedam editiones habent); sed Apostolorum et credentium hoc proprium est quod praeterea secuti sint Christum.

QUID ERGO ERIT NOBIS? Sed Jesus statim dixerat *Habebis thesaurum in coelis*: quare petit quod ex verbis illis facile colligere poterat? Quia putat praeter thesaurum in coelis sibi aliisque Apostolis in regno Messiae, quod certe cogitat fore in terris gloriosum, specialem aliquam mercedem reservari. Mald. aliam dat rationem: thesaurus promissus fuerat illi qui possessiones multas esset relicturus, dum Apostoli exiguas aut nullas reliquerant. Sed hoc longius quaesitum videtur, et non quadrat cum verbis Petri quae magnam spirant fiduciam: hic enim exclamat cum emphasi, in oppositione ad juvenem: *Ecce nos* etc., *nos* non negleximus invitationem tuam, *nos* reliquimus *omnia!* Certe qui dicit *omnia*, sua non parvi pendet, e contra se magnum quid fecisse significat (Knab.).

Q. 536. Quid Petro dicenti *Ecce nos reliquimus omnia* etc. respondit Christus? verba hujus explicando.

R. Duo in responso asseruit:

1°. V. 28 (cf. L. 22, 30) praemium speciale Apostolis (1) destinatum esse docuit: *Amen dico vobis, quod vos qui secuti estis me*, etc. Non dicit *qui reliquistis omnia*: sed, ut notat s. Hier., dicendo quod majus erat, quod erat minus intelligit: deinde nihil profuisset omnia reliquisse, nisi Christum secuti fuissent. *In regeneratione* etc. *Regeneratio* autem hic significat perfectam mundi restitutionem in statum a quo per peccatum originale delapsus fuerat, imo vero in conditionem quamdam excellentiorem; quae quidem restitutio in altero Christi adventu fiet, quando *creatura* universa *liberabitur a*

(1) Dico Apostolis speciale praemium promitti, quod ipsis solis tribuetur (nempe eos cum Christo judicaturos esse), utpote primis Christi discipulis ejusque comitibus indivulsis, ab ipso specialiter electis et vocatis, imo primariis regni ejus propagatoribus. Hic videtur sensus verborum Christi: proinde nonnisi per deductionem ea ad omnes christianos extendere possumus, et in sensu quidem longe minus perfecto, longe minus glorioso. Sic s. Bern. (*Serm. de s. Bened.*) illud accommodat omnibus qui voto s. paupertatis sunt adstricti, et 1 Cor. 6, 2 de omnibus christianis dicitur *Sancti de hoc mundo judicabunt*. Pariter Ven. Beda (*Hom.* 17 ed. Migne, *in natale s. Bened.*, cf. Brev. Rom. die 25ª Jan. in Convers. s. Pauli) ait: « Sciendum est omnes, qui ad exemplum Apostolorum sua « reliquerunt omnia, et secuti sunt Christum, judices cum eo venturos. »

servitute corruptionis et transibit *in libertatem gloriae filiorum Dei* (Rom. 8, 21; vide comm. nostr.). Illa quidem παλιγγενεσια jam incepit a priore Christi adventu, sed nonnisi in fine seculorum absolvetur et consummabitur.

Sedebitis et vos, sicut ego (nota istud *et*): « Ostendit ipsos et « conregnaturos, et gloriae consortes futuros (s. Chrys.); » imo, adhuc plus significat, sc. eos secum pro tribunali sessuros in Judicio extremo. Loquitur de eis quasi sint in bono perseveraturi; ipsius tamen mens non est affirmate dicere id reipsa futurum esse: ideoque Judae Iscariotis damnatio his non repugnat.

Sedes seu *throni* **duodecim** : numerus ille Apostolorum respondet numero, nihilque aliud indicat quam universitatem, nimirum omnes Apostolos soliis sessuros esse tamquam judices. Ideo quaerendus non est locus s. Pauli, inter Apostolos decimi tertii. Pariter *duodecim tribus* universum populum Israel significant; et sub denominatione *populi Israel* intelliguntur Israelitae, tum proprie dicti, quum spirituales, i. e. populus christianus: cf. Rom. 2, 28 et 29; 4, 12, 16 et 17 (vide *Comm.* nostr. *in Epist. Paul.* 6ª edit.). Cf. etiam Apoc. 21, 12, 14. Quod et docet Ven. Beda (in hom. modo citata in margine): « Quia duodenario saepe numero solet in « Scripturis universitas designari, per *duodecim sedes Apostolorum* « omnium numerositas judicantium, et per *duodecim tribus Israel* « universitas eorum qui judicandi sunt, ostenditur. »

Judicantes. S. Chrys. sumit *judicare* pro *condemnare*: « Non, ait, ut « judices sedebunt; sed sicut regina Austri (M. 12, 42) malos con- « demnabunt exemplo suo. » Sic s. Hier.: « *Condemnantes,* ait, quia « vobis credentibus, illi credere noluerunt. » Sed vera sententia est (Luc. Brug., Jans. Gand., Knab. etc.) Apostolis speciale quid futurum esse, ut non solum approbatione sententiae, sicut ceteri Sancti, sed communicatione postestatis judicialis, quam Christus exercebit, simul cum ipso vere judicaturi sint et sententiam dicturi.

2° Postquam v. 28 praemium Apostolis specialiter destinavit, jam v. **29**, assignat praemium quod omnibus christianis veri nominis tribuetur: nimirum, omnibus *qui reliquerint domum, vel fratres, aut sorores..., aut uxorem* (intelligitur divortium a toro et habitatione, quod mutuo fiat consensu, ad hoc ut ambo perfectius et sine impedimento Deo serviant castitatemque servent), *aut*

filios τεκνα i. e. *liberos* etc., *propter nomen meum,* i. e. *propter me et propter Evang.* Mc., propter religionem christianam: ergo, quando pietas christiana illud non solum permittit, sed etiam suadet vel praecipit. Praemium autem quod promittitur duo comprehendit: *in hoc tempore* (Mc. et L.) *multo plura* (L., et secundum quosd. cdd. etiam M.), imo *centuplum* Mc., et *in seculo venturo vitam aeternam* L. et Mc.

Centuplum in hac vita.

Centuplum noli stricte et proprie intelligere, sicut fecerunt olim Millenarii, qui, testante s. Hier., « Ex occasione hujus sententiae « [coll.Apoc.20,2 et 3] introducunt mille annos post resurrectionem, « dicentes tunc centuplum omnium rerum quas dimisimus et vitam « aeternam esse reddendam. » Sed verba Christi per translationem sumenda sunt, hoc sensu, quod *multo plura,* ut ait L., accepturi sint: scil. mercedem abundantissimam, tantam nempe quanta sit si parvo numero, ut ait s. Hier., centenarius numerus comparetur.

Jam vero, merces illa centuplex vitae praesentis intelligitur imprimis de bonis temporalibus (patet ex Mc. *accipiat domos et fratres* etc.), seu de felicitate quadam terrena, quae tamen cogitanda est non corporalis tantum, sed praesertim spiritualis (ideo addit Mc. *cum persecutionibus,* nam istae non excludunt veram animi beatitudinem): haec autem ante omnia in pace conscientiae, et in sancta cordis laetitia consistit tota, adeo quidem ut haec sit felicitatis nostrae natura et quasi *essentia.* Namque, ut ait s. Aug. *De Gen. ad lit.* l. 12, c. 34, *laetitia quaedam bonae conscientiae paradisus est.*

Haec autem **conscientiae pax et laetitia** oritur ex perfecta consensione voluntatis nostrae cum Dei voluntate: quae quidem bona animae conferuntur per gratiam sanctificantem atque intimam conjunctionem cum Christo: « Fidelis enim hominis, ait « s. Aug. (ep. 89, q. 4, apud Migne *serm.* 157, n. 32), totus mundus « divitiarum est (1): » unde ipsi accommodari potest illud s. Pauli *quasi nihil habentes et omnia possidentes,* 2 Cor. 6, 10. Quare? Quia *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum,* Rom. 8, 28. « Qui

(1) Haec sententia saepe citatur a ss. Patribus, et desumpta est ex 70 Int. Prov. 17, 6, ubi additum legitur in graeco: « *Credenti totus mundus divitiarum est: infidelis autem etiam obolo indiget.* » Ita vertit s. Hier. *ep.* 53, ap. Migne.

« omnia reliquerit, ait s. Ambr., Deum possidere incipit, et ipse « merces utique perfecta virtutum. » Quamobrem gestiens exclamat Psalmista 72, 25 *Quid mihi est in coelo, et a te quid volui super terram?* i. e. in rerum universitate nihil est quod mihi tam bonum tamque optandum *(volui)* est quam tu, Deus ! Merito igitur viri sancti sexcenties repetunt *Deus meus et omnia!* Quod si quis ita sit animo affectus, felix erit mediis in persecutionibus et aerumnis corporalibus; ipse enim cum s. Paulo dicet: *Superabundo gaudio in omni tribulatione nostra,* 2 Cor. 7, 4. Conclusio sit veram **laetitiam in Deo** quaerendam esse: Ps. 31, 11 *Laetamini in Domino et exultate justi.*

30. Nexus vario modo statuitur, pro varia explicatione verborum *Multi autem erunt primi novissimi*, et parabolae sequentis. Nos ita: quod autem attinet ad vitam illam aeternam, quae praemium erit christianorum fidelium, adipiscendam, fiet ut multi primi futuri sint novissimi, et novissimi primi: i. e. multi Judaei non intrabunt in illam, quia me sequi noluerint; dum gentiles, in eorum locum assumpti, eam obtenturi sint.

Sed oportet ut verba illa aenigmati plane similia *Novissimi primi* etc. fusius exponamus, et sensum modo traditum dedita opera demonstremus, simulque alias indicemus interpretationes.

Novissimi primi.

Q. 537. Qua occasione et quo sensu Christus in Evang. dicit *Erunt novissimi primi, et primi novissimi ?*

R. Bis illud profert effatum:

Et 1° quidem hic apud M. 19, 30 coll. 20, 16, quando loquitur de praemio vitae aeternae, iis qui fidem amplectuntur reservato: qua occasione tradit parabolam de operariis vineae. Verba Christi varie a variis explicantur, ut nunc dicemus.

1a Explicatio probabilior.

Christus vult docere salutem Evangelicam etiam obtinendam esse a gentilibus, imo vero eosdem hac in re Judaeis feliciores futuros esse, quum et promptius et majore numero ad legem Christi convertendi sint; adeo quidem ut, plerisque Judaeorum propter contumaciam reprobatis, gentiles in eorum locum assu-

mendi sint. Sic Judaei, qui sunt *primi*, quod spectat ad regnum Messiae (nam ipsis promissus fuit Messias et ad eos imprimis missus), facti sunt *novissimi* seu pejores gentilibus, propterea quod plerique eorum Christum agnoscere noluerunt, atque ideo regnum coelorum (tum in terris quum in coelesti gloria) non intrarunt. Contra vero gentiles, qui, quod attinet ad Messiae regnum, erant *novissimi,* facti sunt *primi*, quia per fidem praemium obtinent quod Judaeis destinatum erat.

Secundum hanc explicationem, illi qui facti sunt *primi*, intelliguntur homines in coelum admittendi; qui vero facti sunt *novissimi*, ad infernum damnandi sunt; seu potius, *primi* salutem evangelicam consequuntur, adeoque in hac vita fiunt cives Ecclesiae per gratiam sanctificantem, et post mortem participes erunt gloriae coelestis: dum contra *novissimi* a regno Dei et in terris et in coelis excludentur. Verbo, primi sunt *electi* (v. 16b), i. e. ad gratiam et ad gloriam praedestinati; novissimi vero *rejecti* seu *reprobati*, et in hac et in altera vita.

Hic verus parabolae sensus mihi videtur (A Lap. eum primo loco merito ponit): quamvis dicatur operariis primis (Judaeis) eamdem persolvi mercedem ac operariis horae undecimae (gentilibus); namque ad hoc solummodo respicitur, primos pejoris sortis esse quam novissimos, ideoque factos esse novissimos. Quando autem hoc accommodatur iis quae fiunt in regno coelorum, Judaei ideo dicuntur pejoris conditionis, quod eorum plerique excludantur; gentiles autem feliciores praedicantur, quia promptiores sunt ad fidem amplectendam, et proinde ad intrandum in vitam aeternam.

Aliae explicationes parabolam referunt ad singulos homines.

Plures tamen sunt, qui verba illa *erunt novissimi primi* cum ss. Chrys. et Hier. (hic etiam 1^m^ sententiam tradit) referunt ad singulos homines, hoc sensu (Bisp.): Nolite autem putare vos apostolos de praemio vitae aeternae (v. 29) certos esse, quia *primi* vocati estis (notate nexum hunc cum praecedentibus); etenim nonnumquam fit ut praemium illud obtineatur a *novissimis*, i. e. ab iis qui tardius vocati fuerint, v. gr. qui in fine vitae (hora 11^a^) se ad Deum converterint, dum e contrario *primi*, qui longe antea, v. gr. ab infantia vel ab adolescentia, christiani facti fuerint, non

salventur. Aliis verbis, praemium gloriae coelestis non pendet a diuturno tempore, quo quis fidem professus fuerit, sed a perseverantia finali.

Nonnulli supponunt istos primos etiam salvendos esse, sed interdum fieri ut sint *novissimi*, i. e. ut in coelo ultimum gradum obtineant, eisque praeferantur qui tardius Deo servire coeperunt: quia gradus, seu copiam gloriae in coelis, non pendet a tempore plus minusve longinquo, quo quis Deo inservierit, sed a majore vel minore hominis fervore et ab abundantia divinae gratiae. Ita fere Beelen.

Luc. Brug. paulo aliter: aliquando contingit ut *primi*, viri proceres, principes, divites in coelestem gloriam non perveniant (vel, si illam intrent, ut minorem gloriae gradum tantum assequantur): dum contra *novissimi*, i. e. plebeii, pauperes et humiles (quales erant Apostoli, de quibus sermo factus est in praecedentibus, v. 27-29) coelum obtineant, et magnam quidem gloriae copiam accipiant.

1ª explicatio praefertur propter 2 rationes.

a/ Quia verba 20, 16 *Multi enim sunt vocati* etc., in altera sententia non habent cum praecedentibus connexionem illam arctam quae indicatur per *enim*. Nam si novissimi dicantur praemium coeleste obtinere sicut primi, adeoque omnes salventur, conclusio debuisset esse: omnes sunt vocati et multi electi. Minus obvium est hunc tradere nexum (ut facit s. Chrys., patronus alterius sententiae): sicut praeter spem contigit, ut qui postea venerint prioribus pares fuerint, ita et hoc, quod majus est et mirabilius, accidet, scilicet novissimos obtenturos esse regnum coelorum, dum primi a regno excludantur (igitur futurum est ut novissimi non solum pares sint primis, sed longe meliores, *electi* prae eis): non enim omnes qui vocantur, salvantur; multi a salute deficiunt, pauci vero praemium consequuntur: et inter hos paucos sunt quandoque illi qui tardius fidem amplectuntur. Haec autem interpretatio paululum coacta longiusque quaesita videtur.

b/ Prima explicatio nobis magis arridet praesertim propter locum parall. L. de quo statim dicemus, in quo absque dubio de Judaeis gentilibusque agitur: nimirum

2° Eadem verba leguntur L. 13, 28-30, ubi asseritur Judaeos e regno Dei *expellendos* esse, et alios *venturos* esse *ab oriente et occidente, et aquilone et austro* (sc. gentiles), ut *accumbant in regno Dei:* atque ita, qui sunt *novissimi* (gentiles), erunt *primi*, et primi (Judaei) erunt novissimi.

§ 5bis. PARABOLA DE OPERARIIS VINEAE: 20, 1-16.

Praeced. vide post q. 535.

M. 20, 1. Simile est regnum coelorum homini patrifamilias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. 2 Conventione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. 3 Et egressus circa horam tertiam, vidit alios stantes in foro otiosos, 4 et dixit illis: Ite et vos in vineam meam, et quod justum fuerit dabo vobis. 5 Illi autem abierunt. Iterum autem exiit circa sextam et nonam horam: et fecit similiter. 6 Circa undecimam vero exiit, et invenit alios stantes, et dicit illis: Quid hic statis tota die otiosi? 7 Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite et vos in vineam meam. 8 Cum sero autem factum esset, dicit dominus vineae procuratori suo: Voca operarios, et redde illis mercedem incipiens a novissimis usque ad primos. 9 Cum venissent ergo qui circa undecimam horam venerant, acceperunt singulos denarios. 10 Venientes autem et primi, arbitrati sunt quod plus essent accepturi: acceperunt autem et ipsi singulos denarios. 11 Et accipientes murmurabant adversus patremfamilias, 12 dicentes: Hi novissimi una hora fecerunt, et pares illos nobis fecisti, qui portavimus pondus diei, et aestus. 13 At ille respondens uni eorum, dixit: Amice, non facio tibi injuriam: nonne ex denario convenisti mecum? 14 Tolle quod tuum est, et vade: volo autem et huic novissimo dare sicut et tibi. 15 Aut non licet mihi quod volo, facere? an oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? 16 Sic erunt novissimi primi, et primi novissimi: multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 17 Et ascendens Jesus etc. *Ante q. 540.*

Praenota hanc parabolam a solo M. referri. In graeco legitur *Simile enim est* etc.: istud *enim* arctam connexionem cum ult. versu capitis praecedentis indicat; vult Christus per parabolam de operariis elucidare quod dixerat, primos fore novissimos.

Animadverte etiam cum s. Chrys. « Non oportere in parabolis « omnia ad literam explorare, sed cum scopum parabolae didici- « mus, hunc decerpere, nec cetera curiosius examinare. » Exemplum sit illud *nemo nos conduxit:* nam « Quantum in se erat, Deus « omnes conduxit (s. Chrys.). »

Q. 538. 1° Narra parabolam *de operariis vineae.* 2° Ejus sensum et 3° finem seu loquentis consilium, secundum duplicem interpretum sententiam, indica.

R. ad 1m. Lege M. modo cit. *Simile est regnum coelorum patri*

familias: loquendi ratio impropria, pro : in regno coelorum, seu in Ecclesia, fit quid simile ei quod faceret pater familias, qui variis diei horis operarios conduceret, quique operariis horae 11ae eamdem mercedem ac ceteris (denarium (1) nempe singulis) tribueret, adeo ut isti novissimi essent ceteris feliciores. Atque haec quidem est universae parabolae summa et argumentum.

Quod attinet ad verba, pauca sunt explicanda.

1. *Exiit primo mane* : puta fuisse tempus vindemiae, adeo ut operarii requirerentur solito plures.

3 sq. *Hora 3a, 6a* etc. Dies, tam apud Romanos Graecosque, quam apud Judaeos, ab ortu solis usque ad occasum in 12 horas dividebatur, quae hieme breviores, aestate vero longiores erant (Vide *Byn. *De morte* ℱ. 3, 4, 44). Tempore aequinoctii hora 3a erat (completa), quando adest hora nostra 9 ante meridiem.

11. *Murmurabant.* Novimus, praesertim ex Act. Ap., Judaeos gentilium in Ecclesiam admissionem statim ab initio indigne tulisse. Cf. Rom. 10, 19.

13. *Amice,* εταιρε : familiari modo fit increpatio, cum levi quodam contemptu, sicut ignotos compellare solemus. Latini dicerent *bone vir, mi homo,* fl. *vriendje !* cf. M. 22, 12.

14. *Tolle quod tuum est :* salus Evangelica, secundum promissa veteris legis, Judaeis oblata fuit ; sed ipsi non acceperunt eam.

15. *Non licet mihi quod volo facere,* in graeco additur εν τοις εμοις, *in rebus meis ?* i. e. bona mea libere dispenso. *An oculus tuus nequam est quia ego bonus sum ?* Sensus est : An mea benignitas invidiam excitat tuam ? *Oculus,* ait, quia in oculis potissimum elucet invidia : Prov. 23, 5 *Ne erigas oculos tuos ad opes, quas non potes habere.* Ibidem v. 6, loco *invidi* habetur in hebr. *malus oculus;* pariter Prov. 28, 22; et Mc. 7, 22.

16. *Multi enim sunt vocati* etc. : hoc ut vere genuinum habendum est, quamvis non legatur in quibusdam codd. ; omissum fuit, forte quia difficilis est nexus cum praecedentibus.

---

(1) **Merces operariorum olim parva.** Denarius quanti valeret dicemus q. 1215. Ex parabola colligimus hanc fuisse consuetam operariorum mercedem : cf. Tob. 5, 14 in graeco *Quam mercedem dem tibi ? Drachmamne* (idem ac denarium) *in singulos dies ?* Exigua sane videtur pecuniae summa, sed notandum est monetas ea tempestate majoris pretii fuisse quam nunc. Hoc etiam militum erat stipendium : Tac. *Ann.* 1, 17 « Denis in diem assibus animam et corpus aestimari. »

Parabolae sensus et scopus juxta explicationem probabiliorem.

R. ad 2. Secundum sententiam quam in q. praec. adoptavimus, **parabolae sensus** sequens est: sic Deus, qui in ultima mundi aetate gentiles ad fidem seu ad Ecclesiam vocat, eos tam benigne tractabit, ut Judaeis, qui prius vocati fuerant, futuri sint feliciores. Quomodo autem melioris sortis? Quia pauci ex Judaeis, qui ad fidem vocantur omnes, fidem recipiunt et intrant in regnum Dei; vel, ut dicit Christus: *multi* eorum *sunt vocati*, i. e. omnes vocantur, *pauci vero* sunt *electi*, i. e. pauci credunt et justificantur, pauci fiunt mei discipuli.

Igitur *pater familias* est Deus; *vinea* est religio vera, tum sub V. T., quum praesertim sub N. T. (Ecclesia seu regnum coelorum); *procurator*, mercedis distributioni praepositus, est Christus, qui in ultimo judicio unicuique secundum operum merita praemium rependet; *operarii* in *foro* stantes, sunt homines, qui vivunt in mundo; *dies* laboris designat totum temporis spatium, quo genus humanum in terris existit, ab initio usque ad finem seculorum; *horae* 1^a, 2^a, 3^a et 9^a variae sunt partes (gall. *époques*) historiae Judaicae; per *horam* 11^m intelligitur ultima mundi aetas, a priore Christi adventu usque ad posteriorem, quo temporum spatio gentiles per totum orbem dispersi ad fidem admittuntur; tandem largitio aequalis mercedis (*denarii*) concessae iis qui minus laborarunt (qui non *portaverunt pondus diei et aestus*), quae quidem eos ceteris reddit feliciores (facit enim ut *novissimi sint primi*), significat gentiles, quod attinet ad regnum Dei, Judaeis praeferendos esse; aliis verbis, Judaeos de capite vertendos in caudam, et nos de cauda mutandos in caput, ut ait s. Hier. ex Orig.

Itaque non plane accuratum est, in hac sententia, dicere, per *denarium* significari vitam aeternam vel Evangelium: non enim vocem *denarium* seorsum sumere licet, sed oportet sensum tradere totius hujus sententiae: sc. eamdem mercedem inaequali labori reddi, proinde alium alii praeferri.

Scopus parabolae. R. ad 3^m. Ex dictis colligitur, in hunc finem tendere parabolam ut ostendatur gentiles melioris esse conditionis quam populum Israel, quod ad regnum coelorum spectat; aliis verbis, *novissimos primos* esse, et *primos novissimos*.

Quaestio supra posita ita solvenda est in sententia eorum qui parabolam ad gentiles cum Judaeis comparatos referunt. Hanc autem interpretationem probabiliorem opinamur, ut statim diximus q. 537; eique favet Ecclesia, quando dominica Septuag. hom. s. Greg. recitat. In ea enim dicitur: « Vineam esse universalem « Ecclesiam, quae ab Abel justo usque ad ultimum electum, qui in « fine mundi nasciturus est, quot sanctos protulit, quasi tot pal- « mites misit... Mane mundi fuit ab Adam usque ad Noe; hora « vero 3ª a Noe usque ad Abraham; 6ª quoque ab Abraham usque « ad Moysen; 9ª autem a Moyse usque ad adventum Domini; « 11ª vero ab adventu Domini usque ad finem mundi... Operator « mane, hora 3ª, 6ª et 9ª, antiquus ille Hebraicus populus designa- « tur...: ad 11ᵐ vero gentiles vocantur, quibus et dicitur: *Quid hic « statis tota die otiosi?* » Concinit s. Hil.

Sensus et scopus juxta aliorum explicationem.

In altera sententia, quam indicavi q. 537, secundum quam parabola singulos homines separatim sumptos respicit, alius est ejus finis aliusque sensus: nimirum *dies laboris* est vita uniuscujusque hominis; variae *horae* indicant varias vitae humanae aetates, *prima* infantiam, *tertia* pubertatem, *sexta* (qua hora sol velut in centro figitur, ait s. Greg. l. c.) maturam aetatem (in qua plenitudo roboris solidatur), *nona* (qua sol velut ab alto axe descendit) senectutem inchoatam, *undecima* vero ultimam senectutem vel decrepitam aetatem (ita s. Hier. et s. Greg., qui tamen etiam priorem sententiam tradunt). *Denarius* est gloria coelestis, quae datur omnibus iis qui ad finem vitae fideliter laboraverunt, sive cito sive tarde laborem susceperint; et ita porro: vide q. 537.

Ut plenior fiat sententiae nostrae explanatio, operae pretium est verba illa satis obscura *Multi sunt vocati, pauci vero electi* fusius examinare, atque loca adjungere parallela.

Multi vocati, electi pauci.

Q. 539. 1° Quoties Christus legitur dixisse *Multi sunt vocati, pauci vero electi?* In quibus rerum adjunctis? Quid significavit secundum diversas auctorum explicationes? 2° Licetne ex verbis illis certo concludere numerum Sanctorum in coelis damnatorum numero minorem esse?

Circa hanc materiam quaedam jam notavi supra, q. 256. Cf. etiam Excursum 28 ad calcem libri, q. 1127.

R. ad 1m. Bis hoc dixit Christus:

1° In conclusione parabolae de operariis vineae, ut confirmaret hanc sententiam *Erunt novissimi primi et primi novissimi*, nam statim subjunxit *Multi enim sunt vocati* etc. Hoc autem effatum alii aliter interpretantur.

a/ Explicatio 1a, quae ceteris probabilior nobis videtur. *Erunt novissimi primi*, gentiles in regno Dei feliciores erunt Judaeis; *primi* autem *erunt novissimi*, Judaei locum cedent gentilibus, non admittentur in regnum Dei, non salvabuntur: *multi enim sunt vocati, pauci vero electi*, i. e. nam ad Judaeos imprimis referri debet veritas illa generalis pauciores ex hominibus salvandos esse.

Ergo opinamur in verbis *multi sunt vocati* etc. exprimi sententiam generalem, quam Christus hic accommodat Judaeis, aequalibus suis. Multi ex hominibus sunt vocati ad fidem et gratiam et proinde ad gloriam coelestem (imo, quum Deus *velit omnes homines salvos fieri*, dicere debemus *omnes* vocatos esse), sed pauci vocationi isti respondent, quum *mundus totus in maligno positus sit*, pauci fidem amplectuntur et gratiam, saltem pauci vivunt secundum fidem, aut perseverant in fide et gratia; ergo pauci ad gloriam coelestem perveniunt. Si hoc generatim verum est quoad omnes homines, illud nunc praesertim verum reperitur quoad Judaeos Christi aequales, quum tam pauci ex ipsis fidem accipiant. Inde factum est ut gentiles in locum Judaeorum assumpti fuerint, et sic isti qui erant *novissimi* facti sint *primi*. S. Greg. videt etiam in verbis *Multi* etc. veritatem generalem ad omnes homines spectantem: « Valde, ait, terribile est quod sequitur *Multi sunt vocati, pauci* « *vero electi*, quia et ad fidem plures veniunt, et ad coeleste regnum « pauci perducuntur. »

b/ Alii sic explicant: multi vocantur, sed pauci speciale obtinent beneficium, ut hora 11a i. e. in fine vitae vocentur, idemque praemium ac ceteri consequantur; verbo, pauci sunt qui ex novissimis fiant primi. Sed, ut diximus in q. praec., sensus parabolae de conditione Judaeorum et gentilium quod attinet ad regnum Dei esse videtur.

c/ Alii (Bisp., Beel.): ad praemium vitae aeternae multi vocan-

tur (nam talem mercedem obtinent operarii 11ae et 9ae horae sicut ceteri), sed pauci eliguntur ad speciale praemium, puta ad illud de quo interrogabat Petrus 19, 27, et de quo Christus responderat: *Sedebitis vos super sedes* etc. Verum hic sensus parum obvius videtur, et nullus est nexus cum verbis proxime praecedentibus *Erunt novissimi primi;* nulla etiam connexio cum tota parabola, cujus tamen conclusio in verbis illis habenda est. Tandem omnes illae explicationes, 1a excepta, non admodum congruunt alteri Matthaei loco, in quo eadem occurrit sententia, et de quo nunc dicturi sumus.

2° Eadem verba iterum leguntur M. 22, 14, ubi parabolam concludunt de convivio ad quod invitati venire nolunt (Judaei), quare vocantur passim obvii in exitu viarum (gentiles). Obiter autem notat Christus non omnes gentiles, qui coenaculum i. e. Ecclesiam ingrediantur per fidem, salvandos esse: nam vir quidam e convivio ejicitur, propterea quod vestem nuptialem non habeat; quo significatur eum, qui praeter fidem charitatem seu gratiam sanctificantem non possideat, e coelesti gloria excludendum esse. Tunc Christus addit: *Multi enim sunt vocati* etc., et respicit ad praecipuam parabolae partem, nempe ad eam in qua dixit eos qui invitati fuerant (Judaeos) non fuisse dignos, ideoque viros quoslibet, in compitis et exitu viarum obvios, invitandos esse (gentiles): nam, ait, ad Judaeos merito refertur effatum hoc generale: *Multi* (omnes) *sunt vocati, pauci vero* divinae vocationi obediunt et salvantur. Hanc explicationem ceteris probabiliorem esse opiner ego. Cf. infra q. 578.

R. ad 2m. Ex interpretatione, quam adoptamus, juxta quam verba *Multi sunt vocati* etc. sumuntur sensu omnino generali, recte concluditur cum omnibus ss. Patribus et Doctoribus (q. 266 et 1127) minorem esse electorum seu Beatorum numerum.

Sed objicitur illam opinionem non convenire cum duabus parabolis, quarum conclusio per sententiam illam *Multi enim sunt vocati* etc. exprimitur. In priore enim *omnes* accipiunt denarium, seu mercedem per quam figuratur gloria coelestis; in posteriore vero, ex tanto numero eorum qui passim in plateis, qualescumque essent, boni aut mali, vocati fuerant, *unus tantum* ejicitur.

Resp. Parabola 1a, secundum nostram sententiam (supra q. 538

ad 2m), huc tantum spectat, ut operarii horae 11ae, sc. gentiles, melioris conditionis dicantur in regno Dei, a quo plerique Judaei excluduntur; adeoque *denarius* non significat gloriam coelestem, sed largitio eadem denarii concessa operariis hora 11ae significat hos ultimos melioris conditionis esse, seu *novissimos* factos esse *primos*. Sed quamvis melioris sint sortis relate ad Judaeos, vera tamen manet sententia generalis *multos vocatos esse, paucos vero electos*; igitur, non solum quod Judaeos attinet pauci erunt electi, sed generatim de omnibus hominibus dicendum est multos esse vocatos, pauciores vero vocationi obsequi et salvos fieri.

In 2a par. unus quidem ejicitur, sed multi non intrarunt.

§ 6. JESUS PASSIONEM ET MORTEM SUAM TERTIO PRAEDICIT: 20, 17-19.

Praeced. vide ante q. 538.

M. 10, 17. Et ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis: 18 Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte, 19 et tradent eum Gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget. 20 Tunc accessit etc. *Ante q. 541.*

Mc. 10, 32. Erant autem in via ascendentes Hierosolymam: et praecedebat illos Jesus, et stupebant: et sequentes timebant. Et assumens iterum duodecim, coepit illis dicere quae essent ei eventura. 33 Quia ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus sacerdotum, et Scribis, et senioribus, et damnabunt eum morte, et tradent eum gentibus: 34 et illudent ei, et conspuent eum, et flagellabunt eum, et interficient eum: et tertia die resurget.

L. 18, 31. Assumpsit autem Jesus duodecim, et ait illis: Ecce ascendimus Jerosolymam, et consummabuntur omnia quae scripta sunt per prophetas de Filio hominis. 32 Tradetur enim gentibus, et illudetur, et flagellabitur, et conspuetur: 33 et postquam flagellaverint, occident eum, et tertia die resurget. 34 Et ipsi nihil horum intellexerunt, et erat verbum istud absconditum ab eis, et non intelligebant quae dicebantur.

Connexio. Haec pericopa apud M. et Mc. cum praecedentibus non connectitur. Statui tamen potest aliquis interior sententiarum cognatio: Jesus proposito praemio Apostolos supra adhortatus est ad hoc ut ipsum sequerentur, nunc eos ad cruciatus suos praeparat, ne his offensi ab ejus doctrina recedant.

Notant tres Evangelistae, hanc praedictionem factam esse, quando iter Hierosolymam jam inceptum erat: quo magis appropinquabat tempus, eo plenius hac de re monendi erant discipuli.

Jesus, ait Mc., *praecedebat*, quasi iter coeptum properans; seu potius, tamquam dux fortissimus militum agmen antecedens.

Discipuli autem *stupent* et timent, quia recordantur periculorum quae, secundum praedictiones antea factas (M. 16, 21; 17, 22), Hierosolymis magistro suo obventura erant. Eorum praecipuos (Apostolos, *duodecim*) v. **17** *assumit secreto*, κατ' ἰδίαν *seorsum* ab aliis qui sequebantur : quae enim dicturus erat, turbae audire non debebant, ne nimis offenderentur. *Iterum*, ait Mc., eos assumit, quia Evangelista respicit ad ea quae dixerat antea 9, 31.

Q. 540. Quum Christus Hierosolymam ultimum peteret, et, ut videtur (M. 20, 29 collatis Mc. et L.), jam haud procul a Jericho esset, proinde Urbi appropinquaret, quid de se ipsemet praedixit ? Singillatim indica **septem circumstantias** quas tunc de Passione sua revelavit. Quasnam ex illis antea nondum patefecerat ?

R. Passionem, mortem et resurrectionem suam (1), quae mox futurae erant, distinctius et plenius quam antea (q. 1147), praedixit. In verbis ejus numeramus 7 circumstantias : 1° in *Jerusalem* illa eventura esse ; 2° *mortis sententiam* contra se ferendam esse a *principibus sacerdotum, et Scribis, et* (Mc.) *Senioribus*, i. e. generatim a Synedrio magno ; verumtamen 3° poenam capitis non a Judaeis, sed a *gentilibus* irrogandam esse. Se non solum occidendum esse a gentilibus, sed 4° *illudendum* et 5° *flagellandum ;* 6° per *crucis* supplicium se morti tradendum esse. Tandem 7° se *resurrecturum tertia die*. Antea non revelaverat 2^{m}, 3^{m}, 4^{m}, 5^{m}, et de 6° obscure tantum locutus fuerat, J. 3, 14 ; 12, 32.

Ut statim notavi, quo propinquius instabat tempus, eo clarius et distinctius explicabat singula tormenta variaque rerum adjuncta. Et re quidem vera, haec praedictio magis expressa est quam praecedentes ; postea vero M. 26, 2, biduo ante Pascha, jam ipsum mortis diem indicat, quod prius numquam fecerat. Tandem, in ultima coena, fere nominatim designat proditorem. In excursu ad calcem libri, q. 1147, omnes et singulas hac de re praedictiones enumerabimus.

Apostoli adhuc semper carnales.

Notat L., ut jam fecerat (L. 9, 45) occasione praecedentis praedictionis (de qua vide M. 17, 21), Apostolos *nihil horum intellexisse :*

(1) Iterum animadverte Jesum, quum mortem suam praediceret, fere semper de *resurrectione* sua locutum fuisse : vide supra not. marg. in q. 489.

hoc sensu, quod ista cum opinione vulgari de regno Messiae terreno conciliare non possent. « Usque adeo clare non intelligebant, « ait s. Chrys., ut filii Zebedaei statim accederent, et de primo « concessu loquerentur. » Qua quidem observatione ad § seq. apte transimus.

§ 7. FILII ZEBEDAEI PRIMAS SEDES PETUNT : 20, 20-24.

Praeced. vide ante q. 540.

M. 20, 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo. 21 Qui dixit ei : Quid vis ? Ait illi : Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram, in regno tuo. 22 Respondens autem Jesus, dixit : Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum ? Dicunt ei : Possumus. 23 Ait illis : Calicem quidem meum bibetis : sedere autem ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo. 24 Et audientes decem, indignati sunt de duobus fratribus. 25 Jesus autem vocavit eos etc. *Ante q. 543.*

Mc. 10, 35. Et accedunt ad eum Jacobus et Joannes filii Zebedaei, dicentes: Magister, volumus ut quodcumque petierimus, facias nobis. 36 At ille dixit eis: Quid vultis ut faciam vobis? 37 Et dixerunt : Da nobis, ut unus ad dexteram tuam, et alius ad sinistram tuam, sedeamus in gloria tua. 38 Jesus autem ait eis : Nescitis quid petatis : potestis bibere calicem, quem ego bibo : aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari ? 39 At illi dixerunt ei : Possumus. Jesus autem ait eis : Calicem quidem, quem ego bibo, bibetis, et baptismo, quo ego baptizor, baptizabimini ; 40 sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est. 41 Et audientes decem, coeperunt indignari de Jacobo et Joanne.

Nexus. Haec praecedentibus aliquatenus connectuntur, quum etiam hic de morte Jesu sermo habeatur. Apostoli in antegressa pericopa didicerunt Jesum et ignominias et dolores passurum esse; nunc in hoc § 7 monentur filii Zebedaei oportere ut, sicut ipse, multas tolerent res adversas : quod et ceteri Apostoli audierunt et ad se referre potuerunt, quum antea eis promissum fuisset honor sedendi cum Jesu in throno.

Q. 541. 1° Quid et qua occasione a Jesu petierunt filii Zebedaei? 2° Illudne rogarunt ipsimet, an vero personam adhibuerunt interpositam? 3° Quid respondit Jesus? 4° Num petitioni illorum annuit? 5° Quaenam fuerunt sensa aliorum Apostolorum, illa audientium? 6° Quomodo Dominus eos reprehendit?

R. ad 1m. Petierunt v. **21** *ut sederent unus ad dextram et unus ad sinistram* Christi *in regno ejus*, seu Mc. *in gloria ejus*, i. e. ut primam et secundam post ipsum dignitatem obtinerent in regno politico et gloriosissimo, quod falso putabant in terris a Messia instituendum esse, et mox quidem (ait s. Chrys.), quum jam prope Jerosolymam

essent. *Sedere a dextris* regis, est primum post ipsum locum occupare: cf. 3 Reg. 2, 19 mater Salomonis sedit *ad dextram* filii in solio; Ps. 109, 1 et M. 22, 44 *Sede a dextris meis, donec ponam* etc., ait Jehovah Messiae; M. 26, 64 *Videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei*, etc.

Occasio autem hujus petitionis fuisse videtur id quod Jesus statim dixerat v. 19, se ad vitam rediturum esse (ita s. Hier.); opinabantur enim illud regnum Messiae terrestre id temporis inchoandum esse (cf. Act. 1, 6). Forsitan etiam in verbo *sedere* habetur recordatio eorum quae Christus supra M. 19, 28: *Sedebitis et vos,* ait, *super sedes* seu thronos *duodecim:* atque haec est s. Chrys. sententia.

R. ad 2m. Secundum Mc. ipsimet illud rogarunt; sed M. diserte refert matrem eorum (Salomen (1), ut patet ex M. 27, 56 coll. Mc. 15, 40) petiisse pro ipsis: Evangelistae inter se conciliantur, si dicamus ipsos per matrem, quam ad precandum instigaverant, postulationem exposuisse, ut honestior esset forma rogandi, et impetratio facilior; unde Christus (ut notat s. Chrys.) non matri sed filiis respondit (2).

Matris interventus. Animadverte quomodo mater illa pudore afficiatur in petenda hujusmodi re: primum Jesum aliquantulum ab aliis discipulis abducit cum filiis suis, ut eum seorsum roget (ita s. Chrys., et videtur colligi ex v. 25 *vocavit eos ad se),* utpote erubescens de humano affectu, quo et ipsa et filii ejus ad petendum impellerentur. Dein rem desideratam distincte exprimere non audet *(petens aliquid),* et nonnisi postquam dixerat Jesus *quid vis?* aperte loquitur: *Dic ut sedeant* etc. A Lap. artem femineam videt in eo quod primum generali petitione Christum ligare studuerit, dicens: *Volumus ut quodcumque petierimus facias nobis* Mc.; sperabat enim fore ut posthaec res negari non posset: cf. 3 Reg. 2, 20. Jesus autem rogavit *Quid vis?* « non quod ignoraret, sed ut cogeret

(1) Salomen fuisse viduam, innuunt verba *mater filiorum Zebedaei:* alias quidni dicatur *uxor Zebedaei?* Sunt qui putent Zebedaei filios fuisse Jesu consanguineos, ideo quod *sororem matris ejus,* de qua J. 19, 25, opinentur eamdem esse ac *matrem filiorum Zebedaei* quam memorat M. 27, 56: id vero falsum esse bene probat Luc. Brug. in M. 1.

(2) S. Ambr. *de fide* 5, 5 matrem illam excusat, dicens petitionem ejus fuisse immoderatiorem quidem, sed tamen ignoscendam. « Etsi error, pergit, pietatis tamen error est; nesciunt enim materna « viscera patientiam. Nec inverecunda petitio, quae non sibi, sed liberis consulebat. Matrem consi- « derate, matrem cogitate. » Eamdem etiam s. Hier. a culpa eximit.

« respondere et ulcus detegere, ut remedium adhiberet (s. Chrys.). »

R. ad 3m. Jesus respondit v. **22**: *Nescitis quid petatis*, naturam regni mei, et conditionem qua honor specialis in eo acquiritur, ignoratis; aliis verbis, falso putatis illud fore terrenum et gloriosum, quum futurum sit spirituale multisque obnoxium oppugnationibus. Hoc innuit quidem Servator, sed non dicit aperte; igitur falsam eorum opinionem de regno suo non directe et simpliciter corrigit (idque nusquam facit, quando ad suos loquitur), sed indirecte tantum, per hoc nempe quod ipse secundum meliorem notitiam sui regni respondeat. Pergit enim et rogat eos: *Potestisne bibere calicem* cruciatuum *quem ego bibiturus sum?* i. e. num parati estis magnas subire poenas molestiasque quas ego patiar, ut ad praeclaram in coelis gloriam mecum perveniatis?

Calix in Scriptura imago est sortis tum felicis, tum miserae : Ps. 15, 5; 22, 5; 10, 7; 74, 9. In ore autem Jesu (M. 26, 39, 42; J. 18, 11 etc.) **calicem bibere** semper significat mala et adversa tolerare, sicut Is. 51, 17 et 22; Jerem. 25, 15; 49, 12; Ezech. 23, 31 sq.; Apoc. 14, 10; 16, 19; 18, 6. Marcus idem dicit sub alia figura: *Potestis baptismo quo ego baptizor baptizari?* estisne parati ad mei imitationem mergi in aquas aerumnarum et cruciatuum? (cf. L. 12, 50): haec autem verborum translatio saepissime occurrit in V. T., praesertim in Psalmis, v. gr. Ps. 17, 17; 68, 2, 16 etc. Vide *Comm.* nostr. *in Psalm.* 3a ed.

Lex vitae nostrae. Notate plane egregiam esse hanc Christi sententiam: « Per calicem, ait s. Greg. *H. 27 in Ev.*, pertingitur « ad majestatem. Si mens vestra appetit quod demulcet, prius « bibite quod dolet. » Haec est lex nostra, haec vitae regula:

Per crucem ad gloriam,
Per certamen ad coronam,
Per dolores ad gaudium,
Per laborem ad requiem,
Per desertum in Terram Promissam,
Per fidem ad visionem *intuitivam*,
Per mortem ad vitam!

R. ad 4m. Dominus non annuit eorum petitioni, neque etiam eam aperte repellit: etenim, cum interrogationi statim recitatae respondissent, amanter quidem et bona fiducia, ut patet ex sequentibus Christi verbis, sed nimis festinanter et inconsiderate (ex fervore, ait s. Chrys., nescientes quid dicerent: tantum potuerunt

quando virtute ex alto induti fuerant): cum, inquam, respondissent *Possumus*, puta, pro te et causa regni tui labores certaminaque subire: tunc Salvator duo dixit v. **23**, sc.

a/ *Calicem quidem meum bibetis* M., seu *baptismo quo ego baptizor baptizabimini* Mc., i. e. secundum s. Chrys., « Haec patiemini quae « ego patiar, violenta morte vitam terminabitis. » Mald. autem hanc interpretationem merito rejicit, quum s. Joannes mortem pro Christo non oppetierit. Sensus melior est: cruciatuum meorum participes eritis, gravissima sicut ego tormenta pro fide sustinebitis ([1]).

b/ *Sedere autem ad dexteram meam vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est a Patre meo.* De his verbis in q. seq. dicemus.

Apostoli adhuc imperfecti.

R. ad 5[m]. V. **24**. *Audientes decem* (qui aliquantulum quidem a Jesu erant remoti, cf. v. 25, sed non tam longe ut colloquium non possent audire) *indignati sunt*, non de matris audacia, quam noverant a filiis instigatam, sed *de duobus fratribus:* non autem fuerunt sensa rectae sanctaeque indignationis, sed per invidiam et superbiam aegre ferebant alios velle sibi praeponi. « Viden' quantum « imperfecti omnes essent! ait s. Chrys. » — « Nondum, ait id. « paulo ante, crux advenerat, nondum Spiritus gratia data erat... « Illorum imperfectiones revelat (Evangelista), ut postea scias « quales ex gratia facti sint. » — « Quales, ait s. Greg. *Hom. 30* « *in Ev.*, ante adventum Spiritus s. fuerint, scimus; et post adven- « tum illius, cujus fortitudinis facti sint, conspicimus. »

R. ad 6[m]. Vide q. 543.

Objectio contra Jesu divinitatem solvitur.

Q. 542. Ad **v. 23.** 1° A quo, quibus, et qua occasione dicta sunt verba: *Sedere ad dextram meam... non est meum dare?* ([2]) 2° Ea explica, ut pateat ea Arianis non favere.

R. ad 1[m]. Vide q. praeced.

---

(1) Haec praedictio eventu comprobata fuit, quando s. Jacobus ab Herode occisus fuit, Act. 12, 2; s. Joannes autem in dolium olei ferventis missus, deindeque in insulam Pathmos relegatus fuit.

(2) *Non est meum dare vobis:* pron. **vobis** ad scripturam Matthaei primigeniam non pertinet: **glossema est** ex causa dogmatica exortum, ut nempe verba Arianis non faverent; quasi sensus esset: non debeo dare *vobis* superbis, sed istis quibus paratum est a Patre meo, quique soli digni sunt.

R. ad 2m. Non significant Christum Deo Patri inferiorem esse, quod attinet ad naturam seu ad divinitatem : nam, vel ita loquitur Jesus tamquam homo, ut censet s. Aug. *De Trin.* 1, c. 12, hoc sensu : « Non humana potestate ista do », puta, seposita potestate mea divina ; quemadmodum apud M. 24,36 affirmat se ignorare diem et horam ultimi judicii. Vel, si ut homo-Deus loquatur, quod probabilius videtur (nihil enim reperitur in toto orationis contextu quod priorem innuat sententiam, adeo ut haec gratuito asseratur), merito animadvertit s. Chrys., non dici *Non est meum dare sed Patris mei*, verum *Non est meum dare sed quibus paratum est* (ita Mc., cui addit M. *a Patre meo*) ; atque ideo sensus est : *non est meum dare* huic vel illi pro libitu gloriam coelestem vel excelsum ejusdem gradum ; *sed* dabitur iis qui digni erunt, ergo iis quibus Pater, qui merita omnium praevidit, destinavit *(quibus paratum est a Patre meo)*, aliis verbis, iis qui legitimo certamine hanc merebuntur coronam (s. Chrys.). Non dicitur simpliciter *quibus paratum est*, sed additur apud M. *a Patre meo*, quia opera praedestinationis sunt Dei Patris, quatenus haec speciali modo ei accommodantur.

Opera Dei ad extra.

Ad pleniorem hujus intelligentiam, nota, opera Dei *ad extra* communia quidem esse tribus ss. Trinitatis Personis, sed opera *omnipotentiae*, ut creationem et praedestinationem, per accommodationem Deo Patri adscribi, opera vero *sapientiae*, ut illuminationem et revelationem quae facta est per Incarnationem, tribui Deo Filio seu Verbo, quemadmodum opera *sanctificationis*, quae fit per infusionem caritatis, ad Spiritum s. referuntur.

CONTIN. § 7. **HUMILITAS INJUNGITUR : 20, 25-28.**

Praeced. vide ante q. 541.

M. 20, 25. Jesus autem vocavit eos ad se, et ait : Scitis quia principes gentium dominantur eorum : et qui majores sunt, potestatem exercent in eos. 26 Non ita erit inter vos : sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister : 27 et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus : 28 sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, et dare animam suam redemptionem pro multis. 29 Et egredientibus etc. *Post q. 544.*

Mc. 10, 42. Jesus autem vocans eos, ait illis : Scitis quia hi, qui videntur principari gentibus, dominantur eis : et principes eorum potestatem habent ipsorum. 43 Non ita est autem in vobis, sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister : 44 et quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. 45 Nam et Filius hominis non venit ut ministraretur ei, sed ut ministraret, et daret animam suam redemptionem pro multis.

Cf. L. 22, 25-27. Nota pericopam apud M. et Mc. arcte cum praecedenti connexam esse. Loquitur Jesus contra crassam illam de regno Messianico opinionem, qua ambitio istorum tamquam fundamento nitebatur.

Q. 543. Quomodo Jesus reprehendit superbiam Apostolorum, occasione petitionis ambitiosae a filiis Zebedaei factae ?

R. Duplici argumento eos redarguit Salvator :

a/ Hujusmodi votum nonnisi falsorum numinum cultores decet, apud quos principes, et generatim quivis superiores civiles, fastu superbiaque inflari solent, v. **25:** *Principes gentium*, ait, *dominantur eorum* (genit. *eorum*, loco *eis*, est graecismus). Cum κατακυριευουσιν plerumque in malam partem accipiatur de dominatione superba, dura et injusta, sensus est : tyrannidem exercent in *eos*, potius in *eas* sc. gentes. *Et qui majores sunt*, οἱ μεγαλοι, magnates, primores, *potestatem* cum fastu *exercent in eos*. Haec autem sensa ethnicorum prorsus aliena sunt ab indole propria christianae religionis (*non ita erit inter vos*, v. **26**), adeo quidem ut qui in Ecclesia potestate ac auctoritate polleant, alios praecellere debeant humilitate et obsequio, imo vero v. **27** *servi* fidelium ipsis subditorum dicendi sint : cf. infra 23, 11 et 12 ; Mc. 9, 33-35.

b/ Praeterea sensa ista, ait v. **28,** exemplo meo sunt opposita : *ego* enim *non veni ministrari sed ministrare ;* et tale quidem ministerium praestabo, ut *daturus* sim *animam* seu vitam pro *redemptione* mundi : en summa ministrantis opera, suimet ipsius immolatio ! « Quantumcumque ergo te humiliaveris, non potes tantum descen- « dere, quantum Dominus tuus (s. Chrys.) ». Obiter innuitur magnum esse humilitatis fructum : per eam, ait Jesus, redimetur mundus ; vos etiam (supple) per eam ad regnum mecum pervenietis (s. Chrys. ad ment.). De *humilitate* cf. q. 509.

Christus mortuus pro multis, i. e. pro omnibus.

Q. 544. M. 20, 28 Christus dicitur animam dedisse redemptionem (1) *pro multis ;* pariter M. 26, 28, et Hebr. 9, 28. Quaeritur utrum ipse non mortuus sit pro salute *omnium ?*

R. Utique pro *salute omnium* mortem subiit : imo haeresis esset Jansenistica asserere ipsum pro *solis praedestinatis* mortuum esse

(1) *Redemptionem pro* etc.: λυτρον αντι κ. τ. λ.. *pretium redemptionis* (α λυω, *solvo*, ergo quod solvitur pro redimendo aliquo a morte, vel a servitute) *vice* etc. Αντι notat alterum in alterius locum fuisse substitutum : adeo ut hic aperte doceatur **mors Christi vicaria** et piacularis, sicut Rom. 5, 6 sq.

(cf. comm. nostr. in 1 Tim. 2, 4). Scriptura quidem dicit *pro multis*, verum loquitur de effectu seu fructu mortis Christi (non enim omnes reipsa justificantur et salvantur, cf. annot. nostr. ad Hebr. 9, 28) : « Non dixit, ait s. Hier., animam suam redemptionem dare « pro *omnibus,* sed *pro multis*, id est pro his qui credere voluerint. » Christus igitur hic non loquitur de mente sua (vult enim omnes salvos fieri, et hunc finem vere sibi proposuit, cum pro hominibus mortuus est), neque de sufficiente pretio quod ipse solvit in cruce (hoc enim tam magnum est, ut omnia universi generis humani peccata expiare valeat). Ideo alibi affirmatur, et saepius quidem, eum pro *omnibus* mortuum esse, v. gr. 2 Cor. 5, 15 (vide *comm.* nostr. *in Epist. Paul.* 6ª ed. 1899). In ep. ad Rom. 5, 15 vox *multi* adhibetur pro *omnes*, ut patet ex v. 18 ib., ubi aperte dicitur Christum venisse pro justificatione *omnium* hominum : quod confirmatur ex Rom. 8, 32 *Pro nobis omnibus tradidit* (Deus) *illum*. Cf. etiam 1 Tim. 2, 6 ; Hebr. 2, 9 ; 1 Joan. 2, 2.

§ 8. DUO CAECI PROPE JERICHO : 20, 29-34.

Praeced. vide ante q. 543.

M. 20, 29. Et egredientibus illis ab Jericho, secuta est eum turba multa : 30 et ecce duo caeci sedentes secus viam, audierunt quia Jesus transiret : et clamaverunt, dicentes : Domine miserere nostri, Fili David. 31 Turba autem increpabat eos ut tacerent. At illi magis clamabant, dicentes : Domine, miserere nostri, Fili David. 32 Et stetit Jesus, et vocavit eos, et ait : Quid vultis ut faciam vobis ? 33 Dicunt illi : Domine, ut aperiantur oculi nostri. 34 Misertus autem eorum Jesus, tetigit oculos eorum. Et confestim viderunt, et secuti sunt eum. 21, 1. Et cum appropinquassent etc. *Post q. 547.*

Mc. 10, 46. Et veniunt Jericho : et proficiscente eo de Jericho, et discipulis ejus, et plurima multitudine, filius Timaei Bartimaeus caecus, sedebat juxta viam mendicans. 47 Qui cum audiisset quia Jesus Nazarenus est, coepit clamare, et dicere : Jesu Fili David, miserere mei. 48 Et comminabantur ei multi ut taceret. At ille multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. 49 Et stans Jesus praecepit illum vocari. Et vocant caecum dicentes ei : Animaequior esto : surge, vocat te. 50 Qui projecto vestimento suo exiliens, venit ad eum. 51 Et respondens Jesus dixit illi : Quid tibi vis faciam ? Caecus autem dixit ei : Rabboni, ut videam. 52 Jesus autem ait illi : Vade, fides tua te salvum fecit. Et confestim vidit, et sequebatur eum in via.

L. 18, 35. Factum est autem, cum appropinquaret Jericho, caecus quidam sedebat secus viam mendicans. 36 Et cum audiret turbam praetereuntem, interrogabat quid hoc esset. 37 Dixerunt autem ei, quod Jesus Nazarenus transiret. 38 Et clamavit dicens : Jesu, Fili David, miserere mei. 39 Et qui praeibant increpabant eum ut taceret. Ipse vero multo magis clamabat : Fili David, miserere mei. 40 Stans autem Jesus jussit illum adduci ad se. Et cum appropinquasset, interrogavit illum, 41 dicens : Quid tibi vis faciam ? At ille dixit : Domine, ut videam. 42 Et Jesus dixit illi : Respice, fides tua te salvum fecit. 43 Et confestim vidit, et sequebatur illum magnificans Deum. Et omnis plebs, ut vidit, dedit laudem Deo.

Hoc miraculum videtur aliquatenus praeparare quae in § 9 seq. narrabuntur : nam multi sane eorum qui illud viderunt, et ipsimet caeci, partes habuerunt in ingressu Jesu triumphali.

Concordia historica. Mc. de *uno* tantum caeco loquitur, nempe Bartimaeo, quem Jesus, postquam Jerichunte profectus est, sanavit; L. etiam narrat uni visum fuisse restitutum, sed *ante ingressum* in illam civitatem; M. vero mentionem facit de *duobus* caecis *post egressum* ex oppido sanatis: quomodo inter se **conciliantur tres Evangelistae?** — Ex variis auctorum sententiis, haec Patritii, Bisp. et Beel. mihi magis arridet : unum ante ingressum, alterum vero post egressum sanatum fuisse; a M. autem utrumque factum in unam contrahi narrationem.

Obiter nota duo facta hic a M. praetermissa fuisse; namque ex L. 19 novimus Jerichunte Zachaeum verbis Jesu ad meliorem frugem se recepisse, ibique ea occasione parabolam de decem minis editam fuisse.

Jericho ubi sita. Quid Jesus in ea.

Q. 545. Quum de Jerichunte prima apud M. occurrat mentio, petitur 1° ubi sita esset civitas illa; 2° quid in ea legatur Jesus fecisse.

R. ad 1m. Sita erat in valle Jordanis, 60 stadia (Jos. *B. J.* 4, 8, 3) i. e. circiter 12 *kilom.* a flumine, et 150 stadia (Jos. l. c.), fere 28 *kilom.*, a Jerusalem; tribusque leucis a Mari Mortuo distabat. Olim civitas erat insignis (Fl. Jos. eam vocat *felicissimam*) et celebris, quam Josue ope divina expugnavit, ubi habitabat Propheta Eliseus cum aquas fontis haud procul inde scaturientis (qui nunc vocatur *Ain-es-Sultan*, quique hodiedum uberrimus est) per miraculum dulces reddidit; nunc autem parvulus et pauperrimus est vicus, vix 40 tuguria habens (1).

R. ad 2m. Quando Jesus ultimum illac transiit, paucos dies ante mortem, duo fecit opera mirabilia, alterum corporale, spirituale alterum: 1° duos sanavit caecos, de quibus hoc § 7; 2° et Zachaeum, principem publicanorum, ad bonam frugem revocavit, L. 19, 1-10 (tunc etiam parabolam de decem minis tradidit, ib. 11-27).

---

(1) **Palmae et rosae.** F. Liévin, *Guide* ed. 1876 : « Cet ancien séjour royal (sous Hérode-le-Grand) est aujourd'hui un misérable groupe de cabanes, à peine assez élevées pour s'y tenir debout, et habitées par environ 300 individus de l'aspect le plus sauvage. » Olim vocabatur *urbs Palmarum* (Deut. 34, 3; Jud. 1, 16; 3, 13), certe quia multae proceresque ibi erant palmae : « Aujourd'hui les « palmiers ont disparu, et on ne voit plus à leur place que des buissons et des arbres épineux (F. Liévin). » Mentio etiam fit de rosis ejus, tamquam pulcherrimis (Eccl. 24, 18 *quasi plantatio rosae in Jericho*) : hae vero, obiter sit dictum, non videntur intelligi plantulae istae, quae vulgo vocantur rosae Jerichuntis (*Anastatica Hierichuntina, filiculosa*). Ita F. Liévin, qui addit has ultimas in vicinia Hierichuntis a se numquam visas fuisse.

Q. 546. Narra cum omnibus rerum adjunctis sanationem duorum caecorum prope Jerichuntem factam.

R. Sequemur M., et cum eo duplicem sanationem in unam contrahemus (saltem probabilius est ipsum ita fecisse): igitur dicemus miraculum contigisse postquam Jesus Jerichunte egressus fuerat, in ultimo ejus itinere Jerosolymitano.

Aderat v. **29** *turba multa* (erat enim prope tempus Paschale, ideoque viae in Jerusalem erant maxime frequentatae), quae ipsum sequebatur; caeci autem cum audirent ipsum appropinquare, clamabant v. **30**: *Domine* etc.

31. *Turba increpabat eos ut tacerent*, certe ex reverentia erga Jesum, qui forte tunc sermonem cum discipulis vel cum populo haberet. « Dominus autem, ait s. Chrys., permittit ut silentium « ipsis imperetur, quo fervor eorum appareat. » *At illi magis clamabant:* quod et nos facere debemus, quando lumen divinae gratiae, quod pia precatione petimus, non statim conceditur. « Etiamsi Deus donum differat, ait s. Chrys., etiamsi multi abdu- « cant, ne petendi finem faciamus: sic enim maxime Deum attra- « hemus. »

Mc. narrat caecum, statim ut audierat se vocari a Jesu, *projecto vestimento suo* (το ἱμάτιον, *pallium*) exiliisse et venisse ad eum. Pallium certe abjecit, ut expeditius celeriusque currere posset. Pulcherrima est haec imago, qua ostenditur quomodo nos, caeci spirituales, ad vocem gratiae interiorem debeamus illico projicere omnia impedimenta, ut ad Salvatorem nostrum curramus atque ab eo illuminemur.

32. *Quid vultis?* Peti vult (notat s. Greg. *H. 2 in Ev.)* quod praenoscit, ut cor ad preces excitet, eorum fiduciam magis excitando, vel etiam ut turbam attentam reddat ad miraculum. *Aperiantur oculi nostri:* hoc saepe petamus nos caeci spirituales. *Secuti sunt eum:* qui lumen interius accipit, id obtinet in hunc finem, ut videat qua gradiatur Jesus, eumque sequatur.

N. B. Ista historia, ut liquet ex annotationibus nostris, in **homilia** de oratione apte adhibebitur.

P. II. JESUS IN URBE JEROSOLYMA. C. XXI-XXV.

Rerum conspectus seu factorum analysis.

Q. 547. Enumera secundum ordinem temporis omnia quae evenerunt quando Jesus ultimum Hierosolymis versatus est.

Resp. Jesus triumphum agit in ipsa urbe, in qua mox ignominioso afficietur supplicio (§ 9): auctoritatem, quam ita sibi conciliat, exerit, negotiatores e templo ejiciendo (§ 10), eamque adauget per miracula (§ 11a). Inimicitiae inde summae exoriuntur contra ipsum (§ 11b). Obiter et quasi actione interposita (§ 12) ficum arescere facit (ut sortem Judaeorum praefiguret), qua occasione vim orationis cum fide factae docet (ut suis animum addat eosque ad Passionem suam praeparet).

Inimicitiae, de quibus statim mentio facta est, jam provocant luctationem quamdam generalem contra Jesum, pugnam nempe de doctrinis, usquedum postea in Passione certamen fiat judiciale et sanguinarium. Igitur ipsum certatim aggrediuntur omnes ejus adversarii, qui vicissim confutantur omnes, adeo quidem ut tandem ad silentium redigantur, neque amplius audeant ipsum verbis impetere (§ 13). Deinde ipsemet Salvator eos, nunc devictos, sua vice strenue percellit, et quasi prostratos sua auctoritate conterit, dum acerrime in eos invehitur, larvamque simulatae virtutis eis detrahit coram turba (§ 14).

Post incidens quoddam factum a Mc. et L. narratum, de vidua quae duos nummulos in thesaurum ponit, Jesus ultimum ad turbam sermonem habet, quo ipsam quasi valere jubet, instantem mortem haud obscure praedicens: haec refert J.

Quum autem, ut statim dicebam, Jesus Synedristas prorsus et nihil parcendo coram omnibus obtriverit, manet ut mortem ejus, ab istis inferendam, exspectemus. Antea tamen calamitates Judaeis scelestis obventuras Apostolis longe lateque praedicit (eos igitur ad crimen quod committetur solerter praeparat per denuntiationem poenae secuturae), et cum istis calamitatibus connectit cladem postremo mundi tempore futuram, quippe quae per illas apte praefiguretur (§ 15).

Posthaec ad historiam Passionis, quam in 3ª Evangelii parte exponemus, deveniemus.

§ 9. INGRESSUS TRIUMPHALIS IN JERUSALEM. 21, 1-11.

Narratio Synopticorum ad quaedam capita commode ordinatur: eam prius recitabo. Postea referam quae habet J., quaeque factum illud alio modo describunt.

I. Secundum Synopticos.

a. Praeparatio.

Praeced. vide ante q. 545.

M. 21, 1. Et cum appropinquassent Jerosolymis, et venissent Bethphage ad Montem oliveti: tunc Jesus misit duos discipulos, 2 dicens eis: Ite in castellum, quod contra vos est, et statim invenietis asinam alligatam, et pullum cum ea: solvite, et adducite mihi: 3 et si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his opus habet: et confestim dimittet eos. 4 Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem: 5 Dicite filiae Sion: Ecce rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam, et pullum filium subjugalis. 6 Euntes autem discipuli fecerunt sicut praecepit illis Jesus.

Mc. 11, 1. Et cum appropinquarent Jerosolymae, et Bethaniae ad montem Olivarum, mittit duos ex discipulis suis, 2 et ait illis: Ite in castellum quod contra vos est, et statim introeuntes illuc, invenietis pullum ligatum, super quem nemo adhuc hominum sedit: solvite illum, et adducite. 3 Et si quis vobis dixerit: Quid facitis? dicite quia Domino necessarius est: et continuo illum dimittet huc. 4 Et abeuntes invenerunt pullum ligatum ante januam foris in bivio: et solvunt eum. 5 Et quidam de illic stantibus dicebant illis: Quid facitis solventes pullum? 6 Qui dixerunt eis sicut praeceperat illis Jesus, et dimiserunt eis.

L. 19, 29. Et factum est, cum appropinquasset ad Bethphage et Bethaniam ad montem qui vocatur Oliveti, misit duos discipulos suos, 30 dicens: Ite in castellum, quod contra est, in quod introeuntes, invenietis pullum asinae alligatum, cui nemo umquam hominum sedit: solvite illum, et adducite. 31 Et si quis vos interrogaverit: Quare solvitis? sic dicetis ei: Quia Dominus operam ejus desiderat. 32 Abierunt autem qui missi erant: et invenerunt, sicut dixit illis, stantem pullum. 33 Solventibus autem illis pullum, dixerunt domini ejus ad illos: Quid solvitis pullum? 34 At illi dixerunt: Quia Dominus eum necessarium habet.

b. Incessus triumphalis.

M. 21, 7. Et adduxerunt asinam, et pullum: et imposuerunt super eos vestimenta sua, et eum desuper sedere fecerunt. 8 Plurima autem turba straverunt vestimenta sua in via: alii autem caedebant ramos de arboribus, et sternebant in via. 9 Turbae autem quae praecedebant, et quae sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna Filio David: benedictus, qui venit in nomine Domini: Hosanna in altissimis. 10 Et cum intrasset etc.

Mc. 11, 7. Et duxerunt pullum ad Jesum: et imponunt illi vestimenta sua, et sedit super eum. 8 Multi autem vestimenta sua straverunt in via: alii autem frondes caedebant de arboribus, et sternebant in via. 9 Et qui praeibant, et qui sequebantur, clamabant, dicentes: Hosanna: 10 benedictus qui venit in nomine Domini: benedictum quod venit regnum patris nostri David: Hosanna in excelsis.

L. 19, 35. Et duxerunt illum ad Jesum. Et jactantes vestimenta sua supra pullum, imposuerunt Jesum. 36 Eunte autem illo, substernebant vestimenta sua in via. 37 Et cum appropinquaret jam ad descensum Montis oliveti, coeperunt omnes turbae discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna super omnibus, quas viderant virtutibus, 38 dicentes: Benedictus, qui venit rex in nomine Domini, pax in coelo, et gloria in excelsis.

c. Sensa Pharisaeorum.

L. 19, 39. Et quidam Pharisaeorum de turbis, dixerunt ad illum: Magister, increpa discipulos tuos. 40 Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt.

d. Jesus flet super urbem.

L. 19, 41. Et ut appropinquavit, videns civitatem flevit super illam, dicens: 42 Quia si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi, nunc autem abscondita sunt oculis tuis. 43 Quia venient dies in te: et circumdabunt te inimici tui vallo, et circumdabunt te: et coangustabunt te undique: 44 et ad terram prosternent te, et filios tuos, qui in te sunt, et non relinquent in te lapidem super lapidem: eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae.

e. Urbem intrat.

M. 21, 10. Et cum intrasset Jerosolymam, commota est universa civitas, dicens: Quis est hic? 11 Populi autem dicebant: Hic est Jesus propheta a Nazareth Galilaeae. 12 Et intravit etc. *Ante q. 560.*

Mc. 11, 11. Et introivit Jerosolymam in templum: etc.

L. 19, 45. Et ingressus in templum, coepit ejicere etc.

II. Secundum s. Joannem.

J. 12, 12. In crastinum autem turba multa, quae venerat ad diem festum, cum audissent quia venit Jesus Jerosolymam: 13 acceperunt ramos palmarum, et processerunt obviam ei, et clamabant: Hosanna, benedictus qui venit in nomine Domini, Rex Israel. 14 Et invenit Jesus asellum, et sedit super eum, sicut scriptum est: 15 Noli timere, filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asinae. 16 Haec non cognoverunt discipuli ejus primum: sed quando glorificatus est Jesus, tunc recordati sunt quia haec erant scripta de eo: et haec fecerunt ei. 17 Testimonium ergo perhibebat turba quae erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento, et suscitavit eum a mortuis. 18 Propterea et obviam venit ei turba, quia audierunt eum fecisse hoc signum. 19 Pharisaei ergo dixerunt ad semetipsos: Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abiit.

Rerum series. Jesus Jerichunte iter faciens Hierosolymam, transire debuit per Bethaniam (vicum qui 15 stadia, i. e. circiter 3 *kilom.*, ab urbe distat, orientem versus), et ibi uno die quievit, ut narrat J. 12, 1, 12: eo autem advenit *ante sex dies Paschae*, i. e. sex dies ante Pascha, nimirum sabbato ante hebdomadem sacram; seu potius feria VI vespere, quia die sabbati iter sistendum erat; et certe apud Lazarum hospitio exceptus fuit. Die autem sabbati in domo Simonis Leprosi adfuit convivio, inter quod unctus fuit

a Maria sorore Lazari (1). Sequenti vero die (die dominica) ingressum in urbem solemniter fecit.

Consideratio praevia: De pulchra oeconomiae et sapientiae ratione in triumpho Jesu.

Q. 548. Quaenam jam fit immutatio in vita Jesu? Quare nunc insolita pompa?

Resp. Ad ultimam et memorabilissimam vitae Dominicae partem jam appropinquamus. Ecce Jesus ingredietur Hierosolymam, ubi post paucos dies magnum suimetipsius sacrificium in ara crucis consummabit. Ab hoc momento haud exigua **in ejus agendi et docendi ratione fiet immutatio**: deinceps, palam et in urbe quidem regni capite, sese ut Messiam ostendet, suosque inimicos aperta fronte oppugnabit, nullo pristinae prudentiae moderamine, quo eos minus offenderet aut eorum iram odiumque praecaveret, adhibito: novit enim suum instare diem; eum intrepide intuetur, et caritas urget eum: imo vero sponte et laetus ad certamen, seu potius ad victoriam, procedit. Immolabitur ut *victima*: haec autem, secundum ritum sensu haud vacuum, in sacrificiis omnium fere gentium usitatum, floribus coronetur oportet. Ideo humilem vitae conversationem, quam hactenus observavit, praetermittens, honores pompae triumphalis sibi conciliabit, et tamquam rex gloriosus urbem suam regiam plaudente populo victor intrabit. Nunc igitur possessionem sumet Hierosolymae, Urbis illius sacrae quae centrum erat theocratiae Veteris Test., et figura Sionis coelestis seu Ecclesiae.

Humilis in triumpho. Obiter nota in ipsomet triumpho quaedam esse humilitatis et simplicitatis indicia, ad significandum regnum Christi plane diversum esse a regnis hujus mundi: sic utitur *asino*, animali pacifico, non *equo* bellis destinato; sic progreditur absque militibus et armis etc., q. 552.

Spectaculum illud novum, semel in vita ejus oblatum, prima specie nos percellere atque attonitos reddere forsitan posset.

---

(1) Opinamur idem intelligi convivium, de quo J. 12, 2, et tardius M. 26, 6 coll. Mc. 14, 3: probabile enim est M. et Mc. narrationem hujus facti serius retulisse, ut historiam Judae proditoris per eam introducerent: vide q. 730.

Quare, cum s. Chrys. quaedam hic praefari juvat, eo vel magis quod admirabilem rerum omnium oeconomiam, et consecutionem in historia Salvatoris sensim et ex ordine progrediente, inde melius perspiciemus. « Saepe, ait s. ille Doctor, Jesus venerat « Jerosolymam ; sed numquam cum tanto apparatu. Quae igitur « causa fuit ? Illa priora erant exordia oeconomiae ; neque ipse « admodum notus erat, neque passionis tempus erat proximum : « quapropter indiscriminatim cum illis [aliis Judaeis] tunc misce- « batur ; imo sese occultabat : neque enim admirationi fuisset, si « ita se exhibuisset, et illi in majorem iram exarsissent. Postquam « autem potentiae suae idonea dederat experimenta, cum crux in « januis esset, clarius seipsum revelat, et cum majori celebritate « facit omnia, quae possent illos postea urere. »

Infra, q. 557, plenius et distinctius conglobabimus omnes rationes propter quas Salvator pompam illam admittere voluit.

Q. 549. Flos splendet, cum fructus advenit : hic autem mox cadit ut renascatur.

Liceat sententiam nostram per similitudinem, ab usu s. Scripturae haud alienam, exponere.

Christus, *Flos* ille divinus, qui de *surculo Jesse* ascendit, in eo jam est ut in *fructum* convertatur : quo momento oportet, secundum consuetas naturae leges, ut se totum expandat, omnesque suaveolentiae et speciei suae divitias demonstret : sed altissimum pulchritudinis gradum vixdum attinget, cum splendida corollae foliola marcescent et decident. Atque adeo summae gloriae ignominia summa statim succedet : donec fructus, in terra sepultus, in novam plantam, longe excellentiorem, resurgat ; seu, ut ait J. 12,24, donec *granum cadens in terram,* ibique *mortuum, multum fructum* afferat. Jesus itaque a triumphali pompa ad patibulum crucis, et ex tenebricoso sepulcri carcere ad splendorem resurrectionis et Ascensionis procedit.

Quanta sit imaginum sublimitas, quanta narrationis magniloquentia, in scenis istis oppositis, nemo non videt. **In Evangelii simplicitate ars** artificis supremi refulget **mirabilissima !**

Ex dictis explicatur quare divina Providentia rerum causas et casus ita disposuerit, ut paulo ante cruciatus honor ille plane singularis Servatori tribueretur. Manet ut paucis dicamus, quinam

fuerint eventus divinitus ordinati, qui occasionem triumpho illi proxime dederint.

Q. 550. Occasio proxima istius triumphi.

Prima et praecipua occasio fuit praeclarissimum miraculum, certe maximum omnium quae fecit Jesus (q. 1114), quod haud diu antea, Bethaniae, in loco urbi vicino, peregerat, quando Lazarum jam putrefactum solo jussu ad vitam revocaverat, quodque tam magnam Hierosolymis excitaverat admirationem, ut testetur J. 12,9 multos Judaeos, pridie ingressus triumphalis, Bethaniam venisse ad videndum Jesum et Lazarum : isti reversi in urbem, famam de certitudine miraculi et de adventu Jesu sparserant. Altera occasio forsitan fuit sanatio duorum caecorum, quae uno alterove die antea Jerichunte contigerat, et coram *multa* quidem *turba*.

I. De iis quae triumphum praecesserint.

Q. 551. Facta varia, quae ingressum triumphalem proxime praecesserint, refer et expone.

R. Dies erat dominicus hebdomadis sacrae : Jesus Bethaniae, certe in domo Lazari, pernoctaverat; mane ad urbem tendit v. 1. Cum autem prope **Bethphage**, (בֵּית פַּגֵּא, *domus ficus*) viculum (*villulam*, ait s. Hier.) in latere orientali montis Oliveti, ad occidentem Bethaniae ut videtur (1), advenit, duobus discipulis v. 2 : *Ite*, ait, *in castellum quod contra vos est* (sc. Bethphage, non Bethaniam, ut opinatur Allioli; nam teste J. Bethania veniebat) : ipse vero villulam non intrat, sed reditum discipulorum, qui pullum asini ad eum adducere debent, expectat. *Statim*, ait, ac introibitis in castellum, *invenietis asinam alligatam et pullum cum ea ; pullum*, inquam, *super quem nemo adhuc hominum sedit* (decebat ut Dominus primus eo uteretur) ; *solvite et adducite mihi* (2). V. 3 *Et si quis vobis* etc.

(1) Ita traditio localis : ibi nuperrime, ut refert F. Liévin, reperta fuerunt fundamenta domuum. Protestantes (Winer, Smith) contendunt Bethphage ad *orientem* Bethaniae situm fuisse, propterea quod L. 19, 29 primum nominatur in itinere Servatoris ab oriente (a Jericho) venientis. Verum ex collato J. novimus, Jesum, Bethania profectum, venisse prope Bethphage, et eo misisse discipulos. Haud improbabile est viculum hunc paulisper fuisse extra viam directam quae Bethania Hierosolymam ducebat.

(2) Christus solo pullo, non asina, opus habebat ; sed jubet eam etiam adduci, propterea quod sic facilius esset pullum allicere, quippe qui hactenus matri adhaesisset.

Res autem contingit sicut praedixerat Jesus, cujus quidem omniscientiam obiter animadvertamus oportet : pullum inveniunt ligatum *ante januam foris in bivio* Mc., et solvunt eum. Cum autem interrogantur quare hoc faciant, respondent : *Quia Dominus eum* (pullum) *necessarium habet* L. : tunc accepta licentia, asinam pullumque ad magistrum adducunt, v. **7**.

Turba duplex. Interea temporis, turba multa hominum, qui propter diem festum Paschatis jam propinquum ex variis regionibus confluxerant Hierosolymam, ex urbe egressa obviam Jesu venit, ramos palmarum manibus gestans, ac laeta clamans *Hosanna* etc. J. 12, 12 et 13. Quod quidem ut facerent isti, moti fuerant praesertim per insigne miraculum Lazari ad vitam revocati (*obviam venit ei turba, quia audierunt* audierant *eum fecisse hoc signum* J. 12, 18), ex quo concluserant Jesum esse Messiam. Turba porro illa sese adjungit alteri turbae, eorum qui Bethania cum Domino venerant, quique testabantur ex iis quae ibi viderant et audierant Lazarum vere resuscitatum fuisse, atque adeo suo testimonio confirmabant id quod viri primae turbae in urbe jam audierant. Vulgata J. v. 17 minus recte : *testimonium perhibebat turba quae erat cum eo quando Lazarum vocavit de monumento et suscitavit eum a mortuis*. Loco *quando* verte *quod* et pone virgulam post *cum eo*. Probe animadverte comitatum Jesu ingredientis in urbem ex duplici turba coaluisse.

Incipit incessus. Jam pullus praeparatur, nempe v. **7** *vestimenta* (pallium unius ex adstantibus) ei (1) imponuntur, et Jesus sedet super eum (2); v. **8** jam via ornatur, qua transeundum sit : alii pallia sua, alii ramos ab arboribus caesos frondesque in agro collectas sternunt in viam. Et incessus triumphalis mox incipit a loco illo Bethphagae vicino, qui duobus circiter milliariis ab Hierosolyma distat ; igitur antequam ad verticem montis Oliveti, ubi conspectus in urbem patet, perventum fuerat.

Quum in mentionem de Monte Oliveti primum incidamus, oportet, secundum consuetudinem in hoc opere servatam, quaedam

(1) Judaeorum pallium erat pannus magnus et quadratus. Matthaeus dicit vestimenta imposita fuisse super *eos*, i. e. super pullum asini et super matrem ejus, quia turba ignorabat utrumlibet adhiberet Jesus.

(2) *Eum desuper sedere fecerunt :* sed vera lectio est επεκαθισεν επανω αυτων, *insedit super ea*, sc. vestimenta.

de illo loco notare; sed melius erit illa ad calcem operis removere in Append. IV, Excurs. 40, q. 1152.

De Zachariae oraculo.

Q. 552. Ad v. **4** et **5**. Quaenam praedictio eventu confirmata fuit, quando Christus Hierosolymam cum pompa et apparatu ingressus est, *sedens super pullum asini*? Eam explica.

R. Diserte affirmant M. et J. impletam fuisse prophetiam Zach. 9, 9; quae quidem facilius pleniusque intelligetur, si totidem verbis ex hebraeo vertatur, secundum rhythmum poeticum membrorumque parallelismum: eam enim metrice conscriptam esse compertum est.

Exulta valde, filia Sion!
jubila, filia Jerusalem!
Ecce rex tuus veniet tibi,
justus et victor ipse (erit):
humilis et equitans super asinum,
et super pullum, filium asinarum.

Vulg. autem ita habet in libro Zach. *Exulta satis*, valde (σφοδρα apud 70), *filia Sion* בַּת צִיּוֹן i, e. incolae Sionis, exultate: *Sion* mons in quo pars urbis primaria collocata erat, dicitur pro Jerusalem, per synecdochen, ut patet ex sequentibus. *Jubila, filia Jerusalem*, nempe ob hanc causam: *Ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator* (in hebr. נוֹשָׁע proprie *salvatus*, i. e. victor, qui salvatus fuit in praelio): *ipse pauper* i. e. mitis, humilis (1), *et ascendens super asinam* (melius *super asinum* in masculino) *et super pullum filium asinae*. Hoc ultimum *et* explicantis est, idem ac *videlicet:* ex parallelismo, poetis Hebraeis familiarissimo, in altero membro repetitur quod in priore dictum fuerat.

Quare asinus, non equus. Rex autem ille (Messias) urbem ingredietur super asinum, absque regio vestimentorum ornatu, absque formidoloso principum apparatu, absque militibus et armis (*humilis*), tamquam rex pacificus et mansuetus: *asinus* enim,

1) Adject. *pauper* (hic in hebr. עָנִי) in Scriptura saepe habet sensum specialem et improprium: significat enim 1° *afflictum, miserum*, adjuncta pietatis notione, ut diximus q. 200 bis (cf. *pauvres pécheurs* in salut. angelica); 2° *mitem, humilem*, ut hic Zach. 9, 9.

tranquillitatis pacisque amicus, oneris patientissimus et laboris, pacem lenitatemque animi refert, utpote qui ad usus domesticos aptissimus sit; atque eatenus opponitur *equo,* qui apud Palaestinenses imprimis in bello adhiberi solet: Ps. 19, 8 *Hi in curribus, et hi in equis: nos autem in nomine Domini.* De cetero, asinus apud Orientales animal est nobile (1).

Nunc autem, locus ille Zachariae apud M. et J. non ad verba sed libere citatur. Etenim prior ita habet: *Dicite filiae Sion* (*filiae* est in dativo, ut patet ex graeco), loco *Exulta, filia Sion.* Certe Evangelista respicit ad Is. 62, 11 *Dicite filiae Sion: Ecce Salvator tuus venit.* Dein pergit M. *Ecce rex tuus venit tibi mansuetus* i. e. humilis (duo praetermittit epitheta *justus et salvator*), *sedens super asinam* (2), *et pullum* (*et* explicantis particula, *nempe, nimirum* super pullum), *filium subjugalis,* i. e. pullum animalis jugo assueti: poeticus eloquendi circuitus pro *pullum asini.* J. autem ita: *Noli timere* (loco *exulta valde, jubila*), *filia Sion: ecce rex tuus venit sedens super pullum asini.* Plura quidem omittit, sensum vero satis exprimit.

Hactenus de iis quae triumphum proxime praecesserunt: nunc autem ea quae ad ipsum ingressum pertinent exponere oportet.

II. Ipsemet incessus triumphalis describitur.

Q. 553. Collatis quatuor Evangelistis, incessum Jesu triumphalem ex ordine describe, iis additis annotationibus, quae factum illustrare et ad vulgarem populi christiani sensum accommodare possunt.

R. Quae praecesserunt jam exposuimus supra q. 551. Simul atque Jesus in pullum asini ascenderat, incipit incessus triumphalis.

---

(1) Asinum fuisse **animal nobile,** colligitur ex Jud. 5, 10; 10, 4, ubi principes super asinos sedisse dicuntur; atque ex his 3 Reg. 1, 33 *Imponite Salomonem filium meum super mulam meam.* Et jam ab antiquissimo tempore mos erat nobilium asinis vehi: ita Abraham Gen. 22, 3; Moyses Ex. 4, 20; Balaam Num. 22, 21. Ceterum, notum est istud animal in regione Orientali multo esse alacrius et pulchrius quam apud nos: quare laudi vertitur quod Issachar *asinus fortis* appelletur Gen. 49, 14. — Obiter nota alibi in Evang. non legi Jesum ad iter faciendum asino, aut equo, aut curru usum fuisse: cum per tres annos et amplius totam peragravit Palaestinam, semper, ut videtur, pedes incedebat.

(2) Vox graeca ονον est utriusque generis: debuisset hic verti in masc. genere *asinum,* quia Christus super solum pullum, non autem super matrem ejus, sedit, ut praedixit propheta, et ut aperte tradunt Mc., L. et J.; quamvis tamen mater simul cum pullo adducta fuerit, ut vidimus in q. praeced. Nec obstat M. v. 7 *desuper* επανω αυτων *super eos* vel *super illa:* nam hoc refertur ad *vestimenta,* vel locutio est infinita. Igitur Lucae Brug. et A Lap., qui putant Jesum prius asina et dein pullo usum fuisse, haud assentiri velim.

Via ornatur, v. 8. Ingens adest multitudo hominum, qui manibus gestant *ramos palmarum* (1) (gr. ante utrumque vocabulum est art., qui indicat palmas ibi obvias), quique partim praeeunt, partim vero sequuntur. *Duplex* enim erat *turba*, ut supra jam diximus, una quae ex urbe occurrebat Jesu, et coalescebat praesertim ex Judaeis peregrinis qui venerant ad Pascha ; altera vero composita erat ex iis qui Jesum a Bethania comitabantur, inter quos certe multi erant Galilaei, Jesu addictissimi. Qui autem praecedunt, *vestimenta sua* certatim sternunt, dum progreditur Salvator (*eunte illo* L.), i. e. juxta iter expandunt pallia (2) ; alii autem ramos de arboribus caedunt, nempe de palmis et oleis, quibus mons Oliveti confertissimus erat, eosque in viam spargunt M.

Intelliguntur rami teneri foliis induti viridibus, ut patet ex Mc. : στιβαδας (vel στοιβαδας) εκοπτον εκ των δενδρων, *ramusculos frondentes caedebant ex arboribus :* secundum aliam lectionem adoptatam a *Tischend., εκ των αγρων *ex agris*, caedebant frondes, virgulta, caules herbarum frondosas, verbo quidquid in locis vicinis reperiebant viride foliisque ornatum. Nota haec contigisse 20 Martii (hoc posito, quod 25 Martii Salvator obierit), quando in Palaestina, quae calida est regio, arbores ramis frondibusque jam virescunt atque agri vernant plenissime.

Mos in Oriente. Mos erat, ut nunc est in Oriente, ad ingressum regis viam ab utroque latere tapetis ornare pretiosis, vel floribus viridibusque foliis conspergere, in hunc quidem modum, ut in

---

(1) Obiter nota **ramos palmarum** arborum nostrarum ramis haud similes esse. Gall. dicam : Ce ne sont pas tant des *branches* proprement dites, que des *feuilles* ou *frondes* très-larges, pinnées, et bien longues (Nous parlons du palmier de Syrie et de Palestine, *phoenix dactylifera* Lin., appelé aussi *dattier*). Portées dans les mains par des hommes marchant en cortège, elles forment un aspect magnifique. — In signum laetitiae et triumphi palmas gestatas fuisse, colligimus ex 1 Mach. 13, 51 ; 2 Mach. 10, 7 ; Apoc. 7, 9 ; in textu graeco Judith 15, 12.

(2) **Pallia** sternebantur in signum honoris et venerationis : 4 Reg. 9, 13 *Unusquisque tollens pallium suum posuerunt sub pedibus ejus in similitudinem tribunalis*. Pallium autem, ut supra jam notavi, nihil aliud erat quam pannus magnus et quadratus, quo Judaei se circumdabant, quando exituri erant (Act. 12, 8 *Praecingere, et calcea te.., circumda tibi vestimentum tuum*), et qui a pauperibus etiam pro stragulo lecti adhibebatur : Ex. 22, 27 ; Ruth 3, 9 ; Ezech. 16, 8 ; idem etiam oneribus ferendis accommodatum erat, Ex. 12, 34 ; Jud. 8, 25 ; Prov. 30, 4 (cf. 1 Reg. 21, 9, ubi refertur gladium Goliathi pallio involutum fuisse). Pallium igitur pertinet ad id vestimentorum genus quod in Oriente necessarium est omnibus, etiam pauperibus ; eo vel magis quod in ista regione tempestas calida in frigidam sat subito mutetur. Praesertim noctes ibi, quemadmodum generatim in partibus meridionalibus, saepe frigidas esse, notum est omnibus. Ideo Christus Apostolis usum pallii interdicere noluit, M. 10, 10 : ideo etiam statuitur ut si pallium in pignus datum fuisset, ante noctem redderetur : q. 1006.

media via relinqueretur spatium vacuum per quod princeps transiret (Beel.). Ideo turba, quae Jesum praeit, pro tapetis pallia, et ramos arborum frondesque (1) pro floribus observantissima sternit.

Atque regio isto ornatu instruitur et praeparatur via, quae a latere orientali montis Oliveti Hierosolymam ducit; ab eo nempe loco, quo *ad descensum montis Oliveti appropinquatur* L, proinde antequam declivitas ipsa, a qua conspicitur jam civitas, attingatur: ibi, ut videtur, laetus ille incessus sumpsit initium.

Acclamationes turbae. Et ecce universae turbae *discipulorum* L. et aliorum, qui *praecedunt et sequuntur* (M. v. 9 et Mc.), *gaudentes laudant Deum voce magna super omnibus quas viderant virtutibus* L.: recogitant praesertim prodigium Lazari ad vitam revocati, ut notat J., et clamant dicentes M.: *Hosanna Filio David*, i. e. Messiae! *Benedictus qui venit rex in nomine Domini! Pax* sit *in coelo, et gloria* Deo *in excelsis* L.! *Benedictum, quod venit* (i. e. sit benedictio in Deum, seu benedicatur Deus, eo quod venit) *regnum patris nostri David* per Messiam restitutum! *Hosanna Deo in excelsis* Mc., vel *in altissimis* M., i. e. Deo qui in coelis habitat!

In illis autem clamoribus adhibentur verba celeberrima Ps. 117, 25, 26 (nota Psalmum illum in pluribus Messianicum esse): *O Domine, salvum me fac!* (hebr. *Hosannah*, i. e. *salva, quaeso:* ergo istud *me* delendum est, nec habetur apud 70: vide *Comm.* nostr. *in Ps.* ed. 3ª.) *O Domine, bene prosperare! Benedictus qui venit in nomine Domini!*

Quum Psalmus ille pertineret ad *Hallel* in Coena Paschali cantatum, acclamatio illa populo erat familiaris et saepe adhibebatur in gaudio publico: hic tamen videtur eo sensu a turba sumpta fuisse ut Jesus agnosceretur tamquam Messias.

Maximus autem ille animorum aestus, et turbae admiratio inaudita, explicantur praesertim per Lazari resuscitationem, ut notavi supra q. 550. Fama autem miraculi hujus confestim propagata fuerat inter Judaeos, qui id temporis frequentissimi Hierosolymam venerant ad Pascha celebrandum, quorum certe multi, ex Galilaea et Peraea oriundi, Jesu addicti jam erant pridem.

---

(1) Idem apud ethnicos factum legimus. Plutarchus enim in *Vita Canton. Utic.*: « Finito, inquit, « tempore, Provincia abeuntem non votis et praeconiis, sed lacrymis et insatiabili amplexu milites « prosequebantur, sternentes vestes per ea loca, quibus ipse pedibus iturus erat. »

Hosanna: vox est hebraea הוֹשִׁיעָה נָּא *Hoschiha na*, quae proprie significat *salva, quaeso!* fl. *geef toch heil!* Sed sensus etymologiae in desuetudinem abierat, et verbum factum erat laetissimi animi testimonium, atque acclamatio popularis, similis graeco Ιη Παιαν! et latino *Io triumphe!* cf. nostratium *Vivat! Hourrah!* De ista voce *Hosanna* erudite disputat s. Hier. *Ep.* 20 *ad Damasum Papam.*

Inimici refragantur. Pharisaei autem, tantum animorum impetum tantamque admirationem tam ingentis multitudinis cum videant, invidia et stomacho corripiuntur, dicentes inter se invicem: *Videtis quia nihil proficimus? Ecce mundus totus post eum abiit* J. Quidam ex illis ipsum Jesum compellare audent: *Magister*, aiunt, *increpa discipulos tuos*, quasi vero discipuli clamarent soli et non tota turba. *Quibus ipse ait: Dico vobis, quia si hi tacuerint, lapides clamabunt* L., i. e. clamores mihi et plausus merito movent: tot enim miraculis Messiam verum me demonstravi, ut vel ipsi lapides me agnoscerent ac palam profiterentur (locutio proverbialis). Aliam responsionem simili quaestioni Jesus postridie dedit, M. 21, 15 sqq.

INTERJECTA NARRATIO (EX L. 19, 41-44).

Q. 554. Jesus Jerosolymae calamitati illacrimat.

Hic jam inserenda est narratio facti adventitii et secundarii (gall. *d'un épisode*), quae in tota serie historiae illius pulcherrimam inducit sententiarum oppositionem, adeoque sensa excitat tristitiae et miserationis in media triumphi laetitiaeque descriptione. Fletum dico Jesu, luctuosum Hierosolymarum fatum praedicentis. Rursum hic splendet *mira* scribendi *ars* in narratione Evangelica. Est quasi **umbra in tabella picta.**

Itaque, dum contingunt quae supra exposui, Servator lente progreditur ad urbem, identidem, ut videtur, gradum sistens, ut turbae praeeunti tempus concedat ornandi viam: illudque probabiliter colligitur vel ex hoc solo quod mane Bethania, quae 3 ad summum *kilom.* ab urbe distabat, profectus sit, et quando in Templum advenerat cunctaque circumspexerat, *vespera* jam esset, Mc. 11, 11.

Jam vero, statim ut urbi appropinquat, eamque aspectu percipit (L. 19, 41 sqq.), super illam lacrimas effundit amaras (1), dicens, vel sibimet ipse, vel iis qui proxime circumstant, sc. Apostolis : *Si cognovisses et tu*, sicut omnes illi qui mihi acclamant (2), *et quidem in hac die tua*, i. e. in hac die tibi propitia, in hac die in qua speciales tibi conceduntur gratiae ; *si cognovisses*, inquam, *quae* sunt *ad pacem tibi*, quae tibi afferre possunt salutem (*pax* eodem sensu ac hebr. שָׁלוֹם *salus*, *incolumitas*) : supple *quam felix esses ! quam optandum hoc tibi esset !* Animadverte apodosin illam praetermissam fuisse ex vehementi tristitia qua Jesus afficiebatur, cum recogitaret votum istud fore inane.

Praedictio accuratissima.

Nunc autem (i. e. sed), pergit Jesus, haec quae ad pacem sunt tibi, *abscondita sunt oculis tuis*, quia ea videre non vis. Ecce *venient dies in te* (3), *et inimici tui* (Romani, duce Tito) *circumdabunt te vallo, et circumdabunt te* (potius ex graeco *ab omni parte cingent te*, i. e. turmas militum circumquaque constituent), *et coangustabunt te undique*, i. e. magis magisque compriment te, obsidionis circulum contrahentes, donec tandem armorum vi te expugnent : *et* tunc *ad terram prosternent te*, funditus destruent aedificia tua, *et filios* incolas (4) *tuos qui sunt in te* supple *ad terram prosternent*, i. e. in terram collident; *et non relinquent in te lapidem super lapidem, eo quod non cognoveris tempus visitationis tuae*, i. e. quia non agnovisti Messiam qui ad te venit ut te salvaret (5). — Infra, ad M. 24, 21 describitur ista calamitas.

---

(1) Εκλαυσεν, non in silentio sicut coram sepulcro Lazari εδακρυσεν, sed alta voce (*sanglotter*). Quae quidem significatio verbi κλαιω ex aliis N. T. locis eruitur : sic Petrus *flevit amare* εκλαυσε M. 26, 75 ; praeficae κλαιουσι Mc. 5, 38 ; Maria vadit ad sepulcrum fratris *ινα* κλαυσῃ εκει J. 11, 31 ; *Rachel plorans filios* κλαιουσα M. 2, 18.

(2) Illi maximam partem non erant Hierosolymitani, sed Judaei qui ex variis regionibus, praesertim e Galilaea et Peraea, Hierosolymam ad Pascha celebrandum venerant.

(3) L. *quia venient :* istud *quia* vel redundat, *dico quia venient ;* vel rationem reddit praecedentis exclamationis : Quam salutare esset tibi hoc scire, nam terribilissimam cladem, quae in te veniet, ita evaderes.

(4) Incolae urbis *filii* ejus vocantur, per hebraismum : Gesen. *Lex.* בַּת, בֵּן.

(5) **Historia obsidionis.** Quam accuratissimam esse brevem hanc obsidionis descriptionem, singulaque ejus verba mirabili ακριβεια selecta fuisse, cumulate demonstratur ex opere De Saulcy, *Les dern. jours de Jérus.* 1866, in quo scriptor ille eruditissimus historiam Flavii Josephi de clade

Homiliticum. Obiter nota hunc Evang. locum, de fletu Jesu super urbem in malo obduratam, ab oratore sacro recte accommodari posse animae perversae et contumaci, ut fecit s. Greg. M. in *Hom. 39 in Ev.*

III. Ultima quae ad ingressum triumphalem spectant.

Q. 555. Jesus, detersis lacrimis, cum turba laetante a monte Oliveti in vallem Josaphat descendit, transit torrentem Cedron et v. **10** urbem intrat gloriosissimus, probabiliter per portam Auratam *(porte Dorée)*, ad orientem Templi sitam (cujus vestigia hodiedum in muro ad meridiem portae s. Stephani conspiciuntur). Statim *commovetur universa civitas* M. dicens : *Quis est hic*, qui tamquam rex triumphans incedit ? Probabiliter id interrogant Jerosolymitani, non ex ignorantia et curiositate, sed ex contemptu, aut invidia et prava indignatione. V. **11** Populus autem, qui pompam ducit, respondet : *Hic est Jesus Propheta* (ὁ προφητης cum art., Propheta κατ' ἐξοχην, Messias) *a Nazareth Galilaeae*. Interea temporis Salvator recta pergit ad Templum Mc., tamquam ad domum suam paternam.

Pro repetitione et memoriae exercitatione seq. addimus quaest.

***Q. 556.** Circa ingressum Jesu triumphalem, quaeritur : 1° Quot dies ante mortem ejus institutus fuit ? 2° Ubi incepit et ubi finem habuit incessus solemnis ? 3° Undenam erant Judaei qui Jesum comitabantur ? 4° Quid faciebant et quid clamabant in honorem ejus ? 5° Explica, per mores in Oriente vigentes, id quod agebant. 6° Erantne inter multitudinem nonnulli Christi adversarii ? Quaenam erant istorum sensa ? 7° In media laetissimi triumphi descriptione, quosnam tristitiae et miserationis affectus expressit Christus ? — Responsa collige ex praecedentibus.

Quare Jesus hanc pompam regalem admittere voluit ?

Q. 557. Manet ut varias inquiramus rationes propter quas Dominus, praeter consuetudinem, regalem hanc pompam sibi ador-

---

Jerosolymitana fideliter sequitur et praeclare interpretatur. Confer ex. c. quae dicit de circumvallata urbe p. 308 sq., quibus explicantur verba L. *circumdabunt te vallo et ab omni parte cingent te.* Deinde lege quae narrat de Romanis magis magisque progredientibus, et urbem arctius *coangustantibus :* quae quidem ad sequentia rerum capita ex ordine revocari possunt. Campement sur le Scopus et sur le mont des Oliviers. — Campement devant la tour Psephina. — Prise de la 1e enceinte. Prise de la 2e enceinte. — Prise de la forteresse Antonia. — Attaque du temple. — Temple brûlé. La ville basse brûlée. — Enfin la ville haute prise, saccagée et livrée aux flammes (Extrait du journal du siége, rédigé par De Saulcy ib.).

nare voluerit. Hoc enim mirum nobis videri potest, ut supra q. 548 jam animadverti, quum nusquam simile quid fecisse legatur Jesus, imo vero constanter fugeret honores, et paulo ante ambitionis vitium severe reprehendisset, M. 20, 20-28.

Multiplices autem excogitari possunt rationes. Et 1° quidem id fecit ut regiae suae dignitatis quoddam daret indicium ; 2° Zachariæ oraculum eventu confirmaret, et verum Messiam se ostenderet. 3° Ut per ea quae post paucos dies secuta sunt, mundi gloriam auramque popularem inanem esse demonstraret. 4° Ut humiliationes contumeliasque, quas in Passione subiit, eo majores et acerbiores apparerent. 5° Igitur paulo post gloriam ignominiam assumpsit, ut immolatio sui ipsius plenior esset, Deoque gratior. Ac forsitan quid hujusmodi latet in vetustissimo illo ritu, qui sensu arcano certe non vacat, secundum quem victimae jamjam immolandae coronis floribusque exornari solebant. 6° Tandem ut triumphum suum de morte praefiguraret : cf. Bened. Palmar. in Missali Rom.

Quoties Jesus flevisse legitur ?

*Q. 558. Occasione fletus Jesu super Jerusalem, quaeritur : quoties, et quam ob causam, in N. T. legitur lacrimas a Christo fusas fuisse ?

R. Bis in Evang. flevit Dominus : 1° cum Lazarum ad vitam revocavit, J. 11, 35 ; 2° cum ad Urbem solemniter progrederetur, L. 19, 41. Possumus addere 3° Hebr. 5, 7 ubi dicitur Jesum *in diebus carnis suae preces supplicationesque ad eum, qui posset illum salvum facere a morte, cum clamore valido et lacrimis obtulisse :* hoc autem probabiliter fecit in horto Oliv. Animadverte ipsum toties flevisse ex *amore* tenerrimo, nempe 1° erga Lazarum, 2° erga Judaeos pervicaces, 3° erga peccatores omnes, quorum delicta in se susceperat expianda.

Notat s. Chrys. *Hom.* 6, 6 *in M.* in Evang. legi Jesum lacrimasse, nusquam vero ipsum risisse, imo vel subrisisse quidem. Vita ejus tota nostrae iniquitatis *expiatio* fuit continua atque amara : vide quantum dilexerit homines !

Quum commentarii decursus eo nos adduxerit, ut de Hierosolymae evertendae praedictione primum tractandum sit, varias jam, pro solita hujusce operis nostri via ac ratione, indicabimus vaticinationes quas eadem de calamitate Salvator identidem edidit. Luminis radios, quum sparsi in unum colliguntur, rei quam illustrant majorem praebere claritatem compertum est.

(Obiter)

Variae praedictiones de Hierosolyma evertenda.

***Q. 559.** Quoties Christus Jerosolymae eversionem praedixit? in quibus rerum adjunctis? Quid in specie vaticinatus est?

R. Saltem quater, forsitan quinquies eam praedixit.

1° Quando erat adhuc in ditione Herodis, sc. in Peraea, ultra Jordanem, hac de re sermonem habuit, L. 13, 34. Sed fieri potest ut eadem sit prophetia, quam M. 23, 35-37 refert, et de qua statim loquemur, adeo ut alteruter Evangelista verba illa extra ordinem temporis posuerit; ideo dicimus *saltem* quater: cf. infra q. 601.

2° L. 19, 41-44, cum in eo erat ut Urbem solemni ritu et pompa ingrederetur; nimirum, quando a monte Oliveti cum turba plaudente descendebat, et videns civitatem flevit super illam, dixit: *Si cognovisses et tu* etc.: cf. q. 554.

3° M. 23, 35-38, post biduum, nempe feria 3ª ultimae hebdomadis (nam ingressus triumphalis die dominico antea contigit), quando Jesus terribilissima *vae* contra Scribas et Pharisaeos summa cum auctoritate et dignitate pronuntiaverat: tunc praedixit fore ut istae poenae, propter omnem sanguinem justum a Judaeis effusum irrogandae, in homines illius aevi caderent: M. 23, 36 *Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam.* Igitur, tunc declarat mala ista brevi immittenda esse; praeterea addit, quod antea jam tacite significarat: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta* (vox *deserta* est glossema), i. e. gens vestra universa relinquetur sibi, omnis Dei tutela ab ea auferetur.

4° M. 24, 1 sqq. distinctius fusiusque horrendas nuntiat calamitates, quibus et urbs et tota Palaestina mox afficientur: *Non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant.* Hac autem occasione de extremo mundi fato simul loquitur. Vide infra.

5° Tandem istam cladem ultimum indicat, sed obscura tantum ratione, in verbis quae mulieribus plangentibus dicit cum ad Calvariam progreditur: cf. q. 836.

Nota. Infra, q. 602, examinabimus num in Sciptura praedictum legatur fore ut templum Jeros. numquam sit restituendum.

§ 10. JESUS NEGOTIATORES E TEMPLO ITERUM EJICIT: 21, 12, 13.

Praeced. vide ante q. 548.

M. 21, 12. Et intravit Jesus in templum Dei, et ejiciebat omnes vendentes et ementes in templo, et mensas numulariorum et cathedras vendentium columbas evertit; 13 et dicit eis: Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur; vos autem fecistis illam speluncam latronum. 14 Et accesserunt

et tronum.

Pris:tc. *Ante q. 562.*

ville ba.

siége, rédigé par

Mc. 11, 15. Et veniunt Ierosolymam. Et cum introisset in templum, coepit ejicere vendentes et ementes in templo: et mensas numulariorum, et cathedras vendentium columbas evertit: 16 et non sinebat ut quisquam transferret vas per templum: 17 et docebat, dicens eis: Nonne scriptum est: Quia domus mea domus orationis vocabitur omnibus gentibus? vos autem fecestis eam speluncam latronum.

L. 19, 45. Et ingressus in templum, coepit ejicere vendentes in illo, et ementes: 46 dicens illis: Scriptum est: Quia domus mea domus orationis est: vos autem fecestis illam speluncam latronum.

V. **12.** Apud M. prima mentio fit de ingressu Jesu in Templum. Hac occasione quaedam dicenda sunt per modum Excursus Scripturistici de alta significatione praesentiae Jesu in Templo : ideo praesertim quod profundior intelligentia multorum textuum sacrorum inde adjuvetur. Videsis ad calcem libri in Append. IV q. 1153.

Q. 560. Quoties, et in quibus rerum adjunctis, Christus vendentes ementesque e Templo ejecit ?

R. Bis ejecit : quod omnino propugnamus contra De Wette Rat., qui asserit, ast gratuito, verisimile non esse bis idem contigisse, absque ulla mentione prioris in narratione posterioris. Igitur negotiatores expulit

1° Cum munus suum vix inchoaverat, nempe quando ad primum vitae publicae Pascha Hierosolymam venisse legitur : J. 2, 13 sq. Tunc flagellum fecit de funiculis etc. Statim indicabimus q. 561 varia rei gestae adjuncta, quae plane diversa sunt ab iis quae nunc M. 21 narrantur.

2° In fine vitae, feria 2ª hebdomadis ultimae. M. quidem et L. innuere videntur ejectionem hanc eodem die, quo Jesus urbem triumphans ingressus est, contigisse ; verum e Marco 11, 11-15 aperte colligimus Salvatorem, post laetum introitum, quando omnia in Templo circumspexerat, circa vesperam cum duodecim reversum esse Bethaniam, et postridie mane ad urbem rediisse ; eum in via ficulneae sterili imprecatum fuisse ; dein Templum intrasse negotiatoresque ex eo extrusisse. Opinamur cum Bisp., Beel. etc., factum illud a M. et L. paululum anticipatum fuisse : alii putant (Luc. Brug. post s. Aug.) s. Marcum narrationem suo loco praetermissam postmodum supplevisse.

Q. 561. 1° Narra quomodo Jesus circa finem vitae vendentes ementesque e Templo expulerit, ac prohibuerit ne quaevis alia aedificii sacri profanatio fieret ; simul indica differentias inter hanc ejectionem et priorem quam ineunte vita publica fecit J. 2, 14. 2° Ex qua Templi parte eos abegit ? 3° Quinam erant *nummularii*, qui tunc detrusi fuerunt ? 4° Explica qua ratione essent ibi qui *columbas* venderent. 5° Quaenam V. T. loca attulit Christus, ut ostenderet istos negotiatores merito arcendos esse ? 6° Quare vendentes isti Domino tam facile cesserunt ?

Differentiae inter duas negotiatorum ejectiones. R. ad 1ᵐ.

Jesus, cum postridie ingressus triumphalit, tempore matutino Templum intrasset, v. **12**, a/ *vendentes ementesque* expellere coepit. In narratione autem prioris facti additur *oves et boves* simul detrusos fuisse (hoc sane in altera ejectione suppleri debet), atque in hunc finem quasi flagellum de funiculis adhibitum fuisse. b/ Mensas nummulariorum cathedrasque vendentium columbas evertit. In priore vero casu, solummodo mensas nummulariorum evertit, eorumque *aes* per hoc ipsum *effudit : his* autem *qui columbas vendebant dixit : Auferte ista hinc, et nolite facere domum Patris mei domum negotiationis.* c/ Praeterea *non sinebat ut quisquam transferret vas per Templum* Mc., i. e. ut quis per atrium gentilium cum quavis re, sarcina aut instrumento, transiret ; quod aliquando fiebat ad iter contrahendum, quando ab una civitatis parte in aliam eundum erat. De hac autem Christi prohibitione nulla ingeritur mentio in priore ejectione. d/ Tandem v. **13** verba quaedam Veteris Test. in hac Templi purgatione non autem in priore recitavit, de quibus statim dicam ad 5^{m}.

R. ad 2^{m}. Negotiatores ejecit ex **atrio gentilium,** seu e porticibus ejus : intelligitur atrium Templi *exterius*, illud nempe per quod ingredientes in Templum primum transire debebant. M. per vocem *Templum* το ἱερον designat generatim omnia Templi aedificia, atria, porticus etc. : oportet igitur ex adjunctis definire de qua parte speciatim agatur (1).

R. ad 3^{m}. **Nummularii** vocantur ii qui nummos majores minutis, vel minutos majoribus permutant, et inde emolumentum sibi faciunt. Isti vero, de quibus hic sermo fit, quique in Templo sedebant, tales forsitan erant qui praesertim pro monetis peregrinis, Graecis vel Romanis, Judaicas tradebant, utique rursum cum quaestu et usura. Praescriptum enim erat, ut quisque tributum annuum pro Templo solveret in moneta Judaica, atque adeo dimidium *siclum* daret (idem pretium ac didrachma) : cf. M. 17, 23. Jam vero, inter tantam hominum multitudinem, qui occasione Paschatis variis e regionibus, etiam exteris, Hierosolymam confluxerant, haud pauci sane reperiebantur, qui certum tempus pro solutione statutum (sc. 15 dies ante Festum) non observaverant legique nondum satisfecerant.

(1) Cf. Templi descriptionem, quam ad calcem q. 1090 tradam.

R. ad 4m. Variae erant expiationes, in quibus **columbae** offerebantur, saltem a pauperibus. Sic B. V. Maria in Purific. par turturum aut duos pullos columbarum dedisse legitur.

R. ad 5m. V. **13** *Scriptum est: Domus mea domus orationis vocabitur* (erit), nempe, ut addit Mc., *omnibus gentibus* Haec desumpta sunt ex **Is. 56, 7,** ubi praedicitur gentilium conversio, qui verum Deum in templis ei consecratis quondam adorabunt. Pergit Christus: *vos autem fecistis eam speluncam latronum*, puta, propter usuras fraudesque negotiatorum. In his autem verbis habetur recordatio **Jer. 7, 11** *Numquid spelunca latronum facta est domus ista?* i. e. qui ad eam veniunt, intus et secreto viri sunt pessimi, et Templum petunt ut iniquitates suas abscondant, seseque sanctos confingant; ideoque similes sunt latronibus, qui in rupium specus se recipiunt, ibique tuto latere student.

R. ad 6m. Respondet s. Hier. miraculum fuisse, imo vero putat (quod satis mirum mihi videtur) omnium maximum habendum esse. Deinde addit: « Igneum quiddam atque sidereum radiabat « ex oculis ejus, et divinitatis majestas lucebat in facie. » Praeterea negotiatores isti viderant certe ingressum ejus triumphalem; absque dubio etiam, multa de prodigiis ejus, et imprimis de Lazaro ab ipso nuper ad vitam revocato, saepius audierant.

Conclusio moralis.

Ven. Beda (*Hom. 7 in Quad.* (1), cit. in Brev. Rom., feria 3 hebd. 1ae quadrag.): « Si ea, ait, quae alibi libere geri poterant, Dominus in domo sua temporalia « negotia geri non patitur: quanto magis ea, quae nusquam fieri licet, plus coe« lestis irae merentur, si in aedibus Deo sacratis aguntur! » Adde ecclesias nostras, in quibus ipse Deus habitat, *vere, realiter* et *substantialiter* praesens sub speciebus Eucharisticis, dignitate et sanctitate multo praestantiores et digniores esse Templo Jerosolymitano, ideoque longe graviores atque scelestiores esse irreverentias nostras. Igitur, ex hac historia discimus quanta cum observantia et pietate in ecclesiis, praesertim coram ss. Tabernaculo, nos gerere debeamus.

§ 11. SANATIONES IN Ttemplo. INIMICITIAE CONTRA JESUM. 21, 14-16.

a. Miracula.

Praeced. vide ante q. 560.
M. 21, 14. Et accesserunt ad eum caeci et claudi in templo: et sanavit eos.

(1) Sed ista *hom.* habetur ut spuria, in ed. Migne, h. 43, t. 5, p. 365. Haec tamen sententia aliis verbis reperitur in *hom.* genuina, sc. 22 (Migne V, 115).

b. Inimicitiae contra Jesum.

M. 21, 15. Videntes autem principes sacerdotum et Scribae mirabilia quae fecit, et pueros clamantes in templo et dicentes: Hosanna filio David, indignati sunt. 16 Et dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? Jesus autem dixit eis: Utique. Numquam legistis: Quia ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem? 17 Et relictis illis etc.

Mc. 11. 18. Quo audito, principes sacerdotum et Scribae quaerebant quomodo eum perderent: timebant enim eum, quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus.

L. 19. 47. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, et Scribae, et principes plebis quaerebant illum perdere: 48 et non inveniebant quid facerent illi. Omnis enim populus suspensus erat, audiens illum.

Q. 562. Quomodo crescunt inimicitiae docente Jesu in Templo?

R. Istorum inimicitia statim antea excitata fuerat per Jesu verba: Domum meam *fecistis speluncam latronum;* nam Mc. 11, 18 *hoc audito, principes sacerdotum et Scribae quaerebant quomodo eum perderent;* illudque consilium magis magisque eorum animum occupavit, et plane immutabile factum est, cum diebus sequentibus Salvator quotidie doceret in Templo, L. 19, 47. Sed *non inveniebant quid facerent illi* L., quomodo eum perderent, *quoniam universa turba admirabatur super doctrina ejus* Mc.

Aliae simultatis causae fuerunt opera *mirabilia quae fecit* v. **15,** caecos claudosque in Templo sanando M., et voces puerorum qui *in Templo clamabant: Hosanna Filio David!* M. Pueri enim, ut mos est, id quod pridie a populo acclamari audierant, certatim repetebant. Synedristae autem inde sumunt occasionem Jesum accusandi v. **16**: *Audis*, aiunt, *quid isti dicunt?* Qua fronte hoc permittis? Numquid *Filius David* es tu? Isti clamores nonne vera sunt Templi profanatio? Respondet Christus: *Utique* audio et approbo, tum quia verum dicunt isti (sum Messias, *Filius David:* hoc in responso tacite continetur), tum etiam quia ita perficitur quod praedictum fuit Ps. 8, 3, nempe fore ut non tantum viri adulti, sed vel ipsi pueri, laudem Messiae nuntiarent.

Verba Psalmi VIII de Messia.

Q. 563. *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem tuam:* quis dixit haec verba in V. T., et quis in N. T.? quo sensu et qua occasione?

R. 1° David illa vaticinatus est in Ps. 8 *Domine, Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum* etc., quando laudem Dei celebravit, et praedixit fore ut omnes naturae creatae, vel ipsimet pueri

(*infantium*) etiam tenerrimi, qui vix loqui incipiunt, quique ubera matris adhuc sugunt (*lactentium*), Dei gloriam nuntient. *Lactentes* : hyperbole poetica, quae mitigatur ex eo quod matres Hebraeorum per plures annos puerulos lactarent, 2 Mach. 7, 27.

2° Christus autem haec ad se refert v. **16**, quatenus est Messias, Dei Filius ; eatenus enim ipsi pleno jure conveniunt quae Psalmista de Deo cecinit ; ergo verba hic recitantur non sensu literali proprie dicto, neque sensu typico (nam nullus adest typus), sed sensu quodam indirecto et quasi secundario, tali nempe qui per legitimam ratiocinationem e sensu literali deducitur.

§ 12. FICUS MALEDICTA; PRECATIO FIDE FIRMATA. 21, 17-22.

a. Ficus maledicta.

Praeced. vide ante q. 562.

M. 21, 17. Et relictis illis, abiit foras extra civitatem in Bethaniam, ibique mansit. 18 Mane autem revertens in civitatem, esuriit. 19 Et videns fici arborem unam secus viam, venit ad eam, et nihil invenit in ea nisi folia tantum, et ait illi: Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum. Et arefacta est continuo ficulnea.

Mc. 11, 12. Et alia die cum exirent a Bethania, esuriit. 13 Cumque vidisset a longe ficum habentem folia, venit si quid forte inveniret in ea. Et cum venisset ad eam, nihil invenit praeter folia : non enim erat tempus ficorum. 14 Et respondens dixit ei : Jam non amplius in aeternum ex te fructum quisquam manducet. Et audiebant discipuli ejus.

b. Vis orationis quae sit fide plena.

M. 21, 20. Et videntes discipuli, mirati sunt, dicentes : Quomodo continuo aruit ? 21 Respondens autem Jesus, ait eis : Amen dico vobis, si habueritis fidem, et non haesitaveritis, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti huic dixeritis, Tolle et jacta te in mare, fiet. 22 Et omnia quaecumque petieritis in oratione credentes, accipietis. 23 Et cum venisset in templum etc. *Ante q. 570.*

Mc. 11, 20. Et cum mane transirent, viderunt ficum aridam factam a radicibus. 21 Et recordatus Petrus, dixit ei : Rabbi, ecce ficus, cui maledixisti, aruit. 22 Et respondens Jesus ait illis : Habete fidem Dei : 23 amen dico vobis, quia quicumque dixerit huic monti : Tollere et mittere in mare, et non haesitaverit in corde suo, sed crediderit quia quodcumque dixerit fiat, fiet ei. 24 Propterea dico vobis, omnia quaecumque orantes petitis, credite quia accipietis, et evenient vobis.

Antequam factum hic narratum illustremus, verbulum dicemus de Bethania, cujus primum fit mentio apud M.

*Q. 564. Bethania.

Bethania haec, quae ab illa Beth. ubi Joannes baptizabat J. 1, 28 (vera lectio non est *Bethabara*), probe discernenda est, sita est ad latus orientale montis Olivarum,

unum milliare ultra verticem ejus, 15 stadia (J. 11, 18) ad orientem Hierosolymae (3/4 *de lieue à l'E. S. E.)*, paululum ultra Bethphage, juxta iter quod ab Urbe ducit Jerichuntem, in eo fere loco ubi iter illud ad vallem Jordanis abruptius descendere incipit. Nomen ejus non occurrit in V. T.; significat autem juxta *Winer Rwb.* *Domum dactylorum* (בֵּית חִנְנִי talmudic *Beth hiné)*, cui congruit in vicinia *Bethphage*, i. e. *domus ficorum* a פַּג *ficus*, et mons *Olearum*.

Ibi habitabant Maria, Martha et Lazarus, tres illae personae Jesu addictissimae, quae ipsum cum familiari amicitia saepissime hospitio exceperunt, nempe circa ultima vitae ejus publicae tempora; tunc enim incepisse videtur necessitudo Christum inter et Lazarum sororesque ejus. Familia autem haec, ut ex Scriptura colligimus, non pauper aut plebeia erat, sed vere honesta et satis insignis. Num vero in *castello*, aut in aedibus amplis et magnificis *(un château)* habitaret, ex voce *castellum* Vulg. J, 11, 1 demonstari nequit (nam gr. est κωμη, *vicus*, *pagus*), quamquam aliunde probabile id videtur.

Quae Bethaniae facta fuerint.

***Q. 565.** Praecipua Evangelii facta, quae Bethaniae contigisse leguntur, indica.

R. Jesus Bethaniae Lazarum ad vitam revocavit, atque ibi unctus fuit inter convivium apud Simonem Leprosum; inde etiam postridie inchoavit incessum triumphalem. Probabile est ipsum ibidem pernoctasse, puta in domo Lazari, quotiescumque ultimis vitae temporibus Hierosolymam veniebat. Saltem id factum fuisse feria 6a, sabbato, die dominico et feria 2a ante Passionem non dubitamus; utrum vero feria 3a vespere et postridie Bethaniam perrexerit, an vero in horto Gethsemane manserit, incertum est. — Haudquaquam assentimur eis qui contendunt ibi etiam contigisse Ascensionem: cf. infra q. 990.

Nostris autem diebus pauperrimus est viculus, ruinis refertus, vix 300 habens incolas, qui omnes Mahometani sunt. Vocatur *El-Azarieh*, vel *Lazarieh*, a nomine Lazari. Ostenditur adhuc sepulcrum ex quo Lazarus ad vitam rediit (1).

Atque haec quidem de Bethania obiter notasse haud ingratum lectori ac supervacaneum fore confidimus: jam reliquam Evang. repetimus interpretationem, M. 21, 17 sq.

Ficus sterilis.

Q. 566. 1° Narra historiam ficus illius cui Jesus male precatus est, conciliando M. cum Marco diem quod attinet: inter narrandum explica quod notat Mc. *non fuisse tempus ficorum.* 2° Cujus rei signum vel figura fuit ista exsecratio?

(1) « **Le tombeau de Lazare**, ait F. Liévin *(Guide* 1876), est une grotte souterraine pratiquée dans le rocher (on y descend par 25 marches). Mais ce rocher est dissous depuis longtemps, de sorte qu'on le prendrait facilement pour de la terre argileuse, exceptée la partie avoisinant l'entrée où il a conservé toute sa dureté primitive... Ce monument se compose de 2 chambres carrées, presque de même grandeur (3 m. chaque côté). La 2e chambre, à laquelle on descend par un escalier bas et étroit de 3 marches, était le tombeau proprement dit, où le corps de Lazare était placé. »

R. ad 1m. Mc. rerum seriem ordinemque temporis distinctius tradit. Ex ipso colligimus exsecrationem contra ficulneam prolatam fuisse mane ejusdem diei quo Templum purgatum fuit (feria 2a). Igitur Jesus, qui post ingressum triumphalem Bethaniae pernoctaverat (M. 21, **17** *mansit*, ηυλισθη *pernoctavit*), v. **18** mane redit in civitatem : in itinere esurit (1), v. **19** et videns *a longe* fici arborem *unam* (μιαν, quod non ponitur pro τινα, ut fit M. 8, 19; intellige ficum *unicam*, gall. *un figuier qui se trouvait là seul) secus viam*, quae folia transacto tamen hieme nondum amiserat (*habentem folia*), venit ad eam, *si quid forte inveniret in ea* Mc. Quamvis ipse per omniscientiam sciret nullas esse in ea ficus, se gerit humano modo, quaerens num forte quaedam essent. (2) Namque illa anni tempestate, sc. vere medio, utpote circa Pascha, cum arbor folia servasset, probabile erat in ea remansisse quasdam ficus hiemales, vel, secundum aliorum opinionem, poterant jam esse ficus praecoces, quum arbor folia nova protulisset (ante folia enim crumpunt ficus): tametsi *tempus ficorum* ordinarium *non esset*, ut ait Mc.

Tempus ficorum non erat. Ad hujus intelligentiam nota ex *Winer *Rbw.*, a. *feigenb.*, ficubus in istis regionibus fructus esse maturos per majorem anni partem (per 10 menses, ait Jos. *B. J.* 3, 10, 8, loquens de tractu quodam prope lacum Genesareth); etenim mense Junio primos proferunt (ficus praecoces, Os. 9, 10; Is. 28, 4 in hebr. ; Jer. 24, 2), alios vero mense Augusto (ficus aestatis, fl. *zomervygen*), tandem ultimos cum arbor incipit folia perdere hiemis tempore (ficus serotinas, fl. *wintervygen*): si autem lenis sit hiems, aliquando fit ut tardiores in arbore pendeant usque ad ver primum. Igitur circa Pascha, et deinceps usque ad mensem Junium, sola erat anni tempestas qua ficulneae nullos gestare solebant fructus. Poterat tamen fieri ut arbor vegeta, qualis videbatur ea quae adhuc folia retinuerat, in quibusdam locis a frigore immunibus, tempore Paschatis unam alteramve

---

(1) **Mald. non approbandus** in hoc quod valde probabile putet esuriem fuisse fictam, aut saltem sponte accersitam, non naturalem. Plane improbo interpretationem, qua verbum *esurit* explicat per *esurire finxit*, nec video quare esuries illa cum s. Chrys. dici non possit naturalis. Nonne regula est primaria, verba sensu obvio et naturali sumenda esse, nisi quid in contrarium obstet ?

(2) Jesus non faciebat miracula pro suamet ipsius necessitate.

ficum conservasset. Ut supra diximus, sunt qui cogitent fieri potuisse ut quaedam essent ficus praecoces in arbore quae foliis novis jam erat cooperta.

Jam vero, Christus in illa arbore nihil praeter folia invenit, ergo ne grossos quidem, seu ficus recenter eruptas, quod signum erat malae prorsus indolis fuisse arborem.

Mc. addit : *Non enim erat tempus ficorum.* Quomodo nectit istud *enim* ?

Valde difficile est ratiocinationem Marci explicare. Luc. Brug. : « Addit hoc, ait, ut scias sententiam maledictionis non arboris causa latam esse, sed significationis. » Verum, si arbor fructus habere non debebat, quia tempus ficorum non erat, quare Jesus *venit* ad eam *si quid forte inveniret?* Quare eidem imprecatus est? Alii ita: quia tempus ficorum non erat, puta tempus quo decerpi solent ficus praecoces, merito sperare poterat non omnes et singulas jam ablatas esse. Huic autem obstat, hanc animadversionem addi non debuisse, quum mensis Martius nondum praeteriisset: certe omnes noverant messem ficorum tunc temporis nondum factam esse.

Ad me quod attinet, putem hanc esse mentem Marci : quia non erat tempus ficorum, nonnisi unam alteramve ficum invenire sperare poterat (ideo *venit si quid forte inveniret*) : quum autem tantum folia reperiret, atque adeo ne grossi quidem adessent, signum erat arborem malam esse et sterilem ; atque ideo ei imprecatus est. Igitur *enim*, γάρ, refero ad *venit si quid forte inveniret in ea* : quia noverat tempus ficorum non esse, venit incertus et dubius quaerere si quid forte inveniret, quod futurum esse sperabat quia arbor adhuc folia habebat.

Ficus arefacta.

Quoquo modo ista se habeant, Jesus videns arbori nihil praeter folia esse, nec fructus, nec fructuum spem, ait ei clara voce, ita ut *audirent discipuli ejus* Mc. : M. v. **19** *Numquam ex te fructus nascatur in sempiternum ! Et arefacta est continuo ficulnea ;* sed, ut ex Mc. 11, 20 colligitur, id non animadverterunt discipuli nisi postridie mane (feria 3ª), quando Bethania, ubi rursum pernoctaverant, in urbem eadem via cum magistro redierunt : transeuntes enim vide-

runt eam *aridam factam a radicibus*. Petrus autem, *recordatus* verborum, quae Jesus pridie contra arborem protulerat, dixit ei: *Rabbi* i. e. magister, *ecce ficus, cui maledixisti, aruit!* Mc. Alii quoque *discipuli mirati sunt dicentes: Quomodo continuo aruit?* Non est interrogatio, qua rei causam inquirunt, sed exclamatio, qua suam exprimunt mirationem. Hac occasione Salvator docuit eos vim fidei et precationis, ut postea explicabimus.

Maledictio symbolica.

R. ad 2m. Exsecrationem illam rei moralis et spiritualis figuram signumque fuisse censent Orig., s. Hil., et s. Hier.; illudque etiam innuunt severissimae reprehensiones et imprecationes, quas Christus paulo post contra Judaeorum proceres edixit, M. 21, 28 sqq, quippe quae istius miraculi explicationem tradere videantur. Arbor enim ficus *una* seu unica secus viam, significat populum Judaicum (s. Hier), qui solus inter omnes mundi antiqui nationes ad verum Dei cultum vocatus erat, sed qui nonnisi externam religionis speciem prae se ferebat *(folia* tantum), quique se ad Deum convertere et Messiam agnoscere nolebat. *Esuriebat* Jesus eorum salutem: *Quoties*, exclamabat M. 23, 37, *volui congregare filios tuos quemadmodum gallina* etc.: sed non invenit apud eos unde sanctam illam expleret famem. Actus autem ille Christi, qui arborem aridam reddit, terribiles poenas, Judaeis impiis et pervicacibus a Deo irrogandas, apte praefigurat. Gens ista arida sterilisque in conspectu omnium apparebit, et talis perseverabit in *sempiternum* M. seu in *aeternum* Mc., i. e. usque ad mundi exitum (tunc autem revirescet: cf. ann. M. 23, 39).

Q. 567. Quid docuit Christus occasione ficus sterilis, quam Apostoli mirabantur subito factam fuisse aridam?

Vis fidei in oratione. R. Vim fidei seu fiduciae et precationis docuit v. **21** et **22**; non est, ait, quod prodigium illud adeo miremini; namque, et ipsi vos majora facietis miracula, si fidem habueritis firmam *(fidem Dei* talem ut non *haesitetis)*, v. gr. *si monti huic* (digito ostendit montem quemdam vicinum, puta, montem Olivarum) *dixeritis: Tolle* etc. Cf. M. 17, 19 *Propter incredulitatem vestram* (non potuistis ejicere daemonium); *si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis monti huic: Transi hinc illuc, et transibit, et*

nihil impossibile erit vobis. Imo vero *(et)*, pergit nunc Christus, v. **22**, *omnia quaecumque petieritis in oratione* cum fiducia magna (*credentes*), etiamsi inauditum sit prodigium, *accipietis.* Confer M. 7, 7 sq.; etiam Jac. 1, 6 *Postulet in fide nihil haesitans: qui enim haesitat, similis est fluctui maris, qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo aestimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino.*

Antequam pergamus in explicandis iis, quae ad ultimos Jesu dies spectant, juvat brevi repetitione rerum seriem distincte indicare. Igitur sit quaestio seq.

Ordo rerum historicus in 4 diebus prioribus ultimae hebdomadis.

***Q. 568.** Quid fecit Jesus 1° ultimo vitae sabbato? 2° Quid die dominico sequente? 3° Quid feria 2ª? 4° Quid feria 3ª?

R. ad 1m: Bethaniae mansit et adfuit convivio in domo Simonis Leprosi: inter coenam Maria, soror Lazari, caput pedesque ejus perunxit: cf. q. 640.

R. ad 2m. Postridie autem ingressum triumphalem instituit, et vespere Bethaniam rediit.

R. ad 3m. Feria 2ª mane Hierosolymam reversus, in itinere finulneae sterili mala imprecatus est; deinde, cum Templum petiisset, negotiatores ex eo ejecit; postea caecos claudosque in Templo sanavit M. 21, 14; vespere autem Bethaniam se iterum recepit.

R. ad 4m. Feria 3ª mane, cum in urbem denuo iret, prope ficulneam arefactam transiit, qua occasione discipulos docuit fidei efficaciam, M. 21, 20 sqq.; mox ut in Templum venisset, adversarios confutavit, varias cum eis habens disputationes, quas infra explicabimus. Dein, sedens contra gazophylacium, viduam pauperem, quae duos nummulos in arcam misit, vidit eamque laudavit. Vespere, relicto Templo, cum discipulis in montem Oliveti perrexit, et ex declivitate ejus praedixit sacrum illud aedificium funditus evertendum (cf. q. 605). Posthaec in hortum Gethsemane, ut videtur, se contulit, certe ut piis precibus vacaret. Sunt qui putent ipsum, post precationem in horto factam, denuo rediisse Bethaniam, ibidemque pernoctasse. Verum hoc minus probabile est, propter verba L. 21, 37 *Erat*, in ultima vitae hebdomade, *diebus docens in Templo; noctibus vero exiens, morabatur in monte qui vocatur Oliveti.* Causae autem hujus agendi rationis fuerint, tum pericula quae in urbe nocturno tempore Jesus sibi timebat, tum etiam precationis studium et solitudinis desiderium, quibus Salvator in ultimis vitae diebus se tradidit, ut Passioni se praepararet.

§ 13. JESUS ADVERSARIOS OMNES ET SINGULOS CERTATIM CONFUTAT: 21, 23-22, 46.

In hac pericopa Jesus, cum sciat diem sibi extremum jam instare, adversarios omnes et singulos, quos infensissimo animo

flagrare in se noverat, ultimum pudore afficit eisque os occludit, deinde (c. 23) acerrime in eos invehitur.

Primum inquirendum est, qua de causa et qua occasione odium contra Christum vehementer increverit, et quid inimici contra eum tunc moliri statuerint. Sit igitur quaestio sequens.

Odium in Jesum vehementer invalescens.

Q. 569. Qua occasione praesertim increvit odium adversariorum in Christum? Quanam isti usi sunt astutia ut, cum eum occidere non auderent, perderent tamen?

R. Occasione tum miraculi in Lazari gratiam patrati, quum ingressus triumphalis in urbem, istorum odium ad summum pervenit culmen; adeo quidem ut Jesum interficere voluissent; sed propter plebem, quae eum venerabatur, scelus istud perpetrare non audebant (Mc. 11, 18; L. 19, 47 sqq.); ideo, per interrogationes fallaces et captiosas, ab eo responsum obtinere conantur, propter quod ipsum coram tribunali accusare capitisque damnare possint. Eum igitur certatim adoriuntur, primum Synedristae, dein Pharisaei, quibus succedunt Herodiani et Sadducaei, tandem vero rursum Pharisaei.

De istorum maligna percontatione et Christi sapienti responsione nunc dicemus singillatim.

Ordo rerum et divisio. Synedristae, cum interrogassent Jesum qua potestate ageret, suffunduntur pudore (I punct.). Contra eosdem proponuntur tres parabolae (II, III et IV p.). Pharisaei autem, de tributo Caesaris inquirentes, similiter refutantur (V); et post illos, Sadducaeis, de resurrectione mortuorum cavillantibus, os pariter occluditur (VI). Tandem Pharisaei, litem renovantes, iterum causa cadunt, cum petunt quodnam sit mandatum magnum (VII); atque, ut deinceps taceant, ab ipsomet Jesu impetuntur et et prosternuntur, per quaestionem *Christus cujus filius?* cui respondere nesciunt (VIII). Octo igitur erunt divisiones paragraphi 13.

I. In qua potestate?

Praeced. vide ante q. 564.

M. 21, 23. Et cum venisset in templum, accesserunt ad eum docentem principes sacerdotum et

Mc. 12, 27. Et veniunt rursus Ierosolymam. Et cum ambularet in templo, accedunt ad eum summi sacerdotes, et Scribae, et seniores: [28] et dicunt ei:

L. 20, 1. Et factum est in una dierum, docente illo populum in templo, et evangelizante, convenerunt principes sacer-

seniores populi, dicentes: In qua potestate haec facis? Et quis tibi dedit hanc potestatem? 24 Respondens Jesus dixit eis: Interrogabo vos et ego unum sermonem, quem si dixeritis mihi, et ego vobis dicam in qua potestate haec facio. 25 Baptismus Joannis unde erat? e coelo, an ex hominibus? At illi cogitabant inter se, dicentes: 26 Si dixerimus, E coelo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi? Si autem dixerimus, Ex hominibus, timemus turbam: omnes enim habebant Joannem sicut prophetam. 27 Et respondentes Jesu dixerunt: Nescimus. Ait illis et ipse: Nec ego dico vobis in qua potestate haec facio. 28 Quid autem vobis etc.

In qua potestate haec facis? et quis dedit tibi hanc potestatem ut ista facias? 29 Jesus autem respondens, ait illis: Interrogabo vos et ego unum verbum, et respondete mihi: et dicam vobis in qua potestate haec faciam. 30 Baptismus Joannis, de coelo erat, an ex hominibus? Respondete mihi. 31 At illi cogitabant secum, dicentes: Si dixerimus, De coelo, dicet, Quare ergo non credidistis ei? 32 Si dixerimus, Ex hominibus, timemus populum: omnes enim habebant Joannem quia vere propheta esset. 33 Et respondentes dicunt Jesu: Nescimus. Et respondens Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate haec faciam.

dotum, et Scribae cum senioribus, 2 et aiunt dicentes ad illum: Dic nobis in qua potestate haec facis? aut: Quis est qui dedit tibi hanc potestatem? 3 Respondens autem Jesus, dixit ad illos: Interrogabo vos et ego unum verbum. Respondete mihi. 4 Baptismus Joannis, de coelo erat, an ex hominibus? 5 At illi cogitabant intra se, dicentes: Quia si dixerimus, De coelo, dicet: Quare ergo non credidistis illi? 6 Si autem dixerimus, Ex hominibus, plebs universa lapidabit nos: certi sunt enim Joannem prophetam esse. 7 Et responderunt se nescire unde esset. 8 Et Jesus ait illis: Neque ego dico vobis in qua potestate haec facio.

Q. 570. 1° Quinam Jesum interrogarunt de potestate qua ageret? de quibus ejus operibus loquebantur? et quem in finem illam faciebant quaestionem? 2° Quomodo Christus eos solerter redarguit?

R. ad 1m. Quidam Synedrii judices *(principes sacerdotum*, *Seniores populi* M. v. **23,** et *Scribae* Mc.), ablegati, ut videtur, ab universo concilio, accedunt ad Jesum, qui *in templo,* in porticibus atrii Israelitarum, *docebat*, et dicunt ei: *In qua potestate haec facis, et quis dedit tibi hanc potestatem?* De ingressu triumphali, purgatione Templi, miraculis, novisque ejus doctrinis etc. suam ponunt quaestionem. Sperant fore ut Salvator respondeat se divina operari potestate, unde occasionem desument eum blasphemiae accusandi. Vel, si fateatur se a nemine accepisse potestatem legitimam, ipsum seditionis arguent.

Solertia Jesu.

R. ad 2m. Christus non directe respondet, sed v. **24** ipsosmet interrogat, et tam solerter quidem, ut eos verbis capiat: fecit sicut

proverbium ait: Malo arboris nodo malus clavus aut cuneus infigendus est (s. Hier.).

V. **25** *Baptismus Joannis,* ait, *unde erat?* Per *baptismum* autem universum Joannis ministerium, quo non solum baptizabat, sed officio praecursoris et praedicatoris fungebatur, intelligit. Num erat *e coelo* i. e. a Deo, *an ex hominibus?* Eratne divinae institutionis an humanae?

At illi cogitabant inter se: loco *cogitabant,* quod non quadrat cum *inter se,* melius verteretur *perpendebant, deliberabant inter se,* διελογίζοντο παρ' ἑαυτοῖς; vel sensus est: *cogitabant* seu *ratiocinabantur apud seipsos,* eo magis quod in quibusd. codd. legatur ἐν ἑαυτοῖς; igitur certum non est eos de responso dando inter se deliberasse. Quidquid sit, haec cogitabant: v. **26** *Si dixerimus E coelo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi* docenti me esse Messiam? *Si autem dixerimus, Ex hominibus,* adeoque eum falsum prophetam esse affirmaverimus, *timemus turbam,* ne sc. nos *lapidet* addit L.: *omnes enim habebant* Joannem *ut prophetam.* Cf. M. 14, 5, ubi Herodes dicitur non ausus fuisse occidere Joannem ex timore populi, *quia sicut prophetam eum habebant.*

Responderunt v. **27** *Nescimus,* aperto usi mendacio, cujus vera significatio erat: Quaestioni tuae satisfacere nolumus. Ideo Salvator vicissim: *Nec ego dico vobis in qua potestate haec facio,* i. e. neque ego vobis interrogantibus morem gerere volo. « Christus ostendit, « ait s. Hier., illos scire, sed respondere nolle; et se nosse sed non « dicere, quia quod sciunt tacent. »

Deinde, a defensione sui ad oppugnationem inimicorum transiens, parabolas quasdam contra eos proponit. De istis jam disputabimus.

II. Parabola de duobus filiis in vineam missis.

Praeced. vide ante q. 570.

M. 21. 28. Quid autem vobis videtur? Homo quidam habebat duos filios, et accedens ad primum dixit: Fili, vade hodie operare in vinea mea. 29 Ille autem respondens, ait: Nolo. Postea autem, poenitentia motus, abiit. 30 Accedens autem ad alterum, dixit similiter. At ille respondens, ait: Eo, domine, et non ivit. 31 Quis ex duobus fecit voluntatem patris? Dicunt ei: Primus. Dicit illis Jesus: Amen dico vobis, quia publicani, et meretrices praecedent vos in regnum Dei. 32 Venit enim ad vos Joannes in via justitiae, et non credidistis ei: publicani autem, et meretrices crediderunt ei: vos autem videntes nec poenitentiam habuistis postea, ut crederetis ei. 33 Aliam parabolam etc.

Q. 571. Narra parabolam, ejusque sensum trade.

R. Lege M.: ipse solus hanc habet parabolam. Pro *eo Domine*, graece est εγω, Κυριε, supple *vadam*, vel *faciam*. Vis est in pron. εγω, quasi diceret: *iste non vult? ego vadam!* latet ibi superbia et jactantia, quae quidem vitia Synedristis merito tribuuntur.

Sensus parabolae: vos, principes sacerdotum, Seniores et Scribae, similes estis alteri filio; quia, dum legem Dei assidue in ore habetis, perfectamque obedientiam exterius profitemini, revera vel ipsis peccatoribus publicis *(publicanis et meretricibus)* pejores estis: vos enim Joanni, viro sancte viventi et sanctitatem praedicanti (*venit in via justitiae*, i. e. viam justitiae sequens, non solum moribus, sed etiam praedicationibus), credere noluistis, ideoque Dei voluntatem perficere renuistis, dum contra isti, malam suam viam mutantes, baptismum poenitentiae acceperunt, et ita Deo obtemperarunt. Quamobrem *praecedent vos in regno Dei*, i. e. in illud admittentur, vos autem excludemini: verbum *praecedent* nequaquam importat alios secuturos esse, ut monet s. Chrys.

Accommodatio. Cum multis e ss. Patribus, v. gr. cum ss. Chrys. et Hier., ad alium sensum parabolam accommodare possumus (sed Christus huc non intendit animum, ut ex contexta oratione colligitur): filius, qui prius dicit *Nolo*, deinde tamen mutata mente jusso paret, populus est gentilium, qui olim falsorum cultor numinum, postea se convertit ad fidem; alter autem, qui ait *Eo, Domine*, et non facit, populum Judaeum designat, qui verum Dei cultum observat, atque ita profitetur se velle Dei mandatis satisfacere, quique tamen ejus imperium graviter perfringit, quum Messiam divinitus missum agnoscere nolit.

III. Parabola de locatoribus vineae: 21, 33-46.

M. 21, 33. Aliam parabolam audite: Homo erat paterfamilias, qui plantavit vineam, et sepem circumdedit ei, et fodit in ea torcular, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. 34 Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit servos suos ad agricolas, ut acciperent fructus ejus. 35 Et agricolae, apprehensis servis ejus, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt. 36 Iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt

Mc. 12, 1. Et coepit illis in parabolis loqui: Vineam pastinavit homo, et circumdedit sepem, et fodit lacum, et aedificavit turrim, et locavit eam agricolis, et peregre profectus est. 2 Et misit ad agricolas in tempore servum, ut ab agricolis acciperet de fructu vineae. 3 Qui apprehensum eum ceciderunt, et dimiserunt vacuum. 4 Et iterum misit ad illos alium servum: et illum in capite vulneraverunt, et contumeliis affecerunt. 5 Et

L. 20, 9. Coepit autem dicere ad plebem parabolam hanc: Homo plantavit vineam, et locavit eam colonis: et ipse peregre fuit multis temporibus. 10 Et in tempore misit ad cultores servum, ut de fructu vineae darent illi. Qui caesum dimiserunt eum inanem. 11 Et addidit alterum servum mittere. Illi autem hunc quoque caedentes, et afficientes contumelia, dimiserunt inanem. 12 Et addidit tertium mittere: qui et illum vulnerantes ejece-

illis similiter. 37 Novissime autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. 38 Agricolae autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est heres, venite, occidamus eum, et habebimus hereditatem ejus. 39 Et apprehensum eum ejecerunt extra vineam, et occiderunt.

40 Cum ergo venerit dominus vineae, quid faciet agricolis illis? 41 Aiunt illi: Malos male perdet: et vineam suam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. 42 Dicit illis Jesus: Numquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris? 43 Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus ejus. 44 Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit, conteret eum.

45 Et cum audissent principes sacerdotum et Pharisaei parabolas ejus, cognoverunt quod de ipsis diceret. 46 Et quaerentes eum tenere, timuerunt turbas: quoniam sicut prophetam eum habebant. 22, 1. Et respondens Jesus etc. *Ante q. 576.*

rursum alium misit, et illum occiderunt: et plures alios, quosdam caedentes, alios vero occidentes. 6 Adhuc ergo unum habens filium charissimum: et illum misit ad eos novissimum, dicens: Quia reverebuntur filium meum. 7 Coloni autem dixerunt ad invicem: Hic est heres: venite, occidamus eum, et nostra erit hereditas. 8 Et apprehendentes eum, occiderunt, et ejecerunt extra vineam.

9 Quid ergo faciet dominus vineae? Veniet, et perdet colonos, et dabit vineam aliis. 10 Nec Scripturam hanc legistis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli: 11 a Domino factum est istud, et est mirabile in nostris oculis?

12 Et quaerebant eum tenere: et timuerunt turbam. Cognoverunt enim quoniam ad eos parabolam hanc dixerit. Et relicto eo abierunt.

runt. 13 Dixit autem dominus vineae: Quid faciam? mittam filium meum dilectum: forsitan, cum hunc viderint, verebuntur. 14 Quem cum vidisset coloni, cogitaverunt intra se, dicentes: Hic est heres, occidamus illum, ut nostra fiat hereditas. 15 Et ejectum illum extra vineam, occiderunt.

Quid ergo faciet illis dominus vineae? 15 Veniet, et perdet colonos istos, et dabit vineam aliis. Quo audito, dixerunt illi: Absit. 17 Ille autem aspiciens eos, ait: Quid est ergo hoc, quod scriptum est: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli? 18 Omnis qui ceciderit super illum lapidem, conquassabitur: super quem autem ceciderit, comminuet illum.

19 Et quaerebant principes sacerdotum, et Scribae, mittere in illum manus illa hora: et timuerunt populum: cognoverunt enim quod ad ipsos dixerit similitudinem hanc.

Praenota. Christus hanc parabolam ex Is. 5 imitatus est. Eam non solis Synedristis, ut praecedentem, sed *plebi* L. proposuit, quia gentem Judaicam a salute Messianica excludendam esse propter deicidii scelus, atque in ejus locum gentiles admittendos esse, docere vult.

Q. 572. Parabolam narra et explica.

R. Quatuor distingui possunt partes narrationis.

1ª **Pars:** vinea debite praeparata locatur, v. **33**. *Homo erat pater familias* i. e. per hebraismum (אִישׁ vel אָדָם pro *aliquis*, Gesenius *Lex.*), *quidam* erat pater familias, qui vineam (*un vignoble*) plantavit (Mc. in Vulg. *pastinavit*, melius *plantavit*), et omnia peregit quae potuit ut optima esset: etenim fecit *sepem*, φραγμον, i. e. *sepimentum* seu *murum* (generatim quidquid claudit, separat,

munit) circum eam (gall. *l'entoura d'une clôture*, potius quam *d'une haie*), ut contra incursiones ferarum vel latronum eam muniret; *fodit in ea torcular*, i. e., ut patet ex Mc. ὑπολήνιον, puteum (receptaculum concavum, saepius in rupe excisum) in quem mustum, quod per prelum superpositum ex uvis exprimebatur, defluueret; *aedificavit turrim*, germ. *Wachtthurm*, ad custodiendam vineam (turris enim specula erat custodum), eamque contra hostium impetum defendendam. Eam autem agricolis hac conditione locavit, ut eam colerent fructuumque partem haberent: coloni isti latine vocabantur *partiarii*, gall. *métayers*. Interim ipse *peregre profectus est, multis temporibus* L., vineam istis plene permittens, ut pro libitu, et quo meliore putarent modo, eam excolerent. « Multis temporibus abfuit, inquit s Ambr. *in Luc.* 20, 9, ne « praepropera videretur exactio. Nam quo indulgentior liberalitas, « eo inexcusabilior pervicacia. »

Sic Deus ecclesiam Veteris Test. constituit, eamque multis magnisque cumulavit beneficiis, adeo quidem ut ipse exclamet apud Is. 5, 4 *Quid debui facere vineae meae* i. e. populo meo, ut sanctus felixque esset, *et non feci ei?* Eam vero sacerdotibus, Senioribus, aliisque populi principibus commisit, ut Judaei recto horum imperio sapientissimaque gubernatione exculti, fructus justitiae uberrimos ferrent. Interim *peregre profectus est*, i. e. populum suis permisit superioribus, quibus nempe facultatem dedit et auctoritatem eumdem libere regendi et administrandi.

2ª **Pars**: locatores male se gerunt v. **34-36.** Cum autem tempus fructuum appropinquaret, pater familias *servos* seu ministros, plures deinceps (alium post alium), ad agricolas misit, ut de fructu vineae acciperent (*de fructu* Mc., i. e. partem fructuum de qua conventum erat) : sed primus servus ab eis flagellis *caesus* fuit et vacuus remissus; secundus autem fuit *vulneratus in capite contumeliaque affectus;* tertius vero *occisus* fuit: Mc. Animadvertendum est in triplici membro gradationem haberi. Sed M. rem paulo aliter refert: *misit*, ait, *servos suos* (plures misit), *et agricolae alium* ex eis *ceciderunt, alium occiderunt, alium vero lapidaverunt* (1); *iterum misit alios servos plures prioribus, et fecerunt illis similiter.*

(1) Nota gradationem etiam haberi in *flagellis caedere, gladio occidere*, et *lapidibus obruere*. Quod autem attinet ad ultimum supplicium (saxis quemdam appetere et opprimere), de quo hic primum

Sic Deus ad populum suum, praesertim ad principes, duces, et magnates Judaeorum, identidem misit prophetas, judices aliosque ministros suos : hi autem fere semper male habiti et quandoque occisi fuerunt : cf. M. 23, 31, 34-37ª.

3ª **Pars:** imo filium domini sui occidunt, v. **38** et **39**. Tandem pater familias misit filium, unicum et carissimum, sperans fore ut saltem hunc revererentur : sed agricolae dixerunt *inter se* mutuo ἐν ἑαυτοῖς M. Sensus non est *cogitaverunt apud se*, nam Mc. habet πρὸς ἑαυτοὺς *ad invicem dixerunt*, quocum concinit L. διελογίζοντο πρὸς ἀλλήλους λέγοντες, vel in alia lect. πρὸς ἑαυτούς, quod vertendum est *ratiocinati sunt, deliberaverunt inter se* vel *ad invicem* (Vulg. minus accurate). Igitur conspirarunt et deliberarunt agricolae, dicentes : *Hic est heres, venite et occidamus eum*. Deinde pessimum illud consilium ad effectum adducentes, eum extra vineam ejecerunt morteque affecerunt, eo fine ut hereditatem i. e. vineam injuste occuparent.

Sic Deus me tandem misit (ait Christus) ; sed vos, principes sacerdotum, Seniores et Scribae, communi consensu (postquam mature inter vos deliberaveritis), me extra urbem interficietis, ut auctoritatem dominationemque in populum servetis ; ergo ex invidia necem mihi inferetis, ne populus me ut dominum et Messiam (*heredem*) agnoscat. Innuitur Synedristas cognovisse Jesum esse Messiam, Dei Filium : et re quidem vera, universa Evangelii historia satis indicat Judaeorum primores miracula, quibus Jesus suam comprobabat auctoritatem, agnovisse, verum ex invidia et mera voluntatis malitia eadem daemoni adscripsisse. Quamobrem Christicidii rei vere dicendi sunt.

Obiter nota Salvatorem mortem suam hic iterum praedixisse : vide supra q. 540 et 505.

4ª **Pars:** severe puniuntur v. **40** seq. Cum pater familias venerit, puta, cum e regione peregrina, in qua multo tempore manserat, redierit (cum Deus judicia justitiae ultionisque poenas in terris exercebit), quid faciet agricolis illis ? *Malos male perdet* (cogita cladem, noxae parem, Judaeis a Tito illatam), *et vineam suam*

---

flt mentio in N. T., istud frequentissimum erat apud Judaeos, non tantum tamquam poena per legem Mosaicam saepius statuta, et auctoritate judicis irroganda (J. 8, 5) ; sed etiam tamquam ultio a plebe irata et tumultuante illata : cf. L. 20, 6 *plebs universa lapidabit nos*. J. 8, 59 ; 10, 31 ; 11, 8 Judaei voluerunt lapidare Jesum. Act. 5, 26 *timebant populum ne lapidarentur ;* ib. 14, 5 et 18. Videsis diss. *De supplicio lapid.* ad calcem *comm.* nostri *in Act. Ap.*

locabit aliis, qui reddant ei fructum temporibus suis : significatur, gentiles in locum Judaeorum, qui reprobandi sint, ad fidem vocandos esse.

Dissonantia parva. Secundum M. hoc responderunt sacerdotes et Seniores, i. e. isti contra quos parabola proferebatur, adeo ut ipsi suo se ore condemnarent : verum, secundum Mc. et L., ipsemet Jesus id respondit. Evangelistas autem sic inter se conciliare possumus : sacerdotes Senioresque illud responderunt, fingentes parabolam ad alios referendam esse ; sed Jesus illorum verba repetiit et confirmavit, adeo ut manifesto indicaret se adversus eosmetipsos instituere sermonem. Tunc autem exclamaverunt L. *Absit!* i. e. Deus a nobis avertat quod nobis male ominaris ; vel, non ita erit ut tu dicis, tu enim non es ille Dei filius de quo loqueris etc.

Deinde Christus verba Ps. 117, 22, ubi Messias sub imagine *lapidis angularis ab aedificantibus rejecti* designatur, in sequentibus, v. 42-44, ad se refert, tacite affirmans se Messiam esse ; et inde concludit poenas, in parabola indicatas, adversariis suis certissime immittendas esse. *Numquam legistis?* ait : eorum ignorantiam vel animi pravitatem, qua verba illa a vero sensu contorquebant, exprobrat : unde L. *aspiciens eos ait : Quid est ergo hoc* etc.

Q. 573. Da **parabolae sensum.**

R. Ut ex dictis colligitur, *pater familias* est Deus : *vinea* regnum Dei, quod primum constitutum fuit inter Judaeos. Igitur vinea, primis locatoribus commissa, ecclesia est veteris Test., seu populus Judaicus qui factus est populus Dei (1).

Sepes dici potest lex Mosaica, cujus praescriptiones populum illum ab allis nationibus separare atque a cultu falsorum deorum immunem servare debebant. *Torcular* forte intelligitur altare (s. Hier.), in quo sanguis victimarum, quo Christi praefigurabatur sanguis, copiose effundebatur. *Turris* est Templum (s. Hier.), ex quo oportebat ut vinitores, i. e. sacerdotes aliique populi principes, vineae i. e. populo invigilarent eumque ab omni hoste

(1) Sub imagine **vineae** a Deo plantatae saepissime designatur ecclesia veteris Test. seu respublica Judaeorum : Ps. 79, 9-17 ; Jer. 2, 21 ; 12, 10 ; Ezech. 17, 6 sq. (*vinea* ibi descripta intelligitur Judaeorum respublica sub Sedecia) ; et praesertim Is. 5, 1-7, ad quem locum evidenter respicit Salvator. M. 20, 1-16 *vinea* est Ecclesia tum veteris tum novi Test.

defenderent. Mald. per *sepem*, *torcular*, *turrim* nihil aliud significari censet, quam Deum erga populum suum benignum providumque sese ostendisse, imo omnia fecisse *quae debuerit facere*, ut ait Is. 5, 4.

Agricolae, quemadmodum statim dicebam, sunt sacerdotes, seniores populi aliique magistratus. *Tempus* quo absens fuit pater familias, complectitur totum historiae Judaicae curriculum, usque ad cladem Jerosolymitanam.

Ministri (*Servi*) a Deo missi, et male habiti ab agricolis, sunt Prophetae aliique V. T. viri sancti, v. gr. Jeremias a Judaeis caesus, Isaias occisus, Naboth lapidibus obrutus 3 Reg. 21, Zacharias inter vestibulum et altare interfectus etc. Cf. Hebr. 11, 35 sq. *Filius* extra vineam occisus, Christum qui extra portam Urbis cruci affixus fuit, manifesto designat.

Fructus vineae, quos Deus vult accipere, opera sunt justitiae et sanctitatis: nimirum, ideo populum illum sibi elegit et omni modo excoluit, ut ipse vicissim Deum coleret, ejusque legem observaret.

Reditus indicat judicium quod Deus sub Tito praesertim exercuit, quando Urbem gentemque universam evertit: tunc *malos male perdidit, et vineam suam locavit aliis*, i. e. reprobato populo Judaico, populum christianum sibi elegit.

Q. 574. Praecipuum parabolae **finem** indica.

R. Christus plebem alloquitur L., sed contra synedristas imprimis verba facit: vult ostendere se ab istis injuste et ex sola invidia occidendum esse; sed crimen illud severissime puniendum, totamque Judaeorum gentem a Deo reprobandam esse.

Christus lapis angularis.

Q. 575. M. 21, 42 *Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli.* 1° Da sensum. 2° Unde desumitur verborum translatio? 3° Explica acc. *lapidem*, et *in caput* loco *caput*. 4° Proba in verbis illis sensum esse propheticum de Christo.

Vide magnum *Comm.* nostrum *in Psalm.* 3ª ed., ad Ps. 117, 22. Paucis recolligo ibi dicta.

Ad 1ᵐ. *Sensus literalis*, secundum quosdam intrepretes, est de Davide: ille, qui prius vilis abjectusque erat, jam factus est gloriosus et potens; vel de ipso populo Israel, qui a gentilibus contemnebatur, sed destinatus erat ad hoc ut primas in terra

partes sustineret. Alii sensum literalem de Christo esse opinantur: Messias, qui prius despicietur, supremam postea dignitatem et potestatem accipiet. Certum est hoc significari, saltem sensu typico.

Ad 2m. Translatio ab aedificio desumitur. Quando enim ponitur fundamentum, in angulis (ubi duo muri ex diverso latere concurrunt) solet adhiberi lapis ceteris major solidiorque, et hic collocatur in parte suprema fundamenti (*là où les fondements sortent de terre*): cf. comm. nostr. in Eph. 2, 20. Ergo *Caput anguli* רֹאשׁ פִּנָּה dicitur lapis *supremus* anguli (sic Gen. 8, 5 *caput* cacumen *montis;* 11, 4 in hebr. *caput turris;* 3 Reg. 7, 19 *caput columnae*), vel etiam metaphorice lapis *praecipuus*, *praestantior* eorum qui in angulis adhibentur (sic Ps. 136, 6 pro *principio laetitiae*, hebr. est *caput laetitiae*, i. e. praecipua laetitia; Cant. 4, 14 pro *primis unguentis* in hebr. est *capita unguentorum*, unguenta praestantissima). Germanice optime *Haupteck-und Grundstein.*

Ad 3m. *Lapidem* est accusativus absolutus, cujus vis redditur supplendo *quod attinet ad.* Vel per attractionem adhibetur: *quem lapidem reprobaverunt* etc. Pariter Virg. *Aen.* 1, 573 « Urbem quam statuo vestra est. » *In caput* hebraismus est, pro simpliciter *caput;* cf. Gen. 2, 7 *Factus est homo in animam viventem* i. e. anima vivens. Gen. 2, 24 *Erunt duo in carne una*, melius *in carnem unam*, i. e. caro una, corpus unum. Hebr. הָיָה ל: Gesen. *Lex.*

Ad 4m. Sensus autem propheticus certo demonstratur, tum ex hoc Evang. loco, quum ex Act. 4, 11; Rom. 9, 33; Eph. 2, 20; 1 Petr. 2, 6 sqq.

A Domino factum est istud et est mirabile: in graeco hic apud M., Mc., et in Psalm. ap. 70, habetur αὕτη et θαυμαστη in genere fem., quod refertur ad κεφαλην *caput.* Potuit tamen fieri ut genus femininum ap. 70 positum fuerit pro neutro, Hebraeorum more, sicut Vulg. intellexit.

Judaei, qui lapidem illum rejiciunt, misere peribunt.

43. *Ideo*, quia lapis a vobis reprobatus fiet *caput anguli*, i. e. lapis summus et angularis; absque figura, quia Messias, a vobis rejectus, rex fiet potentissimus: vos, adversarii ejus, rejiciemini (*auferetur*

a vobis regnum Dei), et gentiles in locum vestrum assumentur *(dabitur genti facienti fructum* : tacite refertur ad parabolam de vinea, v. 41 *aliis agricolis qui reddent ei fructum).*

Verba autem *auferetur a vobis regnum Dei*, quae poenam *negativam* exprimunt, explicantur eorumque sensus completur v. **44** *Qui ceciderit* etc., ubi per metaphoram continuatam de *lapide*, poena *positiva* denuntiatur. Haec poena exprimitur per **duplicem figuram,** supponendo 1° quod quis cadat super lapidem, vel 2° quod lapis cadat super eum : in utroque casu caput confringetur, et iste perebit miserrime. Hoc autem ulterius explicandum est.

1° Qui offenderit pedem contra lapidem illum, cadet, et, dum labitur super eum, caput *confringet* ; aliis verbis, qui agendi ratione Messiae scandalizatus fuerit, qui eum accusaverit et oppugnaverit, non nocebit ipsi, sed sibimet inferet perditionem : peribit, quia Messiam agnoscere noluit.

2° *Super quem vero ceciderit* lapis ille, *conteret eum :* graece λικμήσει ; hoc autem verbum proprie significat *ventilare*, seu ventilabro purgare frumentum ; inde *dissipare*, glumas et paleas ventilando *dispellere ;* inde *conterere*, *comminuere*, sicut conteruntur glumae et paleae ventilandae. Alluditur ad Dan. 2, 4 ubi *lapis* seu regnum Messiae dicitur *comminuere et consumere* universa regna, quando lapis ille ruens de monte percutiet illa. Sensus verborum Christi est : si infelix est qui cadit super lapidem, pariter (imo a fortiori) infelix est ille super quem cadit lapis : hujusce enim pondus tantum est, tantaque vis quacum ruit, ut penitus conterendus sit ille super quem delapsus fuerit. Nervose s. Aug. *Serm.* 91, 1, ed. M., de Christo lapide : « Jacendo « humilis, ait, quassat offendentem ; veniendo excelsus, conterit « superbientem. »

Igitur, dempta translatione, per effatum illud *Qui ceciderit super lapidem*, et *super quem ceciderit lapis* significatur, tantam esse Christi potentiam, ut amarissima futura sit conditio illius qui Christum repulit, namque a Christo dire punietur ; aliis verbis, Messias ab adversariis suis horrendas repetet poenas eosque misere perdet.

Hoc v. **44** Jesus forsitan respicit ad **supplicium lapidationis**

(ut censet Beel. ad Act. 7, 60), quod ita fiebat secundum traditionem Rabbinorum : qui lapidibus occidendus erat, ab uno testium impellebatur e loco alto, ut *caderet in lapidem* magnum submissum ; et, si adhuc viveret, alter testium tollebat ingentem illum lapidem eumque in pectus rei dabat, adeo ut tunc *petra caderet in eum*. Quando autem mors nondum secuta erat, tota multitudo lapides jaciebat. Cf. *Comm.* nostr. *Act. Ap.*, in app. Diss. 3ª, *de suppl. lapidat.* Ad illam autem poenam tacite mentem convertendam esse ideo probabilius est, quod supplicium istud frequentissimum esset apud Judaeos : vide ib.

V. 44 deest in quibusdam manusc. ; ideo sunt qui cum *Tisch. eum habeant ut glossema ex L. 20, 18 ; in majore tamen parte codicum legitur.

46. *Sicut prophetam* (gr. absque art., sicut unum ex prophetis) *habebant eum* turbae. S. Hier. : « Semper turba mobilis est, nec in « proposita voluntate persistens ; atque in morem fluctuum « diversorum ventorum impetu huc illucque trahitur. Quem nunc « sicut prophetam venerantur et colunt, postea contra eum « clamant *Crucifige, crucifige.* »

IV. Parabola de invitatis ad nuptias : 22, 1-14.

Praeced. vide ante q. 572.

M. 22, 1. Et respondens Jesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens : 2 Simile factum est regnum coelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo. 3 Et misit servos suos vocare invitatos ad nuptias, et nolebant venire. 4 Iterum misit alios servos, dicens : Dicite invitatis : Ecce prandium meum paravi, tauri mei et altilia occisa sunt, et omnia parata : venite ad nuptias. 5 Illi autem neglexerunt : et abierunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam. 6 Reliqui vero tenuerunt servos ejus, et contumeliis affectos occiderunt. 7 Rex autem cum audisset, iratus est : et missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, et civitatem illorum succendit. 8 Tunc ait servis suis : Nuptiae quidem paratae sunt, sed qui invitati erant, non fuerunt digni. 9 Ite ergo ad exitus viarum, et quoscumque inveneritis, vocate ad nuptias. 10 Et egressi servi ejus in vias, congregaverunt omnes quos invenerunt, malos et bonos : et impletae sunt nuptiae discumbentium.

11 Intravit autem rex ut videret discumbentes, et vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali. 12 Et ait illi : Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem ? At ille obmutuit. 13 Tunc dixit rex ministris : Ligatis manibus et pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores : ibi erit fletus et stridor dentium.

14 Multi enim sunt vocati, pauci vero electi. 15 Tunc abeuntes, etc. *Post. q. 579.*

Haec parabola, quae apud solum M. legitur, 3ª jam est quam Christus eodem tempore eodemque fere consilio protulit contra adversarios suos, et in eorum praesentia. Mc. ad finem parabolae praecedentis dicit Synedristas relicto Jesu abiisse, sed id non fecerunt nisi post auditam hanc 3ᵐ parabolam: M. 22, 15. Igitur Salvator Judaeis, eorumque principibus praesertim, iterum exprobrat contumaciam, beneficiorum divinorum contemptum ac scelera ab ipsis contra fidei praedicatores committenda; eisque justas poenas et gentium vocationem praedicit. A v. 11 alio tendit parabola. L. 14, 16 sqq. priorem parabolae partem tradit, sed in aliis rerum adjunctis: unde patet eam partem a Jesu bis enuntiatam fuisse, semel in domo Pharisaei L. 14, 1, et iterum in Templo hic ap. M. Contra Mald.

1. *Respondens:* occasione animi istius hostilis, quem Judaeorum proceres contra Jesum gerebant, iterum verba fecit (*respondere* per hebraismum, cf. 11, 25), *in parabolis:* est pluralis categoricus, namque una tantum sequitur parabola.

Q. 576. Narra parabolam illam, addendo varias annotationes, praesertim ex usibus Orientis desumptas, quae eam ad vulgarem populi nostri sensum magis accommodent.

R. In parabola duas partes et conclusionem distinguimus.

Pars prior, v. 2-10. Rex *fecit nuptias filio suo*, ἐποιησε γαμους τῳ υἱῳ αὐτου: sunt qui per γαμους in plur. intelligant festa conjugalia (1), i. e. universam nuptiarum laetitiam, quae septem diebus (Jud. 14, 12, 15; Tob. 11, 21) protrahebatur, non autem solam coenam nuptialem quae vespere primi diei fieri solebat (flandr. *bruilofts-*

(1) **Forte agitur de filio regis inaugurando.** Quidam opinantur hic per γαμους (absque art.) designari *convivium, epulas* generatim, quia vox illa γαμοι v. 4 voce αριστον permutatur, et a Syro vertitur *mestoulo, convivium*. Eamdem sensus latitudinem habere videtur vocabulum γαμοι apud L. 12, 36; 14, 8. Sic Esther 1, 5 hebraicum *mischteh*, (מִשְׁתֶּה a rad. שָׁתָה *bibit*) quod *convivium* in genere significat, apud 70 redditur per γαμος, quamvis de nuptiis ibi non agatur. Putant autem auctores isti hic ap. M. intelligendas esse dapes festas et solemnes, quas rex quidam, quando filium imperii consortem inaugurat et sibi adjungit, in honorem ejus parat et ad quas proceres regni invitat. De hujusmodi convivio cf. 3 Reg. 1, 9 Ita melius animo percipimus invitatos venire noluisse, puta ob hanc causam, quod novum regem agnoscere ejusque auctoritati sese subjicere recusarent. Convivii detrectatio valde mira videtur, si agatur de *nuptiis*. Sensus autem parabolae, si dicamus sermonem fieri de epulo in honorem novi regis instituto, tam pulcher tamque facilis est, quam si *coenam* cogitemus *conjugalem*.

Addere tamen debeo considerationem istam de mira agendi ratione non admodum firmam esse, quum in parabolis scopus praesertim inspiciatur.

feesten, non *de trouwmaaltijd*). Sed probabilius est pluralem numerum positum esse pro singulari, sicut vox *nuptiae* latine adhibetur, et hic significari convivium nuptiale consuetum.

3. Die statuto, ut mos est in Oriente, rex *mittit servos* (suos ministros, *ses officiers*) ad domum invitatorum (qui certe pluribus diebus antea jam invitati fuerant) (1), *ut vocent eos ad nuptias*, i. e. ut eos moneant horam adesse veniendi ad nuptias, utque eos honoris causa ad domum nuptialem deducant. Sed isti *nolunt venire*, excusationem quamdam, ut videtur, praetendentes. **4** Iterum mittit alios servos, ut instent apud invitatos, eisque suo nomine dicant : *Ecce, prandium meum paravi*, i. e. jam praeparatum est etc.

Prandium αριστον multi intelligunt convivium quod fit circa meridiem (gall. *déjeuner à la fourchette*) et quocum, aiunt, incipiunt festa nuptiarum tempora; deinde verba *Tauri mei et altilia occisa sunt*, putant referenda esse ad coenam seu convivium nuptiale proprie dictum, quod vespere habendum erat. Sed hoc nulla nititur ratione; nonnisi de uno convivio, et vespertino quidem (cf. v. 13), in tota parabola agitur: ideo αριστον sensu lato dicitur pro epulo lauto et splendido (cum *Schleusner et *Bretschn. in *Lex.*). S. Greg. *H.* 38 etiam *prandium* sumit pro *coena*.

Altilia i. e. saginata, supple *animalia*, gall. *tout ce que j'avais fait engraisser;* intelliguntur vel arietes, oves, vituli, boves etc. saginati (fl. *het mestvee*) ; vel, secundum alios, sign. volatile pecus *la volaille engraissée*. — *Et omnia* alia, quae pro digna nuptiarum celebratione requiruntur, *parata sunt: venite ad nuptias*. « Ad quid vocat? Ad « labores, aerumnas, sudores? Nequaquam, sed ad delicias : ait « enim *Tauri mei* etc. Quantae dapes! quanta magnificentia! « (s. Chrys.) »

Verum et huic efflagitatui resistunt invitati : v. **5** quidam enim ex iis *negligunt* venire, et *abeunt, alius in villam suam, alius vero ad negotiationem suam;* illa autem negligentia, quae ex nimio proprii commodi studio oritur, haud levem sane involvit contemptum. V. **6** *Reliqui vero* (duplex igitur genus distinguitur), adhuc pejores, inimicitiam, qua contra regem afficiuntur, audacter produnt : etenim *servos ejus* apprehendunt, *contumeliose tractant et*

(1) Beelen dicit talem fuisse morem ut bis fieret invitatio : sed Knab. notat hoc nullo antiquitatis testimonio satis firmo probari : neque, addit, requiritur ut singula quae refert parabola reipsa fieri soleant.

occidunt (1). V. **7** Rex autem, cum tantam audiat impudentiam, irascitur, et mittit excercitus ad perdendos homicidas *civitatemque illorum* succendendam.

Obiter nota haec de *missis exercitibus* et de *civitate* comburenda, non tam ad ipsam parabolam quam ad ejus sensum pertinere. Namque in ipsa parabolica historia isti invitati, qui instante hora convivii vocantur, certe cogitantur habitare in eadem civitate ac rex. Attamen admittere possumus regis palatium extra civitatem fuisse, eamque jussu regis per milites eo missos incendio vestatam fuisse.

8. Deinde, expleta ultione, ait servis suis: *Nuptiae* etc. **9** *Ite* ergo *ad exitus viarum,* ubi plures viae in unum conveniunt (fl. *kruiswegen en vijfwegen*), atque adeo ubi frequentior occurrit populus; et *quoscumque inveneritis* etc.: viae intelligi possunt rusticae, extra civitatem, ut sint imago gentilium. Sed nihil impedit quominus etiam compita urbis interpretemur: gentiles enim significantur per eos qui in locum priorum vocati sunt. Posito tamen quod civitas jam incendio vastata habenda sit, viae istae erunt rusticae.

10. Servi statim *in vias egrediuntur* (multi id dictum esse opinantur de egressu in vias rusticas, alii de egressu e domo in vias quaslibet), et omnes quos inveniunt, *malos et bonos*, obvios quosvis, congregant, nullo modo examinantes quinam sint, num viri digni et honorati, an vero viles et ignobiles. Verba *malos* et *bonos*, si propria strictaque significatione sumantur, parabolae sensum respiciunt. Vespere implentur *nuptiae*, i. e. coenaculum nuptiale impletur discumbentibus (*discumbentium*, gen. loco abl. per graecismum).

Pars altera, v. 11-13. Jam vero rex, cum mensae accumbunt omnes, et hora cibi adest, coenaculum intrat v. **11** ut convivas aspiciat: et ecce, videt ibi hominem non vestitum veste *nuptiali* (sc. tali quae decet convivium solemne et splendidum), cui quidem v. **12**: *Amice*, ait (ἑταῖρε, cum leni contemptu, sicut ignotos alloqui solemus, *mi homo*, fl. *vriendje*, cf. M. 20, 13), *quomodo* qua fronte *huc intrasti*, huc intrare ausus es, *non habens vestem nuptialem*, cum

(1) Haec quidem in historia parabolica parum verisimilia sunt, si agatur de convivio nuptiali, sed dici potest rem ita effingi propter scopum et accommodationem parabolae.

indutus non esses veste satis munda ut digne decenterque convivio accumberes? Aliis verbis, quare vestem tuam meliorem non assumpsisti ut huc venires? aut quomodo accedere ausus es, si tunicam nitidam non habeas?

Pro hujus intelligentia nota, viros illos, qui indiscriminatim in compitis invitati fuerant, debuisse, antequam palatium regium peterent, festiva induere vestimenta, ut digne se sisterent coram rege. Igitur ille, qui aderat absque tali ornatu, reus erat contemptus gravissimaeque negligentiae: ideo etiam, quando rex eum interrogat, *obmutescit*, nullam habens excusationis rationem, et pudore confusus propter culpam suam. ([1])

13. Tunc rex ministris jubet ut verberonem istum *ligatis manibus et pedibus mittant in tenebras exteriores*, ut e coenaculo, quod multis illuminatum erat lampadibus, eum ejiciant; et, quod ex eo consequitur, ut in *tenebras*, quae foris erant (nam sero fiebant convivia), ipsum detrudant. Additur autem *ligatis manibus et pedibus*, ne iste ejicientibus resistat, aut in coenaculum redire attentet, aut quovis modo se ipse adjuvare possit: *ibi erit fletus* etc. (verba sunt Jesu, non regis): ibi flebit propter *moerorem*, et propter *iram* dentibus stridebit. Cf. supra 8, 12.

14. Conclusio, quae parabolae accommodationem tacite involvit: *Multi enim sunt vocati* etc.

Q. 577. Parabolae **explicatio** atque **accommodatio moralis** jam tradatur.

R. Quod attinet ad **priorem** parabolae **partem.** *Rex* est Deus, et *filius* Verbum seu secunda ss. Trinitatis persona; per *nuptias filii* designatur conjunctio Christi cum Ecclesia, vel Incarnatio Verbi: utrumque eodem recidit, nam cum incarnatum est Verbum, Christus Ecclesiam sibi tamquam sponsam copulavit. Porro convivium *nuptiale* opipare praeparatum *(tauri, altilia* etc.) in terris inchoatur per eximia salutis Evangelicae beneficia, sc. per fidem et gratiam, perficitur autem in coelis per inenarrabilem gloriam.

(1) Aliqui recentiores opinantur morem fuisse ut invitatis offerrentur vestimenta pretiosa, et hominem istum prae contemptu noluisse accipere tunicam sibi oblatam. Verum hujusmodi contemptus de se parum probabilis est, et aliunde non satis constat morem illum antiquitus exstitisse, saltem apud Hebraeos: neque mos ille concludi potest ex eo quod saepe inter munera quae donantur vestes recenseantur, ut Gen. 45, 22; Jud. 14, 12; 4 Reg. 5, 22. Istud in medio relinquimus, eo vel magis quod ad explicationem historiae in parabola confictae non requiratur.

Invitati intelliguntur Judaei, ad quos vocatio Evangelica primum spectabat (Act. 13, 46 *vobis oportebat primum loqui verbum Dei* etc.). *Servi*, qui ad eos mittuntur, non sunt Prophetae V. T. (ut s. Hier. intelligit), per quos jam olim prima invitatio facta fuerat, sed praedicatores Evangelii, qui nunc ipso convivii die invitatos arcessunt.

Prima invitatorum series, sc. *eorum qui* suis traditi negotiis *venire negligunt*, complectitur populum ; ipse enim caducarum rerum studio beneficia aeterna posthabuit. Ad secundam vero seriem, *eorum qui servos contumeliis afficiunt* et *occidunt*, referuntur principes populi, sacerdotes, Seniores, Scribae etc., qui non solum recusarunt fidem recipere, sed insuper praecones ejus male habuerunt, v. gr. Apostolos in carcerem mittentes et flagellantes (Act. 4, 3 ; 12, 3 ; 9, 2 ; 2 Cor. 11, 24) ; imo vero occiderunt, v. gr. Joannem-Baptistam, Christum, Stephanum, Jacobum Zebedaei (Act. 12, 1), Jacobum Alphaei *fratrem Domini* (Jos. *Ant.* 20, 9, 1) etc.

Poena intelligitur praesertim clades sub Vespasiano et Tito illata : igitur *exercitus* sc. Romanorum, *occisio* innumerae multitudinis, maxime quae Hierosolymis facta est, *incendium* Templi et urbis.

Servi extra civitatem ad exitus viarum missi significant Apostolos in omnes mundi partes jussu Domini ad praedicandum profectos. *Invitati illi obvii, quicumque inveniuntur, mali et boni*, figurant gentiles, qui nulla habita ratione eorum quae antea fecerint, ad salutem Evangelicam gratuito vocantur. *Coenaculum* erit *impletum* convivis, quando in fine seculorum ad eum christianorum numerum, quem statuit Deus in Ecclesiam admittere, perventum erit.

Quod attinet ad **alteram** parabolae **partem.** *Ingressus regis in coenaculum*, puta initio mensae, antequam epularum laetitia incipiat, *ad examinandos convivas*, extremum Dei judicium, in exitu mundi futurum, designat (hoc autem includit judicium privatum, quod fit statim post mortem uniuscujusque hominis). *Conviva, cui vestis nuptialis* deest, dici debet christianus, qui per fidem quidem ingressus est Ecclesiam (invitatus fuit, venit, intravit), sed qui splendore gratiae sanctificantis animam non ornavit ; igitur qui in *statu gratiae* non reperitur, quando Deus eum examinat ; iste

obmutescit, quum ad sui excusationem nihil, ne minimum quid, afferre possit. Ideo in laetitiam convivii coelestis admitti non meretur, sed angelorum ministerio projicitur *ligatis manibus et pedibus*, i. e. incapax suae salutis ulterius operandae, *in tenebras exteriores*, i. e. in infernum detruditur, *ubi erit fletus et stridor dentium*, ubi maximi erunt cruciatus.

Itaque *vestis nuptialis* est status gratiae ; adeoque officia pietatis et opera charitatis, quae praeter fidem ad salutem requiruntur, demonstrat: s. Greg. « Cum nuptiali veste non intrat, qui in « s. Ecclesia assistens, fidem habet, sed charitatem non habet. » *Ministri* autem sunt angeli. *Interrogatio regis*, et *silentium* hominis pudore affecti, praefigurant ea quae coram tribunali summi judicis, in extremo judicio, fient. Dein qui *ejicitur e coenaculo* vices gerit illorum omnium qui *e coelo excluduntur ;* unde etiam *dejectio in tenebras exteriores* significat damnationem ad infernum : quum manus ejus et pedes sint ligati, e loco supplicii effugere non poterit, neque ullum sperare levamen in tormentorum acerbitate (*poena aeterna*).

Tandem per *fletum et stridorem dentium* intelliguntur cruciatus summi, tum moeror animi maximus propter poenam damni et pungentes animi stimulos (*fletus*), quum tormenta corporis dirissima seu poena sensuum (*stridor dentium*) : « In fletu oculorum « et stridore dentium, ait s. Hier., per metaphoram membrorum « corporalium magnitudo ostenditur tormentorum. » Pariter s. Chrys. ait « intolerabiles dolores » indicari.

Q. 578. Quid significat conclusio parabolae : *Multi enim sunt vocati* etc. ?

1ª Sententia (minus probabilis).

R. Luc. Brug., Klof., Beel. ad ultimam parabolae partem eam referunt, hoc sensu: inter gentiles ad fidem vocatos, paucos fore *electos* proprie dictos, nempe in coelo admittendos, ideoque etiam inter catholicos, qui ad veram Christi Ecclesiam pertinent, minorem futurum esse numerum beatorum quam damnatorum : cf. q. 1127.

Verum, narrationis contextus suadet ut sententiam illam ad universam parabolam (cum Mald., Knab. etc.), et imprimis ad

scopum ejus principalem, referamus; namque e convivio nuptiali unus solummodo fuit ejectus, alii vero omnes electi fuerunt; ideoque conclusio illa ultimae parti non plane convenit. Deinde v. 3 *Judaei* dicuntur primum vocati. Praeterea, contra solos Judaeos proponitur parabola: ad illos igitur spectat conclusio. Quae autem habentur v. 11-13, obiter adjiciuntur, ut doceatur quinam sint illi qui vocationi suae vere obediant. Tandem, ita describi solent parabolae Evangelicae, ut in fine addatur earum conclusio: cf. M. 18, 14 et 35; 20, 16; 21, 31 et 43. Vide parabolae clausulam L. 14, 24.

2ª Sententia (probabilior).

Sensus itaque erit: Veritas haec generalis, *paucos* (habita ratione aliorum) *salvandos esse*, in Judaeis omnino manifesta est; pauci fidem revera amplectentur, quia major eorum pars vel fidem oblatam negliget (prior series), vel etiam, quod pejus est, ministros fidei male habebit (posterior series).

Q. 579. Quem **finem** mente intendit Christus, cum hanc proposuit parabolam?

R. Ut mihi videtur, mens Christi ante omnia est ut doceat **(finis primarius)** Judaeos a salute Evangelica propter pervicaciam esse excludendos, imo severissime puniendos, gentiles vero in eorum locum admittendos. **Secundarius** autem **finis** latet in ultima parabolae parte, per quam significatur, non omnes qui fidem amplectantur, atque in Ecclesiam admittantur, salvos fore; sed praeter fidem statum gratiae, i. e. vitam sanctam, ad salutem requiri.

V. Captiosa Pharisaeorum interrogatio de tributo Caesari solvendo: 22, 15-22.

Praeced. vide ante q. 576.

M. 22, 15. Tunc abeuntes Parisaei, consilium inierunt ut caperent eum in sermone. 16 Et mittunt ei discipulos suos cum Herodianis, dicentes: Magister, scimus

Mc. 12, 13. Et mittunt ad eum quosdam ex Pharisaeis, et Herodianis, ut eum caperent in verbo. 14 Qui venientes dicunt ei: Magister, scimus quia verax es, et non curas quemquam: nec enim vides in

L. 20, 20. Et observantes miserunt insidiatores, qui se justos simularent, ut caperent eum in sermone, ut traderent illum principatui et potestati praesidis. 21 Et interrogaverunt eum, dicentes:

quia verax es, et viam Dei in veritate doces, et non est tibi cura de aliquo: non enim respicis personam hominum: 17 dic ergo nobis, quid tibi videtur, licet censum dare Caesari, an non?

18 Cognita autem Jesus nequitia eorum, ait: Quid me tentatis, hypocritae? 19 Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. 20 Et ait illis Jesus: Cujus est imago haec, et superscriptio? 21 Dicunt ei: Caesaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo. 22 Et audientes mirati sunt, et relicto eo abierunt. 23 In illo die etc. *Ante q. 582.*

faciem hominum, sed in veritate viam Dei doces: licet dari tributum Caesari, an non dabimus?

15 Qui sciens versutiam illorum, ait illis: Quid me tentatis? Afferte mihi denarium ut videam. 16 At illi attulerunt ei. Et ait illis: Cujus est imago haec et inscriptio? Dicunt ei: Caesaris. 17 Respondens autem Jesus, dixit illis: Reddite igitur quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo. Et mirabantur super eo.

Magister, scimus quia recte dicis et doces: et non accipis personam, sed viam Dei in veritate doces: 22 licet nobis tributum dare Caesari, an non?

23 Considerans autem dolum illorum, dixit ad eos: Quid me tentatis? 24 Ostendite mihi denarium. Cujus habet imaginem, et inscriptionem? Respondentes dixerunt ei: Caesaris. 25 Et ait illis: Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari: et quae sunt Dei, Deo. 26 Et non potuerunt verbum ejus reprehendere coram plebe: et mirati in responso ejus, tacuerunt.

Q. 580. 1° Ad quos, et qua occasione, dicta fuerunt verba Christi vere aurea: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo?* 2° Summam loquentis solertiam ostende.

R. ad 1m. Dicta fuerunt v. **15** et **16** ad quosdam e Pharisaeorum *discipulis,* qui a magistris *missi fuerant* simul *cum Herodianis, ut Jesum verbis caperent.* Pharisaei enim per tres parabolas praecedentes, quas contra se dictas esse facile intellexerant, graviter offensi fuerant: ideo Jesum ulcisci voluerunt. Hunc in finem *consilium inierunt* quaestionem insidiosam et perfidissimam quidem ponere; sed quum timerent rursum ad eum accedere, quumque amplius non auderent ipsimet interrogare, ne iterum pudore afficerentur, *discipulos* miserunt, eo vel magis quod sperarent fore ut per interpositas personas Jesum facilius deciperent. Herodiani autem, qui (secundum sententiam s. Chrys., Mald. etc.) cum Herode, cujus partes sequebantur, Romanis multum favebant, ideoque tributa eis quiete solvenda esse contendebant, qua in re Pharisaeis, viris antiquae libertatis defensoribus (*le parti national, anti-Romain*), adversabantur, simul adducti fuerunt, ut Jesus, si contra tributum quidpiam diceret, efficacius perderetur.

Alii (Lamy, Schegg, Knab.) censent istos minime favisse Romanis, sed hoc unum voluisse ut tota Palaestina sceptro Herodis

subjiceretur ; et hac in re etiam oppositi erant Pharisaeis, qui alienigenam illum moribus ethnicis imbutum abominabantur. Nunc tamen advocantur ut Jesus certius perdatur, hoc modo : si dicat tributum non solvendum esse Romanis, utpote alienigenis, sequetur nec Herodi etiam alienigenae solvendum ; si affirmet Romanis solvendum, jam se declarat inimicum dominationis Herodianae (Knab.), et invisum omnibus se reddit. — De *Herodianis* vide q. 1088.

Callida et captiosa interrogatio.

Igitur Pharisaei Jesum *in verbis capere* volunt, i. e. callide ab ipso elicere aliquod responsum, propter quod possint eum *tradere principatui et potestati praesidis* Romani L., atque ita eum perdere. Quapropter *insidiatores* L. nonnullos mittunt, sc. discipulos suos, Herodianis consociatos: isti autem *se justos simulantes* L., studiumque Legis praetendentes, interrogant eum de quaestione inter Judaeos acriter agitata, et circa quam videtur fuisse controversiam inter Pharisaeos et Herodianos: num per Dei legem *liceat censum dare Caesari ?* Per *censum* (quae vox latina in graeca Evangelistarum scriptura servata fuit, κῆνσος) tributum, quod singuli Judaei Imperatori Romano solvere tenebantur (proprie *capitatio*, gall. *impôt par tête*), intelligitur.

Hoc autem tributum, quum *alienigenis* seu *gentilibus*, viris idololatris, adeoque impiis et immundis, esset pendendum, Judaeis semper et ubique visum fuit in se injustum et *illegitimum;* praeterea quum omnibus et singulis speciale servitutis subjectionisque esset indicium, a Judaeis istius aetatis onus durissimum ac plane intolerandum habebatur ; imo vero, inter varia et plurima tributa, ad quae adstricti erant, ab eo tempore quo Palaestina in provinciam Romanam redacta fuerat, illud maxime invisum omnibusque praecipue odiosum erat.

Sed antequam fallacem suam ponant quaestionem, vili **adulatione utuntur,** ut imprudens responsum eo facilius eliciant. V. 16 *Magister*, aiunt, *scimus* a/ *quia verax es*, *et* proinde b/ *viam Dei*, quidquid Deus praescribit vel permittit, *in veritate doces* (fingunt se nihil nisi simplicem quaerere veritatem); adeo quidem ut *c/* non sit tibi *cura de aliquo*, quum non *respicias personam hominum*, i. e.

numquam ex timore hominum, aut propter quorumvis auctoritatem, veritatem laedis eamque retices.

Quare adulantur? Notat s. Hier., cui concinit s. Chrys., per verba illa blanda et fraudulenta Jesum impelli ad hoc ut Deum magis quam Caesarem timeat, dicatque tributa Romanis solvenda non esse. Innuunt enim, plerosque doctores *ex metu Romanorum* non audere dicere, hujusmodi tributum, a Judaeis solvi non debere nec posse : se vero persuasos esse Jesum liberrime responsurum secundum veram Legis sententiam.

Quid valeat interrogatio. 17 His itaque astute praemissis, ad ipsam jam veniunt interrogationem : *Dic ergo nobis, quid tibi videtur ?* « Non dicunt, ait s. Chrys., Dic nobis quid bonum, quid « utile, quid legale ? sed *Quid tibi videtur ?* Ita hoc unum specta- « bant, ut traderent eum, et ut imperantis hostem declararent. » *Licetne* (*nobis* Judaeis, L.) *censum* seu tributum *dare Caesari* (1), principi ethnico, *an non ?* Vis quaestionis haec est : num Imperatoris Romani dominationem agnoscere liceat, an vero oporteat solum Jehovam (Deum) ut regem habere, adeoque antiquam populi Israel theocratiam sustinere, et, data opportunitate, Judaeorum liberationem a jugo gentilium vindicare ?

Nota verba *Licet, an non ?* Responsum petitur *peremptorium* seu decretorium, et in materia quidem valde periculosa, ut jam animadvertimus. Arrogantia eorum sanguinariusque animus adhuc magis se prodit (ut acute observat s. Chrys.) apud Mc., ubi vera lectio sic habet : *Licet Caesari censum dare vel non ? Demus vel non demus ?* (aliter legit Vulgata). Igitur volunt ut quaestio *theoretica* ad actum et usum accommodetur et *practice* solvatur. Non sufficiet ut principia quaedam generalia ponantur in abstracto, v. gr. de praecellentia genti Judaicae ab ipso Deo concessa, vi cujus populus ille omnibus gentibus superior ab eisque independens dicendus sit ; sed exigunt ut Jesus categorice declaret num hic et nunc Romanis obediendum sit vel non. Videsne astutiam et malitiam istorum ? Requirebatur sapientia vere divina ad eos confundendos. Haec autem non defecit, ut mox ostendemus.

(1) Id temporis *Caesar* i. e. Romanorum imperator erat Tiberius, sucessor Augusti.

Quaestio utrimque perfida.

R. ad 2^m. Solertiam, quae in responso latet, melius perspiciemus, si notemus quaestionem illam valde fallacem et captiosam esse. Undique, ait s. Chrys., laqueum tendebant, ut quidquid diceret Jesus, caperetur in verbis. Etenim, si affirmet *licere,* odium invidiamque populi, qui Romanis infensissimus erat, contra se excitabit ; unde et inimici ejus ipsum absque timore populi occidere deinceps poterunt. Imo, quod magis est, iram et furorem commovebit *Zelotarum* (puta istorum qui per zelum praeposterum praeludebant factioni *Zelotarum* postea exortae), qui fortasse ipsum e medio tollent. Si vero respondeat (quod maluissent, s. Chrys.) *Non licet,* seditiosus erit in Romanos, et coram tribunali Praesidis Romani rebellionis capitisque reus erit: quae quidem criminatio eo firmior et vehementior erit, quod Herodiani, qui Romanorum fautores erant, vel (juxta Knab.) qui putabant istud *non licet* ad Herodem etiam alienigenam referendum esse, responsum audierint. « Bicipiti complexione insidiantur, ait s. Aug. *Contra Cresc.* « 1, 17, ut quodlibet eligens caperetur. »

Pulchrior responsio non legitur in Evang.

18. Ideo Salvator, *cognita nequitia eorum,* non directe respondet, sed *prudens sicut serpens,* callido utitur circuitu, simulque ostendit se reipsa veracem esse, sibique curam non esse de aliquo: *Quid me tentatis,* ait, *hypocritae ?* fingitis ex amore et studio Legis id a vobis inquiri, sed putidi estis virtutis simulatores, quum ad nihil aliud animum intendatis quam ut me perdatis. Vide quomodo et assentationem respuat et severam rependat objurgationem.

V. **19.** *Ostendite mihi numisma census.* Intelligitur, ut diximus, tributum quod in capita singula imperatum erat, secundum civium recensionem, in *απογραφη* seu *descriptione,* de qua mentio fit Act. 5, 37, confectam (1), quodque singulis annis solvendum erat, ab eo tempore quo Judaea in provinciam Romanam redacta fuit, i. e.

(1) Non omnes admittunt *descriptionem* (seu *censum,* gall. *le recensement*), quae, secundum L. 2, 1 et 2, facta est etiam in Palaestina, eo tempore quo natus est Christus, in hunc finem institutam fuisse ut capitatio seu tributum per singula capita jam tunc Judaeis, qui Romanorum tributarii tantum erant, nondum autem in Provinciam redacti, imponeretur. Multi putant nihil aliud tunc fuisse peractum quam incolarum dinumerationem (*une statistique de la population*) : cf. supra q. 57.

postquam ethnarcha Archelaus a regno amotus fuit, a. 6 aerae Dion.

At illi offerunt ei denarium, monetam Romanam (ejusdem valoris ac drachmam Atticam), in qua imago nomenque Imperatoris Romani erant impressa. V. **20** *Et ait illis Jesus : Cujus est imago haec et superscriptio?* V. **21** *Respondent Caesaris. Et ait illis : Reddite ergo, quae sunt Caesaris Caesari.* Siquidem haec moneta apud vos usum communem et pretium legale obtinet, signum est vos Romanorum dominationi et imperio subjectos esse, ideoque non solum *licet*, sed *oportet* tributum solvere Caesari.

Demonstratio illa, ex usu monetarum petita, confirmatur hisce verbis Maimon., tr. *Gezel.* 5 : « Ubicumque numisma alicujus regis obtinet, illic incolae regem istum pro domino agnoscunt. » Semper enim et ubique admissum fuit jus cudendi nummos competere illi qui vere princeps sit regionis. Christus autem examinare non vult utrum necne Judaei sint juste subjecti Romanis (hoc in utramque partem disputari posset), sed solum respicit quod reipsa obtinet.

Mira Jesu solertia. Hic autem non sistit Christus in respondendo, sed quaedam solerter addit, ut omnem sensum pravum a verbis suis removeat: *Et* reddite *quae sunt Dei Deo.* Quod ut melius intelligatur, nota hanc esse vim et rationem quaestionis, ut unum vel alterum affirmetur, vel licere censum dare Caesari ejusque imperio obedire, vel istud fas non esse, sed oportere ut Judaei Deum solum regem agnoscant ejusque legibus tantum se subjiciant. Christus autem respondet : Unum *atque* alterum faciendum esse ; subjectionem Romanis debitam et solutionem tributi ab eis impositi non impedire quominus Deo obtemperetur, ejusque legi.

Homo nummus Dei. Acute Tert. *De idol.* 15 : « *Reddite*, ait, « *quae sunt Caesaris Caesari et quae sunt Dei Deo*, id est imaginem « Caesaris Caesari quae in nummo est, et imaginem Dei Deo quae « in homine est ; ut Caesari quidem pecuniam reddas, Deo temet- « ipsum. » S. Aug. (t. 5, p. 82, ed. M.) etiam docet hominem Dei nummum esse. Effatum mirae profunditatis !

Quae sunt Dei Deo in sensu generali sumendum est : igitur hic cogitandum non est de tributo pro Templo solvendo, aut, cum s. Hier., de decimis, primitiis etc. : quamvis certe haec non excludantur.

Verba aurea. Illud Jesu responsum in aedificiis nostris publicis ubique literis aureis inscribendum esset. Statuitur veritas illa maximi momenti, oportere ut christiani obedientiam erga potestatem civilem semper conjungant cum obedientia erga Deum ejusque legem, i. e. erga potestatem ecclesiasticam (cf. q. seq.) ; proinde spiritum rebellionis prorsus alienum esse a sensu christianismi. Praeterea notare juvat hac veritate tamquam fundamento inniti tum *jus* primarium quum *libertatem* pretiosissimam christianorum : si enim *Caesari reddenda sunt quae sunt Caesaris*, jus semper unicuique concedi debet *Deo reddendi quae sunt Dei;* et nemo potest liberum exercitium illius juris impedire, adeo quidem ut, si quidpiam statuatur contrarium iis quae sint Dei, Deo obediendum sit magis quam hominibus. Regula quoque regiminis civilis primaria ibi latet, quum et ipse Caesar, qua Caesar, Deo reddere debeat quae sint Dei. Merito exclamat s. Hil. : « O plenam miraculi responsionem et perfectam dicti coelestis absolutionem ! » Verba Christi *Reddite quae* etc. saepe proponenda sunt populo : in gratiam concionatorum **schema** tradam **homiliae** infra ad calcem libri, in Append. IV, q. 1154.

22. Effectus sapientissimae illius responsionis : *Audientes mirati sunt.* « Ergo credere oportebat, ait s. Chrys..... Quid igitur ? Num « crediderunt ? Minime, sed *relicto eo abierunt.* »

(Obiter) **Duae potestates.**

***Q. 581.** Affer quaedam Christi verba, quibus distinctio (non *divortium*) utriusque potestatis, ecclesiasticae et civilis, probari possit : verba recitata paucis explicando.

R. 1° *Reddite quae sunt Caesaris* etc., vide q. 580. Obedientiam potestati civili, in ejus ordine, praestandam esse, docetur etiam Rom. 13, 1 sqq. ; 1 Petr. 2, 13, 14, 17. Sunt igitur duae potestates supremae, quibus parere oportet, unicuique in ordine suo : sc. in rebus politicis et civilibus potestati civili, ecclesiasticae autem in rebus spiritualibus et religiosis. « Imperatoris propria (ait Pius IX, *Encycl. 6 jan. 1873*) « est civilium rerum administratio, res autem ecclesiasticae ad sacerdotes omnino « pertinent. »

Unus utriusque finis. Sed haec utriusque potestatis distinctio non est *divortium*, imo vero non impedit quominus finis *ultimus* utriusque idem sit (sc. Dei gloria et salus animarum) ; unde concludimus a/ civilem potestatem teneri suo modo, et in suo ordine, regnum Dei promovere, atque hac in re potestatem ecclesiasticam adjuvare. b/ Si autem oriatur dissensio et conflictus, illam huic subjiciendam esse ; nam, si umquam jubeantur contraria, *obedire oportet Deo magis quam*

hominibus, Act. 4, 19 ; 5, 29. S. Chrys. : « *Reddite quae sunt Caesaris Caesari*, de iis id « solum intellige quae nihil pietatem laedunt ; ita ut, si laedant, jam non Caesaris « sed diaboli tributum et vectigal sint. »

2° J. 18, 36 *Regnum meum non est de hoc mundo*, supple, sed *de coelis* est ; non politicum et *terrenum* est, sicut regum principumque, sed spirituale et *coeleste* ; ideo regnum meum (et personam meam) vi armorum non defendo (*si*, addit ib., *ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis*), sed aliis subsidiis et adminiculis, sc. spiritualibus, vi persuasionis et gratiae divinae, illud stabilire et propagare studeo. Cf. infra q. 783 sq.

VI. Sadducaei de resurrectione interrogant, et confutantur. 22, 23-33.

A. Captiosa interrogatio.

Praeced. vide ante q. 580.

M. 22, 23. In illo die accesserunt ad eum Sadducaei, qui dicunt non esse resurrectionem, et interrogaverunt eum, 24 dicentes : Magister, Moyses dixit : Si quis mortuus fuerit non habens filium, ut ducat frater ejus uxorem illius, et suscitet semen fratri suo. 25 Erant autem apud nos septem fratres: et primus, uxore ducta, defunctus est : et non habens semen, reliquit uxorem suam fratri suo. 26 Similiter secundus, et tertius, usque ad septimum. 27 Novissime autem omnium et mulier defuncta est. 28 In resurrectione ergo cujus erit de septem uxor ? Omnes enim habuerunt eam.

M. 12, 18. Et venerunt ad eum Sadducaei, qui dicunt resurrectionem non esse : et interrogabant eum dicentes : 19 Magister, Moyses nobis scripsit, ut si cujus frater mortuus fuerit, et dimiserit uxorem, et filios non reliquerit, accipiat frater ejus uxorem ipsius, et resuscitet semen fratri suo. 20 Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est non relicto semine. 21 Et secundus accepit eam, et mortuus est : et nec iste reliquit semen. Et tertius similiter. 22 Et acceperunt eam similiter septem: et non reliquerunt semen. Novissima omnium defuncta est et mulier. 23 In resurrectione ergo cum resurrexerint, cujus de his erit uxor ? septem enim habuerunt eam uxorem.

L. 20, 27. Accesserunt autem quidam Sadducaeorum, qui negant esse resurrectionem, et interrogaverunt eum, 28 dicentes : Magister, Moyses scripsit nobis : Si frater alicujus mortuus fuerit habens uxorem, et hic sine liberis fuerit, ut accipiat eam frater ejus uxorem et suscitet semen fratri suo. 29 Septem ergo fratres erant : et primus accepit uxorem, et mortuus est sine filiis. 30 Et sequens accepit illam, et ipse mortuus est sine filio. 31 Et tertius accepit illam. Similiter et omnes septem, et mortui sunt. 32 Novissime omnium mortua est et mulier. 33 In resurrectione ergo, cujus eorum erit uxor ? siquidem septem habuerunt eam uxorem.

B. Solers Jesu responsum.

29 Respondens autem Jesus, ait illis : Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei. 30 In resurrectione enim, neque nubent, neque nu-

24 Et respondens Jesus, ait illis : Nonne ideo erratis, non scientes Scripturas, neque virtutem Dei ? 25 Cum enim a mortuis resurrexerint, neque nu-

34 Et ait illis Jesus : Filii hujus saeculi nubunt, et traduntur ad nuptias : 35 illi vero, qui digni habebuntur saeculo illo, et resurrectione ex mortuis, neque nubent, neque ducent uxores : 36 neque enim ultra mori poterunt : aequales enim

bentur : sed erunt sicut angeli Dei in coelo. 31 De resurrectione autem mortuorum non legistis quod dictum est a Deo dicente vobis : 32 Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ? Non est Deus mortuorum, sed viventium. 33 Et audientes turbae, mirabantur in doctrina ejus. 34 Pharisaei autem etc. *Ante q 583.*

bent, neque nubentur, sed sunt sicut angeli in coelis. 26 De mortuis autem quod resurgant, non legistis in libro Moysi, super rubum quomodo dixerit illi Deus, inquiens : Ego sum Deus Abraham, et Deus Isaac, et Deus Jacob ? 27 Non est Deus mortuorum, sed vivorum. Vos ergo multum erratis.

angelis sunt et filii sunt Dei, cum sint filii resurrectionis. 37 Quia vero resurgant mortui, et Moyses ostendit secus rubum, sicut dicit Dominum, Deum Abraham, et Deum Isaac, et Deum Jacob. 38 Deus autem non est mortuorum, sed vivorum : omnes enim vivunt ei. 39 Respondentes autem quidam Scribarum, dixerunt ei : Magister, bene dixisti. 40 Et amplius non audebant eum quidquam interrogare.

De *Sadducaeorum* secta ejusque doctrinis vide q. 1087.

Q. 582. Compendium totius pericopae. 1° Quid Sadducaei Jesum interrogaverunt de uxore septem fratrum ? 2° Astutiam illius quaestionis explica, indicando legem *Leviratus* ad quam referebatur mirus iste casus. 3° Quis autem fuit interrogantium finis ? 4° Quid jam respondit Jesus ? 5° An ex ejus verbis sequitur in mortuorum resurrectione femineum sexum non futurum esse ? 6° Quomodo ex Scriptura demonstravit mortuos ad vitam revocandos esse ? An argumentatio ejus valida est ?

R. ad 1m. V. **24-28.** Septem fratres per alternas vices eamdem ducunt uxorem, quod faciunt vi Legis, quum singuli vicissim moriantur sine liberis (1) : *in resurrectione ergo,* aiunt, quam tu doces cum Pharisaeis, *cujus eorum erit uxor ?* omnibus idem jus est illam habendi.

R. ad 2m. Lex Deut. 25, 5, praescribebat (2) ut, quando quis moriebatur L. *sine liberis* (3), frater ejus, si in eodem habitabat loco, acciperet uxorem ejus (frater ille est *levir,* fl. *zwager*, istius uxoris, unde vocabatur **lex leviratus**), et ut primum filium, quem ex ipsa procrearet, in genealogia inscriberet tamquam filium fratris sui. Hoc statutum erat, ut vir ille mortuus posteritate

(1) S. Chrys. putat esse factum mente confictum (*une hypothèse*) ; s. Hier. autem illud tamquam veram historiam habet. Magis mihi arridet sententia s. Chrys., quia ponitur numerus indefinitus *septem* qui, ut demonstrabo q. 1132, solet indicare *plenitudinem ;* rem ita concipio : confingitur casus in quo agatur de femina quae 7 viros habuerit, i. e. quae toties nupserit ut *completa* sit difficultas quaestionis propositae. Praeterea, ut ratiocinatur s. Chrys., nemo voluisset uxorem accipere cujus jam sex mariti obiissent : nam uxorem suspectam habuissent merito.

(2) In verbis hic apud M. 22, 24 allatis *Moyses dixit : Si quis* etc., locus Deut. libere et ad sensum citatur.

(3) *Sine liberis* L., vel Mc. *sine semine :* M. loquitur de *filio,* sed intelligi debet *sine filio aut filia ;* nam filiae heredes erant Num. 27, 1 sq., proinde lex Leviratus non respiciebat casum quo adesset filia.

coram lege non careret, utque agro ipsius suus esset possessor distinctus : vide supra q. 57.

Astutia quaestionis. Jam vero, ex ista praescriptione consequi videtur corporum resurrectionem futuram non esse ; nam si accideret ut plures fratres deberent singuli alternis vicibus eamdem ducere uxorem, in resurrectione quid, cedo, fieret ? Vel omnes simul ea fruentur, quod est contra legem Mosaicam, quae numquam permittit ut plures viri eamdem uxorem simul habeant *(polyandrie simultanée) ;* vel primus solus ea utetur, et jus aliorum laedetur ; vel si uni ex aliis tribuatur, erit incestus. Si nullius dicatur, absonum quid in eo reperietur quod 7 viri uxorem suam coram se habeant, et nemo eam ad concubitum vocare possit. Itaque Jesus vel resurrectionem negare debebit, atque ita odium Pharisaeorum incurret ; vel legem Mosaicam contemptui exponet, fatendo ex ejus mandatis effectus absurdos quandoque oriri, quo casu omnes Judaeos sibi reddet adversarios.

R. ad 3^{m}. **Finis pravus.** Eorum mens Christo infensa fuisse videtur, quia interrogatio quae praecedit (de tributo Caesari solvendo), et ea quae sequitur (de mandato magno), malo fine factae fuerunt : igitur Sadducaei non volebant, ut quidam conjiciunt, Jesum in suas partes trahere, eum inducendo ut contra Pharisaeos sententiam ederet et resurrectionem negaret ; sed potius, cum hoc ab ipso sperare non possent, consilium ipsorum fuit Jesum verbis capere eique nocere. Attamen non ex sola malitia, sicut Pharisaei interrogabant, sed ex quadam simul ignorantia : atque ideo Christus non tam dure respondet, neque eos *hypocritas* vocat (ita fere s. Chrys.).

R. ad 4^{m}. V. **29**. *Erratis*, ait, in falsa versamini opinione, quum tamquam certum ponatis non aliam esse resurrectionem quam carnalem, in qua homines eadem gaudeant vita corporali quam nunc habent. Et, addit, duplex est causa erroris vestri : 1^{a} *Scripturas nescitis,* quae docent mortuos ad vitam vere redituros esse (ut probat v. 31, 32) ; 2^{a} *virtutem* seu omnipotentiam *Dei* non cognoscitis : potest enim Deus homines ad vitam revocare in statu valde diverso ab eo in quo nunc versantur, adeo ut nullus amplius sit usus conjugalis.

In coelo non dantur connubia. Et re quidem vera (v. **30**), *In*

resurrectione i. e. in *seculo futuro* L., in vita aeternum *beata* (Christus de sanctis et electis tantum loquitur, sed damnati etiam absque nuptiis erunt, ut notat Beda *in L.* hic), *neque nubent neque nubentur* : οὔτε γαμοῦσι οὔτε γαμίζονται, magis latine (ut notat s. Hier.): *neque ducunt uxores* sc. viri, *neque nuptui dantur*, sc. feminae (passivum *nubentur* ad feminas refertur, quia filiae in uxores a parentibus tradi solent) ; *sed erunt* omnes *sicut Angeli* (1), immortales et spirituali corpore (2) induti ; cum autem futuri sint immortales, carnalis propagatio, ratione cujus initur matrimonium, non amplius requiretur. Pater enim, quum interire debeat, filium generat, ut post obitum in ipso quasi vivat et superstes sit : in coelo autem nemo moritur, ideoque proles gignit nemo. Hoc clare significat L. 20, 35 *Neque nubent neque ducent uxores : neque enim ultra mori poterunt.* Recte s. Aug. *Quaest. Evang.* in h. l. Luc. : « Connubia, ait, sunt « propter filios, filii propter successionem, successio propter mor- « tem : ubi ergo mors non est, neque connubia. »

Manent tamen sexus. R. ad 5m. Ex hoc loco aliqui veteres, ut notat s. Hier., male concluserunt post resurrectionem non fore sexum femineum. Falsam esse hanc opinionem praeclare demonstrat s. Aug., *De civ. Dei* 22, 17 : « Corporibus illis, ait, vitia detra- « hentur, natura servabitur : non est autem vitium sexus femi- « neus, sed natura... Nuptias ergo Dominus futuras negavit esse « in resurrectione, non feminas... ; imo futurum esse firmavit « dicendo : *Non nubent*, quod ad feminas pertinet ; *neque uxores* « *ducent*, quod ad viros. »

R. ad 6m. V. **31** *De resurrectione autem*, i. e. quod attinet ad resurrectionem *mortuorum, non legistis quod dictum est a Deo* (Ex. 3, 6) v. **32** *Ego sum Deus Abraham* etc.? « Quia ipsi Moysen obtenderant, « ex Moyse illos confutat (s. Chrys.). » Haec est ipsius ratiocinatio : in Scriptura s. Deus se dicit Deum et defensorem patriar-

---

(1) Ex verbis illis **excellentia** deducitur **virginitatis,** quippe quae reddat hominem Angelo similem, imo quasi superiorem, nimirum quod attinet ad virtutis meritum ; quum Angelus corpore indutus seu potius onustus non sit, neque umquam tentationes carnis expertus fuerit. Inde castitas nomen *angelicae virtutis* obtinuit. Cf. supra q. 527. A Lap. citat hic s. Bas. *De Virg.*, sed liber ille non est genuinus.

(2) *Spirituale* erit corpus, per dotem *subtilitatis*, de qua dixi 1 Cor. XV, 44 ; non tamen a terreno nostro corpore in rei natura differet Hinc apposite Tert. *De resur.* cap. 62 : « Non dixit : *Erunt* « *angeli*, ne homines negaret ; sed *tamquam angeli*, ut homines conservaret. Non abstulit substan- « tiam, cui similitudinem attribuit. »

charum jam defunctorum: atqui non potest esse Deus et tutor eorum qui nullo modo existunt; ergo ibi tamquam certum ponitur, patriarchas per mortem non penitus periisse aut destructos fuisse; proinde animorum immortalitas insinuatur.

Sed, objicit Mald., Deus potest dici *Deus Abraham*, quia aliquando fuerat, sc. dum viveret Abraham. Ideo auctor ille Christi argumentationem ita intelligit: Dixit Deus *Ego sum Deus Abraham* etc., i. e. ego foedus cum patriarchis istis pepigi de eorum posteritate protegenda; idque servare volo liberando nunc filios eorum e servitute Ægyptiaca: atqui, non cum mortuis, sed cum vivis foedera servantur. Ergo innuit Deus eos adhuc vivere. Verum ista explicatio, longius quaesita, nihil proficit, quum responderi possit foedus illud servandum fuisse propter posteros, qui tunc viverent.

Resurrectio corporum cum anima immortalitate connexa.

Utcumque se habeat haec difficultas, alia insuper exoritur. Nempe petitur quo jure Christus resurrectionem corporum ex animorum immortalitate concluserit. Numquid demonstratio ejus fortasse mansit imperfecta? Nequaquam. Sed, ut animadvertit s. Hier., disputat contra Sadducaeos, qui resurrectionem ideo tantum negabant, quod immortalitatem animorum non admitterent (1); adeo ut in ipsorum mente duo ista essent indissolubili nodo conjuncta, et ex veritate unius etiam alterius sequeretur certitudo. Et re quidem vera, connexio quaedam et convenientia inter utrumque existit, quum homo non sit completus, nisi animo adjungatur et corpus; eo vel magis quod, ut notat s. Hier., corpora cum animis bona malave gesserint. Haec ulterius explicantur in *Comm.* nostro *in Epist. Paulin.* ad 1 Cor. 15, 50 sqq. (6ª edit., Brugis 1899).

Christus, ait s. Hier., manifestiora potuisset adducere testimonia, v. gr. Is. 26, 19 et Dan. 12, 2: sed id facere noluit, quia Sadducaei libros Moysis tantum recipiebant. Hoc ultimum tamen certum haudquaquam est: cf. q. 1087. Illud ita corrige: libri Moysis a Sadducaeis habebantur tamquam norma fidei morumque omnino completa; ideo, quae in aliis libris de resurrectione dice-

(1) Isti certe contendebant, sicut Pantheistae, personam humanam per mortem transire in universalem existentiam deitatis, seu absorberi in ens universale.

bantur, sensu metaphorico intelligebant, quia doctrinam illam in Moyse non reperiebant.

33. Effectus hujus doctissimi responsi **triplex** fuit: 1° *turbae*, quae a partium studio alienae erant, *mirabantur in doctrina ejus;* 2° quidam Scribarum verba ejus aperte laudarunt (L. *Magister, bene dixisti*), forsitan ideo quod adversarios suos tam belle confutatos viderent. Et 3° quum invictam ejus solertiam magis magisque perspectam haberent, *amplius non audebant eum quidquam interrogare* (sc. post quaestionem ab ipso Jesu factam: cf. M. 22, 46). Hic est sensus et connexio apud L., quum probabilior lectio sit: *ουκετι γαρ*, non *enim* amplius etc.

VII. Scriba interrogat de mandato maximo: 22, 34-40.

Praeced. vide ante q. 582.

M. 22, 34. Pharisaei autem audientes quod silentium imposuisset Sadducaeis, convenerunt in unum: 35 et interrogavit eum unus ex eis legis doctor, tentans eum: 36 Magister, quod est mandatum magnum in Lege? 37 Ait illi Jesus: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua. 38 Hoc est maximum, et primum mandatum. 39 Secundum autem simile est huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. 40 In his duobus mandatis universa lex pendet, et prophetae. 41 Congregatis etc. *Ante q. 584.*

Mc. 12, 28. Et accessit unus de Scribis, qui audierat illos conquirentes, et videns quoniam bene illis responderit, interrogavit eum quod esset primum omnium mandatum. 29 Jesus autem respondit ei: Quia primum omnium mandatum est: Audi Israël, Dominus Deus tuus, Deus unus est: 30 et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, et ex tota virtute tua. Hoc est primum mandatum. 31 Secundum autem simile est illi: Diliges proximum tuum tamquam teipsum. Majus horum aliud mandatum non est. 32 Et ait illi Scriba: Bene Magister, in veritate dixisti, quia unus est Deus, et non est alius praeter eum. 33 Et ut diligatur ex toto corde, et ex toto intellectu, et ex tota anima, et ex tota fortitudine: et diligere proximum tamquam seipsum, majus est omnibus holocautomatibus, et sacrificiis. 34 Jesus autem videns quod sapienter respondisset, dixit illi: Non es longe a regno Dei. Et nemo jam audebat eum interrogare.

Similia quaedam, sed non parallela, ex Luca.

L. 10, 25. Et ecce quidam Legisperitus surrexit tentans illum, et dicens: Magister quid faciendo vitam aeternam possidebo? 26 At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? 27 Ille respondens dixit: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua: et proximum tuum sicut teipsum. 28 Dixitque illi: Recte respondisti: hoc fac et vives. 29 Ille autem volens justificare seipsum, dixit ad Jesum: Et quis est meus proximus? 30 Suscipiens autem Jesus, dixit: Homo quidam descendebat ab Jerusalem in Jericho, et incidit in latrones, etc.

Ex verbis recitatis liquet, apud Mc. rem plenius exponi; eamdemque doctrinam de Dei et proximi dilectione tradi apud L. 10, 25-28, sed alia occasione et alio tempore, quando parabola de bono Samaritano simul narratur.

Q. 583. 1° Quis, et quem in finem, Jesum interrogavit de mandato *magno* in lege, i. e. de *maximo* seu *primo* Mc. legis Mosaicae mandato? 2° Difficultatem, quae in illa quaestione latebat, explica. 3° Quid respondit Servator? ostende solertiam ejus. 4° Quaenam sensa in interrogante excitarunt verba Jesu?

R. ad 1m. V. **34** et **35**. Hoc interrogavit Scriba quidam, quem Pharisaei, cum Sadducaeis silentium impositum fuisse audissent, inito inter se consilio, ablegaverant ad *tentandum* Jesum, i. e. ad eum verbis captandum. Certum non est malam fuisse mentem ipsius interrogatoris: M. quidem dicit: *Interrogavit eum tentans eum*, sed quaestionem, a Pharisaeis (quorum sane finis pravus erat) suggestam, forsitan bona fide posuit; potuit fieri ut vir esset disputationibus de casibus in re morali obviis deditus (gall. *une espèce de casuiste*), qui scire cupiebat quid circa illud doctrinae caput sentiret Jesus, et quousque esset in lege edoctus (*tentare*, explorare, sensu minus malo). Etenim, ex iis quae post auditam ejus responsionem dixit, et ex verbis quae Jesus addidit apud Mc., non adeo perversus fuisse videtur.

Ita Bisp.: praefero tamen sententiam Knabenb., qui censet verbum *tentans* bono sensu accipi non posse: obstat ipsa vis verbi quod Evangelium solet malo sensu adhibere in talibus circumstantiis. Deinde obstat contextus: unus ex illis qui statim antea dicuntur *convenisse*, certe animo hostili. Ideo auctor ille cum ss. Chrys. et Aug. rem sic cogitat: accessit malo fine, sed Jesu responso correctus fuit, et ad meliora sensa revocatus.

R. ad 2m. Quaestio ista v. **36**, aetate Christi, haud parum erat controversa: alii existimabant primum omnium mandatorum esse de sacrificiis (cf. Mc. 12, 33), alii de sabbato, quidam de circumcisione etc. Bisping dicit id temporis praecepta legis divisa fuisse in *magna*, quae sub gravi peccato, et in *parva*, quae sub levi peccato homines obligarent; quaestionem autem istius Scribae huc spectasse, ut Jesus traderet regulam secundum quam gravia a levioribus discerni deberent. Sed verba, quibus utitur Mc., huic obstant

explicationi : *Interrogavit,* ait, *quod esset primum omnium mandatum ?* ideoque in verbis M. *quod est mandatum magnum in lege ?* positivus *magnum* ponitur pro superlativo *maximum,* per hebraismum : v. 38, ubi Vulg. habet *hoc est maximum,* graece rursum est positivus ἡ μεγαλη pro superlativo.

Quo modo Deus sit diligendus. R. ad 3^m. Jesus respondit v. **37-40** per verba Scripturae s., Deut. 6, 4 et 5 *Audi, Israel, Dominus Deus tuus unus est* Mc. : proinde caritas tua sese inter plures dividere non debet : quamobrem *Diliges* (1) *eum ex toto corde tuo, et in tota anima tua, et in tota mente tua,* adde *et ex tota fortitudine tua* (Deut. l. c.), seu *ex tota virtute tua* Mc., aliis verbis *ex totis viribus tuis* L. Non est anxie inquirendum quomodo inter se differant *cor, anima, mens, virtus :* nam haec omnia enumerantur propter emphasim, ad significandam amoris vim et amplitudinem ; quasi dicatur : Tantum quantum potes. « Causa diligendi Deum, ait « s. Bern. *De dilig. Deo,* c. 1, Deus est (2) : modus, sine modo diligere. » Cf. s. Th. 2ª 2ᵉ, 27, 6.

Vertex summus. In Dei dilectione consistit omnis progressus

---

(1) **Mens et cor** (*raison et sentiment*). *Diliges :* in Deut. apud 70, et hic apud tres Evangelistas, constanter adhibetur αγαπαω : hac occasione juvat inquirere num verbum illud differat sensu a φιλεω. Quamvis in N. T. utrumque aliquando indiscriminatim adhibeatur, statui potest haec differentia. Αγαπαω significat diligere cum reverentia, aestimatione, benevolentia etc., carum habere (*caritas*); ideo numquam usurpatur de re venerea aut amore turpi. Φιλειν autem notat amorem affectus et delectationis, et dicitur de amore erga conjugem, amicum, parentes (*où les sens ont plus de part que les puissances élevées de l'âme*). Sic J. 11, 6 φιλειν dicitur de tenerrimo cordis affectu Jesu erga Lazarum, et αγαπαν de affectu pleno reverentiae et pudoris quem Jesus fovebat erga Martham et Mariam. Sic J. 20, 2 *quem* (Joannem) *diligebat* εφιλει *Jesus.* Differentiam illam admittit *Bretschn. in *Lex.*; eam tamen negat *Schleusner, sed verba J. 21, 15-17 quae hic affert, non mihi videntur ipsi favere : vide infra q. 980 et 981. Eodem modo differunt **diligere** et **amare** (Dict. Freund et Theil) : DILIGERE nititur aestimatione et opponitur *negligere, spernere ;* AMARE notat affectum cordis et opponitur *odisse.* Utut ista se habeant, hoc tamen verum est, caritatem erga Deum summam esse debere *appretiative,* ita ut majoris faciamus Deum quam nos ac alia omnia, non autem *intensive,* i. e. non ita ut nulla alia re affectus noster vehementius commoveatur : hoc optandum quidem est, sed non praecipitur. *Dieu nous demande un amour de raison, plutôt que de sentiment.*

(2) **Quare Deus diligendus?** Bene nota verba illa s. Bernardi profundissima : *Causa diligendi Deum Deus est :* Dilectio enim nostra innititur, tamquam fundamento, amore infinito quo Deus prior nos dilexit ; « Deum non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret (s. Leo, *Serm. 1 de jej. 10 mens.*). » Quantopere autem nos dilexerit Deus, exponit s. Chrys. *Hom. in Matth.* 6, 15 : « Nullus « est, nullus certe, sive pater, sive mater, sive amicus, sive quivis alius, qui nos ita dilexerit, ut qui « fecit nos Deus. Illudque palam omnino est, et ex beneficiis quae quotidie confert, et ex praeceptis « quae constituit. » (obiter nota quod affirmat s. Doctor, ipsa Dei praecepta vera divinae caritatis signa et argumenta esse). Illis autem verbis s. Chrys. adde Dei ipsius testimonium apud Is. 49, 15 : *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum .. ? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non oblviscar tui.* Concludimus cum s. Aug. *De cat. rudib* 4 : « Si amare pigeret, saltem redamare non « pigeat : nulla est enim major ad amorem invitatio, quam praevenire amando. »

noster spiritualis : « Ambulas, si amas : non enim ad Deum passi-
« bus, sed affectibus currimus (s. Aug., ed. M. VI, 314). » Hoc adeo verum est, ut vel ipsamet Dei *cognitio* per amorem ejus perficienda sit : « Deum, quem cognoscere volumus, prius plena
« charitate diligamus (s. Aug. I, 1131). » Exempli gr. « Mandata
« Dei perfectius cognoscuntur, cum fiunt (id. IV, 1550). »

Cf. tractat. general. *de perfect. spirituali*, in Append. q. 1121.

Jesu solertia.

Nemo sane responsum illud reprehendere poterat : solertia autem Jesu duplex est :

1° Consistit in eo quod non respondeat ad mentem interrogantis, ideoque non loquatur de singulis mandatis inter se comparatis et de altero alteri praeponendo, sed praeceptum adducat generale, quo praecepta specialia prioris tabulae comprehenduntur omnia.

2° Deinde, non minorem ostendit solertiam, cum addit v. **39** : *Secundum autem simile est huic : Diliges proximum sicut teipsum* [1] (cf. supra M. 7, 12 *Omnia quaecumque vultis ut faciant* etc.). Non *aequale*, sed *simile*, scil. quatenus etiam dilectionem praescribit ; et sicut prius omnia erga Deum officia, sic istud omnia officia in homines (Rom. 13, 9) complectitur. Dicitur : Diliges *proximum*, non *quemvis hominem*, ut ratio qua lex nitatur indicetur ; sumus nempe omnes ex eodem patre Adamo, omnes ad eamdem imaginem a Deo creati, omnes a Christo redempti etc. Haec autem altera Jesu solertia in hoc consistit quod innuat interrogantem, vel illos qui eum miserant, caritate erga proximum destitutos esse, quum quaestionem captiosam ex invidia proponant (ita s. Chrys.).

Tota lex est in dilectione. Tandem rationem, ob quam ista duo mandata vere sint prima, indicat v. **40** : *In his duobus mandatis*

---

(1) **Tres gradus in dilectione proximi.** Obiter nota istud veteris legis mandatum in nova lege a Christo fuisse perfectum, atque in summum culmen evectum, quum J. 15, 12 : *Hoc*, inquit, *est praeceptum meum ut diligatis invicem sicut dilexi vos*. Christus autem eousque nos dilexit, ut se totum traderet pro nobis ; igitur usque ad plenam sui abnegationem ; quod multo perfectius est quam diligere *sicut seipsum*. Itaque tres distinguere possumus gradus : 1° sicut fratres M 23, 8 ; 2° sicut nos ipsos : Negative Tob. 4, 16 *Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias* ; et Positive M. 7, 12 *Omnia quaecumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis*. 3° Sicut Christus : *Diligatis invicem sicut dilexi vos*.

universa lex pendet (his adstricta, seu suspensa est) *et Prophetae*, i. e. ista duo summam continent et substantiam universae Scripturae sacrae (vetus Test. apud Hebraeos dividebatur in *Legem*, *Prophetas* et *Hagiographa :* cf. M. 5, 17), seu ad mandatum de caritate reducuntur praecepta Dei omnia. « Quidquid praecipitur, ait s. Greg. « M. *Hom.* 27 *in Ev.*, in sola charitate solidatur. » Etiam fides et spes in charitate solidantur, quum eo tendere debeant ut Deus diligatur ; et hoc tam verum est, ut sine charitate non prosint ad salutem : fides enim est mortua, et spes est inanis.

Ideo **charitas** ab eodem s. Greg. ib. vocatur **radix omnium virtutum,** quatenus aliae virtutes verae et perfectae non sunt nisi in charitate maneant et ex ea plenam suam vim hauriant. « Ut « enim, pergit ille, multi arboris rami ex una radice prodeunt, sic « multae virtutes ex una charitate generantur ; nec habet aliquid « viriditatis ramus boni operis, si non manet in radice charitatis. » Charitas enim est gratia sanctificans, per quam in Deo vivitur, sicut palmites in vite : si autem palmites a vite abscindantur, aridi fiunt ; pariter virtutes sine charitate nullam boni operis viriditatem habent. — Obiter nota alio sub respectu FIDEM dici virtutum *radicem,* et CHARITATEM virtutum *reginam.*

Ordo dilectionis. Huc refer effatum s. Aug., in quo alta latet veritas : « Virtus, ait (ed. M. VII, 467), ordo est amoris. » Nisi Deum primum diligamus, nulla erit virtus nostra : « Virtus nulla « vera, inquit idem (VII, 166, 631), sine vera pietate » ; proinde « Virtutes sine fide [quae radix est pietatis] verae non sunt (id. « X, 750) » ; ideo etiam « Virtus vera donum est gratiae (id. X, 762). » Ordo etiam est amoris, ut cum proximum diligimus, in ipso Deum primum diligamus, i. e. ut proximum *propter Deum* amore prosequamur : secus virtus vera non erit. *La philanthropie n'est pas la charité : elle n'en est que la contre-façon.* Etenim, si hominem diligamus propter ipsum solum (excluso Deo), injustitiae sumus obnoxii, quum homo res sit ipsius Dei ; si vero hominem amemus propter nosmetipsos, putidum fovemus amorem proprium *(de l'égoïsme tout pur).*

In verbo *pendet,* κρεμαται, est imago a baculo seu clavo, quo variae res suspenduntur, deprompta.

R. ad 4^{m}. Responsum Jesu aperte approbavit, hisce verbis Mc. :

Bene, magister, in veritate dixisti dilectionem tum Dei quum proximi quid *majus* esse *quam omnia holocautomata et sacrificia*. Nota hunc verum esse sensum in graeco : Vulgata non est accurata, cum solam dilectionem *proximi* dicat majorem sacrificiis.

Dilectio praestat sacrificiis. Porro, quod attinet ad veritatem hic enuntiatam, oportet recogitare sensa cordis, magis quam actus externos qua tales, a Deo respici : cultus enim Dei exterior, sine vera animi pietate, ac sine charitate fraterna, Deo minime placet. Cf. Ps. 50, 18 : *Holocaustis non delectaberis : sacrificium Deo spiritus contribulatus* (vide Annot. nostr. in Ps.). Haec de pietate et dilectione erga Deum : quod autem spectat ad amorem erga proximum, cf. M. 9, 13 *Misericordiam volo, et non sacrificium*. — Haec obiter, nunc ad historiam nostram revertimur.

Jesus, videns quod Sriba ille sapienter respondisset, affirmare haud dubitavit eum *non longe esse a regno Dei*, i. e. jam esse in eo ut Messiam agnosceret, et converteretur ad fidem.

VIII. Christus cujus filius : 22, 41-46.

Praeced. vide ante q. 583.

M. 22, 41. Congregatis autem Pharisaeis, interrogavit eos Jesus, 42 dicens : Quid vobis videtur de Christo ? cujus filius est ? Dicunt ei : David. 43 Ait illis : Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens : 44 Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ? 45 Si ergo David vocat eum Dominum, quomodo filius ejus est ?

46 Et nemo poterat ei respondere verbum : neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare. 23, 1. Tunc Jesus etc. *Ante q. 587.*

Mc. 12, 35. Et respondens Jesus dicebat, docens in templo : Quomodo dicunt Scribae Christum filium esse David ? 36 Ipse enim David dicit in Spiritu sancto : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 37 Ipse ergo David dicit eum Dominum, et unde est filius ejus ?

Et multa turba eum libenter audivit.

L. 20, 41. Dixit autem ad illos : Quomodo dicunt Christum filium esse David ? 42 et ipse David dicit in libro Psalmorum : Dixit Dominus Domino meo : Sede a dextris meis, 43 donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. 44 David ergo Dominum illum vocat : et quomodo filius ejus est ?

Q. 584. 1° Quosnam, et quem in finem, Jesus interrogavit cujus filius esset Christus seu Messias ? 2° Cum responsum fuisset ipsum esse *filium David*, quamnam proposuit difficultatem ? 3° Eam explica, dicendo quomodo respondere oportuisset.

R. ad 1m. *Pharisaeos* interrogavit, secundum M. v. **41** et **42** eosmetipsos, qui quaestiones captiosas saepius fecerant, aggrediens,

ut id genus insidiis tandem finem imponeret. Eos enim pudore affecit, atque ignorantiae publice arguit, et in re quidem maximi momenti, nempe in materia quae ad eos, utpote doctores in Israel, singulariter pertinebat, nimirum de natura et dignitate Messiae. Secundum Mc. vero et L., Jesus *ad plebem* sermonem fecisse videtur : quo posito, mens ejus fuit Judaeos veram Messiae conditionem docere, eisque ostendere ipsum non futurum esse regem potentissimum, ut vulgo putabatur. Nihil impedit quominus dicamus Salvatorem, cum adversarios refutaret, populum simul docere voluisse. Recte tenebant Judaei Messiam *filium* fore *Davidis* (cf. annot. ad M. 1, 1) ; sed in hoc errabant, quod non intelligebant eum simul fore *Filium Dei*.

R. ad 2m. V. **43-45** *David in Spiritu* i. e. ex divino Spiritus sancti afflatu atque instinctu, *vocat eum Dominum suum*, nempe in Ps. 109 *Dixit Dominus Domino meo* (1) : *quomodo ergo filius ejus est ?*

Filius et simul dominus. R. ad 3m. Respondendum fuisset : *Filius,* seu unus e posteris *David*, est secundum carnem seu naturam humanam (cf. 2 Reg. 7, 12-16) ; sed *Dominus ejus* est secundum naturam divinam, quatenus est secunda ss. Trinitatis persona. Quum autem Pharisaei de Messia ejusque divinitate et coelesti dignitate vere recteque non sentirent, quum putarent eum futurum esse regem terrenum, hominem tantum, qui populum Israel a politica exterarum nationum dominatione liberaret, et in pristinum gloriae statum restitueret : oracula Scripturae, quae in Messia characterem quemdam divinum supponebant, ipsis obscura manserant. Proinde, respondere non potuerunt (v. 46), et pudore confusi profecti sunt. *Neque ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare*, sc. ex malo fine, ut eum verbis caperet : adeoque inimicis Jesu unum tantum manebat consilium eum perdendi, nempe nuda violentia.

*Q. 585. (Exercitationis gratia). Quomodo Jesus adversarios adeo confutavit pudoreque affecit, ut nemo post haec eum captiosis quaestionibus interrogare ausus fuerit ? — Resp. ex praec. q. collige.

Transitio. « Ad multitudinem deinceps sermonem convertit, « amotis lupis, ipsorumque insidiis rejectis (s. Chrys.). »

(1) Pro explicatione hujus loci Messianici, vide magnum *Comm.* nostr. *in Ps.* 3a ed., 3° vol. annot. ad Ps. 109.

§ 14. JESUS IN SCRIBAS ET PHARISAEOS ACERBE INVEHITUR. C. 23.

Loca parallela et consideratio praevia.

Q. 586. Quare Jesus in fine vitae omnes suas reprehensiones contra Scribas et Pharisaeos repetit et urget acerbe? Alibi partes quasdam sermonum sequentium jam pronuntiaverat; nam plerique sparsi reperiuntur L. 11, 39-52: verum nunc ad finem vitae, cum adversariis amplius parcere nolit, cumque non timeat eorum iram ad culmen efferre, utpote qui paratus sit supplicium ab ipsis irrogandum mox subire, varias reprehensiones olim editas in unum colligit et repetit; id certe sibi proponens judicium contra eos solemniter et publice ferre, atque ita suam agendi rationem in eosdem explicare et defendere.

Igitur gravissime in eos invehitur, larvamque simulatae virtutis ipsis detrahit: quod quidem facit propter justissimas causas, ut isti pravis exemplis populum non corrumpant, neve a doctrina Evangelica removeant. « Christus, ait s. Aug. (t. IV, p. 1197, ed. « M.), nemini parcebat verbo, ut essent quibus parceret in judicio. » Quum tamen legitima docendi auctoritate isti sint praediti, monet eos audiendos esse quando legem Mosaicam authentice, tamquam interpretes divinitus instituti, praelegunt et exponunt.

Pauca habent Mc. 12, 38-40 et L. 20, 45-47, in eadem occasione, atque ea nunc prius recitabo.

Breviter secundum Mc. et L.

Mc. 12, 38. Et dicebat eis in doctrina sua: Cavete a Scribis, qui volunt in stolis ambulare, et salutari in foro, 39 et in primis cathedris sedere in synagogis, et primos discubitus in coenis: 40 qui devorant domos viduarum sub obtentu prolixae orationis: hi accipient prolixius judicium.

L. 20, 45. Audiente autem omni populo, dixit discipulis suis: 46 Attendite a Scribis, qui volunt ambulare in stolis, et amant salutationes in foro, et primas cathedras in synagogis, et primos discubitus in conviviis: 47 qui devorant domos viduarum, simulantes longam orationem. Hi accipient damnationem majorem.

Fusius secundum Matthaeum.

Ordo rerum et divisio. Omnia, quae M. habet in hoc §, ad quatuor rerum capita revocamus, de quibus singillatim, perspicuitatis

gratia, dicemus: I Scribae et Pharisaei viri sunt hypocritae, superbia inflati; II octo vae, propter totidem vitia et crimina, contra eos proferuntur; III poenas luent injustae necis viris sanctis illatae; IV igitur vae Jerusalem, vae Judaeis!

I. Hypocritae sunt et superbi: 23, 1-12.

Praeced. vide ante q. 584.

M. 23, 1. Tunc Jesus locutus est ad turbas, et ad discipulos suos, 2 dicens: Super cathedram Moysi sederunt Scribae, et Pharisaei. 3 Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate, et facite: secundum opera vero eorum nolite facere: dicunt enim, et non faciunt. 4 Alligant enim onera gravia, et importabilia, et imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea movere. 5 Omnia vero opera sua faciunt ut videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias. 6 Amant autem primos recubitus in coenis, et primas cathedras in synagogis, 7 et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi. 8 Vos autem nolite vocari Rabbi: unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis. 9 Et patrem nolite vocare vobis super terram: unus est enim Pater vester, qui in coelis est. 10 Nec vocemini magistri: quia Magister vester unus est, Christus. 11 Qui major est vestrum, erit minister vester. 12 Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur. 13 Vae autem vobis etc. *Post q. 590.*

Q. 587. *Super cathedram Moysi sederunt* (pro *sedent*, gall. *sont assis*, fl. *zitten*) *Scribae et Pharisaei.* 1° Da sensum. 2° Quid inde concludit Christus?

R. ad 1m. **Cathedra** intelligitur, tum doctoris, quum judicis seu principis solium. Sensus itaque est: isti Moysi successerunt, tum in munere docendi, quum in potestate regendi; igitur legitimi vestri doctores sunt et superiores (quamdiu, ut per se patet, religio stat Mosaica). *Pharisaeos* Scribis adjungit Christus, non quod docendi officium ad illam pertineret sectam, sed quod plerique Scribae seu legis doctores sectae illius asseclae essent.

R. Ad 2m. **V. 3.** *Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite.* Verbum *omnia* stricte sumendum non est, namque M. 16, 6 *Cavete*, ait, *a fermento Pharisaeorum et Scribarum*, i. e. a doctrina eorum. Adhibet vocem *omnia*, non quod singula doctrinae capita singulaque morum praecepta ab ipsis tradita approbare velit, sed quia eorum actiones doctrinae eorum generali modo opponit, quum statim addat *Secundum opera vero eorum nolite facere.* Hanc autem esse Christi mentem, ut vox *omnia* ad ea quae legi Mosaicae

consentanea sint coarctetur, patet ex seq. vers., ubi de mandatis quae legi addebant : *Alligant*, inquit, *onera gravia et importabilia, et imponunt* ea *in humeros hominum* (translatio desumpta a more imponendi et alligandi sarcinas in dorso jumentorum, praesertim camelorum). Cf. q. 1076.

Q. 588. Indica varias rationes, quas refert Christus, ut ostendat Scribas et Pharisaeos esse 1° virtutis simulatores, 2° homines vanos superbosque.

R. ad 1m. Falsa sanctitatis ostentatio est in eo quod

a/ *Dicunt et non faciunt*, M. 23, **3**.

b/ Longas simulant orationes (M. 23, **14** ; L. 20, 47), et in locis publicis precibus vacare affectant (M. 6, 5).

c/ V. **5**. Ut se legis observantissimos simulent, *dilatant phylacteria sua et magnificant fimbrias* (cf. q. 589). In eumdem finem, v. **23** *decimant mentham* etc., sed *quae graviora sunt legis relinquunt ;* v. **24** *excolant culicem*, dum interea *camelum glutiunt ;* v. **25** *calicem mundant foris, intus vero pleni sunt immunditia ;* v. **27** atque eatenus *sepulcris dealbatis, quae exterius parent speciosa, intus autem spurcitia referta sunt*, comparari possunt ; v. **29 sq.** *monumenta* seu *sepulcra Prophetarum justorumque aedificant et exornant*, quum tamen eos occidere non timerent.

d/ V. **5**. Generatim, sua perficiunt opera *ut ab hominibus videantur*, qua in re habetur pessima *simulatio* et simul *vana gloria* seu superbia.

R. ad 2m. a/ Ut statim dicebam, superbia eorum jam ex ipsa fictitiae virtutis ostentatione colligi potest.

b/ *Volunt in* **stolis** *ambulare* Mc. 12, 38 (cf. L. 20, 46), i. e. induti veste pretiosiore et oblonga, quae super tunicam ordinariam gestabatur, quaque reges, sacerdotes aliique proceres dignitatis et honoris causa utebantur. Mc. 16, 5 Angelus, in sepulcro Christi sedens, dicitur circumdatus *stola alba*. L. 15, 22 *Proferte* (gr. efferte) *stolam primam*, i. e. pretiosissimam earum omnium quae domi habentur. Apoc. 6, 11 *Datae sunt illis stolae albae*, tamquam signum magni honoris et felicitatis eximiae. Idem Apoc. 7, 9 et 13. *Stolam* etiam, ut videtur, praeter tunicam consuetam, quandoque ferebant divites, eamque Christus Apostolis permittere noluit, Mc. 6, 9.

c/ V. **6.** *Amant primos recubitus in coenis* (1) *primasque in synagogis cathedras* (Mc. 12, 39 ; L. 11, 43) ; v. **7-10** *salutationes* ambiunt *in foro* (2), et cupiunt *vocari ab hominibus Rabbi* (magister) et *pater*. Nota : vox hebraica *Rabbi* sign. *magister*, non *magister mi ;* nam *Jod* probabilius est paragocicum. In v. 7 secundum *Tischend. legi debet *Rabbi, Rabbi* cum emphasi.

Quum primum fiat mentio de *fimbriis* et *phylacteriis* amplificatis, juvat morem illum paucis exponere.

Fimbrias et phylacteria dilatare.

Q. 589. Ad v. 5. Quid per *fimbrias* et *phylacteria* a Judaeis gestata intelligitur ? Erantne lege praescripta ? Quinam ea dilatabant, et quare ?

Resp. **Fimbriae,** τα κρασπεδα, erant filamenta lanea contorta hyacinthini coloris, fl. *wollen kwispels van hoogblauwe kleur*, quae cum vittis ejusdem coloris annexa erant quatuor pallii quadrati extremitatibus seu angulis. Haec autem filamenta Num. 15, 38 praescripta erant, ut Judaei ab ethnicis se distinguerent, teste s. Hier. *in M.* 23, 6 : vel, secundum alios, ut Judaei sibi in memoriam constanter revocarent legem quam *de coelis* (ideo color *coeruleus*) acceperant. Cf. etiam Deut. 22, 12.

Phylacterium a graeco φυλασσω *custodio, observo,* vel quia custodit a malo, *munimentum*, quale putantur esse *amuleta ;* vel quia *custodit* legis cognitionem et adhibetur ut legis memoria servetur ; vel quia monet legem *custodiendam* esse. Judaeorum autem phylacteria (in Talm. תְּפִלִּין *thephillin* a תְּפִלָּה *precatio*, quia inter *precandum* gestabantur) erant membranae, in quibus decalogus Moysis (secundum s. Hier. *in M.* 23, 6), vel, ut opinantur Rabbini, primaria quaedam legis praecepta (ut Deut. 11, 13-17 ; 6, 4 et 5 ; Ex. 13, 11-15) scripta erant, quaeque capsulis coriaceis inclusae, partim fronti inter oculos, et partim brachio sinistro prope cor, per lora alligabantur.

Istae autem gestabantur propter verba Ex. 13, 9, 16 et Deut. 6, 8 ; 11, 18-20 crude intellecta. *Crude*, inquam, nimisque ad literam sumebantur verba ista : etenim haec Deut. 6, 8 (et idem est de aliis locis citatis) *Ligabis ea* (mandata mea, ait Jehovah) *quasi signum in manu tua, eruntque et movebuntur inter oculos tuos*, per figuram et translationem dicta sunt, et significant, ut docet s. Hier. *in M.* 23, 6 : « Praecepta « mea sint in manu tua, ut opere compleantur ; sint ante oculos tuos, ut die ac « nocte mediteris in eis. » (3)

Judaei autem, praesertim *viri*, post aetatem exilii Babylonici, phylacteria ista inter precandum (4) gestabant, tum ut legem sibi in memoriam revocarent, tum

(1) In conviviis locus primus omniumque honorabilissimus, secundum L. 14, 8 sq. *Ascende superius* (Jos. *Ant.* 15, 2, 4), erat sursum ut apud Graecos, Plut. *symp.*) ; secundum morem autem Persarum, erat locus medius in lecto medio (Virg. *Æn.* 1, 702). Cf. q. 654.

(2) Apud Orientales salutationes fiunt cum fastu quodam et affectato studio : prolixa enim apprecatione et frequenti corporis inflexione perfici solent.

(3) Alii autem contendunt verba illa vere sumi posse in sensu proprio, propter id quod sequitur Deut. 6, 9 *Scribes ea in limine et ostiis domus tuae* : idem est Deut. 11, 20.

(4) Rabbini asserunt eadem a personis piis per totum diem gestata fuisse (olim : cf. *Winer, *Rwb.*

etiam ut essent praesidia contra daemonem. « Sicut multae nunc mulieres, ait « s. Chrys. *in M.* 23, 5, **Evangelia ex collo pendentia** habent. (1) » Imo vero Pharisaei dilatabant istas membranas thecasque, quemadmodum fimbrias amplificabant (*magnificant*, μεγαλυνουσιν), ut legis observantissimos se publice ostentarent, atque adeo auram captarent popularem : inde etiam mulierum venerationem sibi conciliabant, et lucra ex ipsis sectabantur.

Q. 590. Ad v. 8 sq. Quo sensu Christus prohibet quominus vir christianus vocetur *magister* et *pater ?*

R. Prohibet ne quis *e superbia et vana gloria* talia vel similia honoris vocabula assumat, sicut Scribae et Pharisaei, in quos ibi invehitur, faciebant. Quod nihil aliud sibi voluerit, patet, tum ex eo quod ipse pluries permiserit se nominari *magistrum* (ex. gr. J. 20, 16 Maria eum ad vitam reversum vocat *Rabboni)*, tum ex eo quod s. Paulus 1 Cor. 4, 15 semet ipse dicat *patrem*, dein 1 Tim. 2, 7 et 2 Tim. 1, 11 *doctorem* et *magistrum*.

9. *Unus est pater vester, qui in coelis est:* « Non enim, ait s. Chrys., « initium vitae habemus ex parentibus, sed transitum vitae per eos « accepimus. »

10. MAGISTRI: Vulg. et graecus habent idem nomen *magister* καθηγητης hic et v. 8 (pauci codices per glossema legunt v. 8 διδασκαλος). In textu aramaeo Matthaei erat sine dubio nomen diversum, v. gr. v. 8 רַבִּי *rabbi*, magister, et v. 10 נָשִׂיא *nasi*, princeps, scholae ductor, gubernator, fl. *leidsman*, *voorganger*, gall. *chef d'école* vel *chef de file* ; hoc autem nomen apud Judaeos dari solebat iis qui *scholae* cujusdam auctores erant, quique variis in locis suos habebant discipulos atque asseclas.

Pharisaei avide prosequebantur honoris et distinctionis nomina ; volebant haberi ut *magistri* i. e. tales quibus erant proprii discipuli, ut *patres* seu fundatores scholarum particularium, vel saltem ut *ductores* seu principes hujusmodi scholarum. Jesus autem Ecclesiam fundavit in qua unus est *magister*, cujus discipuli se omnes *fratres* proclamant ; unus est *pater,* quem omnes honorant ut filii ; unus *ductor* quem omnes sequuntur. Sed hoc non impedit, quominus in Ecclesia existat hierarchicus ordo ; solummodo ambitio et superbia ibi regnare non poterunt : *qui major est vestrum, erit*

(1) **Monile aureum**. Ergo mulieres illae piae Evang. portabant super cor suum : utinam nunc christiani, saltem cultioris ingenii, Evang. haberent cordi suo et menti suae insertum per lectionem assiduam et meditationem ! Utinam sibi honorem ducerent illud cognoscere et opere perficere !

minister vester, quanto altior quis constitutus fuerit, tanto humilior et officiosior esse debet.

11. QUI MAJOR EST VESTRUM, ERIT MINISTER VESTER etc. Protestantes haec urgent contra hierarchiam Ecclesiae catholicae: ast immerito; Christus enim, ut statim dixi, non vetat esse superiores et subjectos, sed reprobat superbiam et arrogantiam in superioribus. Ergo commendatur humilitas: cf. q. 509, et praesertim q. 543, ubi similis Christi sententia *Qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus,* exponitur.

12. QUI SE EXALTAVERIT, HUMILIABITUR: veritas generalis quam quotidiana experientia confirmat: Prov. 29, 23; Job 22, 29; Ezech. 17, 24; Jac. 4, 6; 1 Petr. 5, 5 etc.

II. Octo vae contra Scribas et Pharisaeos: 23, 13-32.

Praeced. vide ante q. 587.

M. 23, 13. Vae autem vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: quia clauditis regnum coelorum ante homines: vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare.

14 Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes: propter hoc amplius accipietis judicium.

15 Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: quia circuitis mare et aridam, ut faciatis unum proselytum: et cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae duplo quam vos.

16 Vae vobis, duces caeci, qui dicitis: Quicumque juraverit per templum, nihil est: qui autem juraverit in auro templi, debet. 17 Stulti et caeci: Quid enim majus est, aurum, an templum quod sanctificat aurum? 18 Et quicumque juraverit in altari, nihil est: quicumque autem juraverit in dono, quod est super illud, debet. 19 Caeci: Quid enim majus est, donum, an altare quod sanctificat donum? 20 Qui ergo jurat in altari, jurat in eo, et in omnibus quae super illud sunt: 21 et quicumque juraverit in templo, jurat in illo, et in eo qui habitat in ipso: 22 et qui jurat in coelo, jurat in throno Dei, et in eo qui sedet super eum.

23 Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: qui decimatis mentham, et anethum, et cyminum, et reliquistis quae graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem: haec oportuit facere, et illa non omittere. 24 Duces caeci, excolantes culicem, camelum autem glutientes.

25 Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: quia mundatis quod deforis est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia. 26 Pharisaee caece, munda prius quod intus est calicis et paropsidis, ut fiat id, quod deforis est, mundum.

27 Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: quia similes estis sepulcris dealbatis, quae aforis parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et omni spurcitia. 28 Sic et vos aforis quidem paretis hominibus justi: intus autem pleni estis hypocrisi et iniquitate.

29 Vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae: quia aedificatis sepulcra prophetarum, et ornatis monumenta

justorum, 30 et dicitis: Si fuissemus in diebus patrum nostrorum, non essemus socii eorum in sanguine prophetarum. 31 Itaque testimonio estis vobismetipsis, quia filii estis eorum, qui prophetas occiderunt. 32 Et vos implete mensuram patrum vestrorum. 33 Serpentes etc. *Ante q. 598.*

Quaedam similia ex Luca.

L. 11, 39. Et ait Dominus ad illum: Nunc vos Pharisaei, quod deforis est calicis et catini, mundatis: quod autem intus est vestrum, plenum est rapina et iniquitate. 40 Stulti, nonne qui fecit quod deforis est, etiam id quod deintus est, fecit?

. . . . . .

42 Sed vae vobis Pharisaeis, quia decimatis mentham, et rutam, et omne olus, et praeteritis judicium et charitatem Dei: haec autem oportuit facere, et illa non omittere. 43 Vae vobis Pharisaeis, quia diligitis primas cathedras in synagogis, et salutationes in foro. 44 Vae vobis, quia estis ut monumenta quae non apparent, et homines ambulantes supra, nesciunt. 45 Respondens autem quidam ex Legisperitis, ait illi: Magister, haec dicens etiam contumeliam nobis facis. 46 At ille ait: Et vobis Legisperitis vae: quia oneratis homines oneribus, quae portare non possunt, et ipsi uno digito vestro non tangitis sarcinas. 47 Vae vobis, qui aedificatis monumenta prophetarum: patres autem vestri occiderunt illos. 48 Profecto testificamini quod consentitis operibus patrum vestrorum: quoniam ipsi quidem eos occiderunt, vos autem aedificatis eorum sepulchra.

. . . . . .

52 Vae vobis Legisperitis, quia tulistis clavem scientiae, ipsi non introistis, et eos, qui introibant, prohibuistis.

Octo ista *vae*, seu execrationes contra Scribas et Pharisaeos, octo Beatitudinibus supra, cap. 5, traditis, sunt quasi opposita. Supra, q. 372, jam notavi nonnisi ob gravissimas causas a Christo *vae* dici contra personas quasdam, ceteris pejores, ideoque gravioribus plectendas poenis.

1m **Vae** (v. **13**) propter *tyrannidem in re religiosa;* nimirum, quia Scribae et Pharisaei regnum coelorum *claudunt*. Ecclesia sub imagine domus vel civitatis, ut alias, describitur: cf. M. 16, 18 *Super hanc petram aedificabo* etc. cf. L. 11, 52. Scribae et Pharisaei, propter dignitatem et auctoritatem sui magisterii, regnum coelorum claudunt coram populo adstante *(clauditis ante homines)*, quando per exemplum suum et per sermones suos impediunt quominus intretur in illud. Porta quidem est jam aperta, sc. per praedicationem Jesu: deberent ipsimet ingredi et alios introducere, sed foris manent et alios arcent, adeoque efficiunt ut porta sit quasi *clausa*.

2m **Vae** (v. **14**) propter *cupiditatem* et *injustitiam*: **Comeditis domos viduarum,** earum facultates exhauritis, *orationes longas*

orantes, et ita simulantes sanctitatem, qua deceptae viduae pecunias vobis tradunt, aut hospitium praebent vobis, aut vos heredes suos constituunt, ut precibus vestris adjuventur.

In graeco multi codices sic legunt: *vae vobis, Scribae et Pharisaei hypocritae, quia comeditis domos viduarum, et* (et quidem) *praetextu longa orantes*, προφασει μακρα προσευχομενοι, preces diu protractas simulantes. Alii omittunt totum v. 14: putat *Tisch. 7ª ed glossema esse ex Mc. 12, 40 et L. 20, 47. Luc. Brug. « videri possit hic versus ex aliis Evangeliis huc assumptus, nonnulla facta mutatione ut aliis hujus capitis comminationibus esset persimilis. » Notat etiam Knab. hoc versu nexum interrumpi, quum v. 13 et 15 inter se cohaereant, hoc modo: ab una parte homines arcent a sequela Jesu, et ab altera parte conantur eos sibi attrahere.

Adjicitur poena, in qua consistit illud vae, sc. *Propter hoc amplius accipietis judicium*, i. e. gravior quam alios peccatores manet vos condemnatio.

***Q. 591.** Pro repetitione. 1º Quinam dicuntur *comedere domos viduarum, orationes longas orantes?* 2º Explica sensum. 3º Isti *amplius accipient judicium:* quid sign.? — Resp. modo dedi.

3ᵐ Vae (v. **15**) propter *proselytismum praeposterum*. In verbis *mare et aridam* (terram continentem) i. e. totum orbem *circuire*, superlatio seu *hyperbole* quaedam est, per modum proverbii usurpata, qua significatur omnem adhibere conatum ad negotium quoddam perficiendum. Judaeos in ethnicis ad verum Deum convertendis diligenter laborasse, testantur Fl. Josephus aliique quos adducit *Winer, *Rwb.*, a. *Proselyten*. *Proselyti* autem erant duplicis generis, *portae* qui rejecta idololatria verum Deum colebant, et servabant praecepta Noachica (abstinere a fornicatione, a sanguine etc.); et proselyti *justitiae* qui et circumcisionem et totam legem caeremonialem admittebant. Cf. nostr. *Comm. Act. Ap.* (5ª ed.), in App., diss. 6ª.

Facitis eum filium gehennae (hebraismus, gehennae reum: vide ad M. 8, 12, ubi de *filiis regni* mentio fit) *duplo quam vos*, i. e. eum vobis pejorem redditis. Quomodo hoc reipsa perficiunt? Vel (**1ª sent.**) dando ei prava exempla (s. Chrys.), quae ipse non solum imitabitur, sed ut fieri solet, majore superabit malitia: discipuli enim, et praesertim recens conversi, nimio impetui et studio

imprudenti saepe se tradunt, atque ad extrema facile deveniunt, quum ea quae didicerint immoderate amplificent; praesertim vitia importunasque magistrorum audacias admirantur et imitantur. « Si probus fuerit doctor, ait s. Chrys., discipulus ipsum imitatur; « sin improbus, etiam superat, ob facilitatem ad pejora proce- « dendi. » Vel (2ª **sent.**, quam tenet s. Hier.) proselytus, vestra offensus simulata virtute et mala vita, nimio quoque et intolerabili praescriptionum vestrarum onere oppressus, ad idolorum cultum revertetur, et, tamquam violator legis certo cognitae, poena majore dignus erit: fiet igitur vobis pejor per apostasiam seu defectionem a fide.

***Q. 592.** Repetendi gratia. 1° Quis apud Judaeos intelligebatur *proselytus?* 2° Quotuplex distinguitur? 3° Quare Christus dixit *vae* Scribis et Pharisaeis, qui omni studio et diligentia proselytos facere conabantur? — Responsum collige ex iis quae statim dixi.

4ᵐ **Vae** (v. **16-22**) propter *falsam doctrinam circa jusjurandum in promittendo* Cf. q. 232.

5ᵐ **Vae** (v. **23, 24**) propterea quod *in rebus minoris momenti severissimi sint, dum nimis faciles sese praebeant quod attinet ad praecepta legis graviora.* DECIMATIS MENTHAM : solvitis decimas (ἀποδεκατοῦτε ut L. 18, 12); non, ut vult s. Hier., exigitis decimas: nam haec ultima significatio, quae occurrit Hebr. 7, 5, hic non convenit, quum agatur de aliqua legis praescriptione observanda, ut patet ex altero versus membro.

Q. 593. Ad v. **23** petitur : 1° numquid legis Mosaicae praecepta de solvendis decumis ad *mentham, anethum cyminumque* se extenderent. Quaenam sunt istae herbae? 2° Quare Christus mala minitatur Scribis et Pharisaeis, qui decumas ex illis reddendas esse putabant? 3° Quo sensu Judaei isti dicuntur *culicem excolare et camelum glutire?*

Decimae apud Judaeos. R. ad 1ᵐ. Praecepta illa (Lev. 27, 30, 32 ; Num. 18, 21 ; Deut. 14, 22 sqq.) agrorum arborumque fructus et greges solummodo respiciebant ; non autem herbas hortorum et legumina, quae minoris pretii erant ; v. g. quae pro condimento ciborum aut ad suaves odores spargendos tantum adhibebantur. Quales erant 1° *mentha*, gr. ἡδύοσμος, i. e. proprie herba *suave olens* (ab ἡδύ dulce et ὀσμή fragrantia), in specie *mentha hortensis*, qua Judaei aedium synagogarumque pavimentum sternere solebant ;

2° *anethum*, herba aroma similiter spirans, qua et potus et esca condiuntur (fl. *anijs*) ; 3° *cyminum*, planta *umbellifera*, feniculo similis, praesertim in Oriente obvia, cujus in seminibus aromatis sapor etiam habetur.

R. ad 2m. Mens ejus non est illud vituperare, nam statim addit: *Oportuit... illa non omittere :* per legem quidem hoc non praecipiebatur, sed haec legis ampliatio, a Pharisaeis introducta, jam in usum communem transierat. Scribas autem Pharisaeosque reprehendit, quia in rebus hujusmodi, quae parvi erant pretii, diligentem legis affectabant observantiam, adeoque insignem vitae sanctitatem fingebant, dum interea certa magnaque legis mandata passim spernebant: v. gr. circa sententiam *judicialem* ferendam iis in rebus quae ad justitiam et jus tertii spectant, circa *misericordiam*, quae hominibus aerumnosis exhibenda est, circa *fidem* seu fidelitatem ab omni fraude et mendacio alienam : ergo virtutis simulatores erant isti.

R. ad 3m. V. **24** *Culicem excolare*, i. e. percolare vinum (vel potum quemvis), ut culex, si quis inciderit, auferatur, ne forte hausta et absorpta bestiola immunda violetur lex de discrimine cibi mundi et immundi (cf. Lev. 11, 20). Jam vero, dictio **Culicem excolare et** interea **deglutire camelum,** proverbium est quo significatur, minora legis praecepta diligentissime servare, et interim graviora spernere ac perfringere. Utrum Pharisaei, ridiculo moti timore, reipsa potum quandoque percolarent, ex Christi verbis certo colligi nequit. Hujusmodi proverbia rei veritate non nituntur necessario, ut patet ex altero membro *deglutire camelum :* sensus enim potest esse : similes estis illis qui culicem excolarent et camelum deglutirent.

6m et 7m Vae (v. **25-28**) propter virtutis simulationem atque ostentationem, quia Scribae et Pharisaei magnam morum honestatem exterius fingunt, intus vero pleni sunt peccatis vitiisque omnis generis. Christus duplici utitur comparatione: similes sunt, ait, 1° *calici* (ex quo sumitur potus), *et catino* (ex quo cibus), *qui foris nitidissimi sunt, intus vero pleni spurcitia.* Loco *intus pleni estis*, meliores codices et textus graecus habent *intus pleni sunt*, sc. calix et catinus : *rapina et immunditia*, gr. *et intemperantia*, ακρασιας in quibusdam mss., in aliis αδικιας vel ακαθαρσιας. Sensus est: id quod

est in calice, per *rapinam* acquisitum fuit, et inservit eorum *intemperantiae* vel *impuritati*. 2° Similes sunt *sepulcris dealbatis* (κεκονιαμένοις, alba calce obductis, a κονια seu κονις, *pulvis, calx), quae foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum.*

Mos apud Judaeos. Quod quidem ultimum perfectius intelligetur, si notetur morem fuisse Judaeorum, ex Rabbinorum praecepto, quod verbis quibusdam Ezech. 39, 15 nitebatur, ut singulis annis, quatuor ante Pascha hebdomadibus, sepulcra calce alba illinerent, in duplicem finem : a/ ut ea ornarent, et b/ ut transeuntes, praesertim vero illi, qui ad dies festos majoris nominis Hierosolymam veniebant, sepulcra procul cernerent ac dignoscerent, eorumque tactu sese non polluerent (Num. 19, 16). Sic in tr. *Schekal.* 1, 1 : « Die 15 mensis Adar emendant vias, plateas, collectiones aquarum, et quidquid inservit publico ; etiam pingunt sepulcra. »

***Q. 594.** (Repetendi causa) 1° Quibusnam Christus dixit: *Mundatis quod deforis est calicis*, et *similes estis sepulcris dealbatis?* 2° Explica sensum. — Resp. collige ex modo dictis.

M. et L. inter se conciliantur.

Q. 595. Apud M. Scribae et Pharisaei similes dicuntur sepulcris dealbatis, quae foris *parent hominibus speciosa :* sed L. in loco parallelo eosdem comparat monumentis *quae non apparent,* et super quae homines inscii ambulant. Evangelistas inter se non pugnare demonstra.

R. **Duplex sepulcrorum genus** apud Judaeos distinguendum est. Quaedam sepulcra sub terram defossa erant, v. gr. in lateribus rupium, ubi multae erant speluncae, natura vel manu hominum excavatae, quae ad sepelienda corpora in usu erant frequentissimo (cf. q. 297) : qui autem per rupes illas transibant, facile poterant vel inscii super hujusmodi sepulcra incedere. De his loquitur L., cum significat Scribas Pharisaeosque sepulcris istis latentibus similes esse, quia pleni sunt spurcitia et malitia, quamvis tales exterius non videantur, propter fictam simulatamque virtutem. Alia autem erant sepulcra, magis sumptuosa, tamquam monumenta in altum erecta, qualia adhuc plura in vicinia Jerosolymae supersunt (1) : viris insignibus, ut regibus, Prophetis etc., exstrui

(1) Ea indicat Allioli, *Alterthumsk.* § 139 ; plenius describit *W. Smith, *Dict.* a. *tomb.*

solebant. Jam vero, M. de his ultimis mentionem facit, quando dicit ea foris (et procul) speciosa videri, quemadmodum Scribae et Pharisaei externam pietatis sanctitatisque speciem prae se ferunt.

8m **Vae** (v. **29 sqq.**) propter *impiam crudelitatem*, quia Scribae et Pharisaei, ad exemplum proavorum, male habebunt et occident prophetas, et Apostolos, et *sapientes et scribas*, i. e. doctores seu praedicatores fidei christianae. Igitur aeque scelesti sunt ac patres eorum, quum *consentiant operibus eorum* nefariis eaque imitari semper parati sint, unde et *filii* digni *istorum* M. vocari possint; quamvis verbis eos improbent (*si fuissemus*, aiunt, *in diebus eorum, non essemus socii eorum in sanguine Prophetarum* M.), et in signum fictae vituperationis *sepulcra Prophetarum* et justorum, quos majores interfecerant, aedificent atque exornent. Eodem saevitiae inhumanitatisque animo sunt affecti, et progenitorum *mensuram* implebunt, siquidem haud minorem ostendent crudelitatem contra praedicatores a Christo missos; quosdam enim *ex illis occident, et* morte quidem ignominiosa, sc. *crucifigent, alios* vero *ex eis flagellabunt et persequentur*.

Q. 596. 1° Quare Christus v. **29 sq.** in Scribas et Pharisaeos, qui *sepulcra Prophetarum aedificabant et ornabant monumenta* (sepulcralia) *justorum* dura reprehensione invehitur? 2° Explica quae statim subjungit v. **32** : *Implete mensuram patrum vestrorum*.

R. ad 1m. Propterea quod praeclarum hujusmodi opus, neque ex reverentia erga viros illos illustres, neque ad reparandam injuriam eis illatam, aut ad eorum occisionem improbandam, susciperent ac perficerent : sed ex falsa ostentatione tantum et vana gloria, ut haberentur tamquam tales qui viros sanctos venerarentur, utque pravum animum, quo parati erant eadem perpetrare crimina, efficacius occultarent dissimularentque. Imo vero, ad ista scelera non solum parati et propensi erant, sed aperte praedicit Salvator fore ut Apostolos aliosque fidei praedicatores reipsa injuriis lacessant et interficiant. Clare s. Chrys. : « Vae dicit, non quia aedifi-
« cant, nec quia patres suos accusant, sed quia sic facientes...
« pejora perpetrant, et simulate tantum patres improbant. »

R. ad 2m. *Implete :* concessio oratoria per ironiam, quae magnam habet vim (similis est concessio J. 13, 27 *Quod facis, fac citius)*. Quod autem sensum attinet, imperativus ille valet futurum *imple-*

bitis, adeo quidem ut vera lateat hic praedictio (s. Chrys.) belli infensissimi, quod Judaei Christo ejusque discipulis inferent. *Mensuram implere*: dictio proverbialis, qua significatur aliquid complere, perficere, ad summum perducere gradum. Hic autem intelligitur *mensura peccatorum*, quae implenda dicitur, eo nempe sensu quem nunc explicabimus.

De vero et falso sensu verborum Mensuram peccatorum implere.

Q. 597. *Implete mensuram*, ait Christus loquens de peccatis : daturne ergo reipsa aliqua mensura, qua impleta actum sit de salute peccatoris ?

Resp. Christus affirmat Judaeos *implere mensuram peccatorum* suorum, hoc sensu quod praecedentia peccata aliis sceleribus, et majoribus quidem, cumulent atque adaugeant ; seu potius, tot et tanta adjiciant crimina, ut eorum malitia sit omnibus numeris absoluta, summa, ad culmen evecta ; aliis verbis, *mensura* est *impleta*, quando pravitas seu malitia adeo gravis facta est, ut crescere amplius non possit, proptera quod poena divinitus irroganda sit per mortem peccatoris. Metaphora deducitur a rebus quae in certa veniunt mensura : tunc enim solvitur pretium, cum plena est mensura. Igitur, pro singulis nationibus (Gen. 15, 16 *Necdum completae sunt iniquitates Amorrhaeorum)*, regnis et civitatibus, quemadmodum pro singulis hominibus, datur certus peccatorum numerus, quo semel completo, sequitur poena fatalis. Quod autem spectat Judaeorum gentem, poena hic significata est clades sub Tito illata.

Pro concionatore sacro. Probe animadvertant concionatores sacri, *mensuram plenam* non ita posse populo explicari, quasi numerus sit peccatorum certus et definitus, quo completo non amplius detur *spes veniae* seu facultas sese ad Deum convertendi : **numquam** enim, quamdiu homo vivit in terris, de salute **desperandum** est : semper potest, si velit, poenitentiam agere Deoque se reconciliare ; nemini enim, quantumlibet pessimo, denegatur gratia sufficiens, saltem remota, cui si operam conjungat reus, venia certo obtinebitur. Igitur *dum spirat speret* mortalium quisque, vir christianus praesertim !

III. Poenae terribilissimae Judaeis mox immittendae: 33-36.

Praeced. vide ante q. 591.

M. 23, 33. Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis a judicio gehennae? 34 Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: 35 ut veniat super vos omnis sanguis justus, qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi usque ad sanguinem Zachariae, filii Barachiae, quem occidistis inter templum et altare. 36 Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam. 37 Jerusalem etc. *Ante q. 601.*

L. 11, 49. Propterea et sapientia Dei dixit: Mittam ad illos Prophetas et Apostolos, et ex illis occident et persequentur: 50 ut inquiratur sanguis omnium Prophetarum, qui effusus est a constitutione mundi a generatione ista, 51 a sanguine Abel usque ad sanguinem Zachariae, qui periit inter altare et aedem. Ita dico vobis, requiretur ab hac generatione.

Jam explicat Jesus quaenam poenae illis *vae,* quae modo contra Scribas et Pharisaeos protulit, contineantur: simul praedicit fore ut Jerusalem, totaque Judaeorum gens poenis illis terribilissimis sint mulctandae.

33. « Joannis criminationem illis in memoriam revocavit « (s. Chrys.) »: cf. M. 3, 7. Sensus verborum *Serpentes, genimina viperarum,* sequens est, secundum s. Chrys.: « mali malorum filii, « et parentibus nequiores. » *Judicium Gehennae,* i. e. condemnatio ad Gehennam. Quia autem, pergit s. ille doctor, judicium atque gehenna illos non terrebant, praesentes et temporales illis poenas nuntiat, v. 34-36.

Q. 598. Ad v. **34** et **35.** *Ideo,* ait Christus, *mitto ad vos prophetas* etc., i. e. Apostolos aliosque fidei praedicatores..., *et* quosdam *ex illis occidetis..., ut veniat super vos omnis sanguis justus qui effusus est super terram, a sanguine Abel justi* etc. 1° Explica *ideo mitto ad vos, ut veniat super vos* etc.: numquid Deus ideo mittit eos, ut Judaei, eos occidentes, poenas dent gravissimas? 2° Quid sign. *sanguis justus venit super aliquem?* 3° Quomodo *omnis sanguis justus,* olim et a multis quidem seculis *effusus,* venire potuit super Judaeos, Christi aequales, ad quos sermo fit? 4° Numquid Judaei sanguinem Abelis jure ac merito luere debent, quum Cain interfector ejus nec gente nec genere *Judaeus* fuerit?

R. ad 1m. Utique, haec fuit Dei et Christi mens, hic finis in quem animum vere intendebant, ut aperte dicit Scriptura, sed

mens et intentio tantum secundaria et consequens. Etenim finis princeps et directus, quem Deus voluit obtinere cum Prophetas Apostolosque misit, huc necessario spectabat, ut Judaei, eorum moti praedicatione, ad fidem et morum honestatem se converterent, atque ita salvarentur : sed praevidit fore ut isti manerent contumaces et increduli, imo fidei praecones male tractarent occiderentque : nihilominus eos misit, in hunc finem adventitium et indirectum, ut Judaei, malitiam suam contra eos libere exserentes, ita mensuram implerent, utque tandem meritas darent poenas, quibus nempe injustam sanguinis effusionem seu scelestam illorum occisionem ex aequo expiarent. Igitur verba *ideo... ut veniat* etc. nec Dei sanctitati neque hominis libertati repugnant : cf. Rom. 9, 17, in *Comm.* nostro *in Epist. Paulinas*, 6ª ed. 1899.

Mald. *ideo* refert ad *occidetis* etc., et verba *ego mitto* etc. ut phrasim incidentem habet, hoc sensu : quia estis serpentes, occidetis praedicatores quos ad vos mittam : ita etiam Beelen. Sed explicatio ista vim infert verbis. Alii (*Kuin.) dicunt *ideo* διὰ τοῦτο transeuntis esse formulam, quae in versione omitti possit : ut M. 13, 52 ; Mc. 12, 24 coll. M. 22, 29. Hoc autem gratuito asseritur, et pro arbitrio excogitatum fuit ; namque in locis allatis, ut alibi semper, *ideo* consuetam servat significationem.

R. ad 2m. *Sanguis* justorum inique interfectorum, seu sanguis nefarie effusus, dicitur *venire super aliquem*, quando poenae sceleris istius ipsi irrogantur. *Sanguis* metonymia est causae pro effectu.

Lex solidaritatis. R. ad 3m cum Jans., A Lap., Schegg, Bisp. Quia existit quaedam *solidaritas*, si ita loqui fas est, vi cujus posteri patrum crimina luere atque expiare nonnumquam debeant (1 Reg. 15, 2 sq.), cum nempe scelerum mensuram impleverint. Obiter nota verba Christi *Veniet super vos*, significare *Veniet super gentem vestram*, nam Scribae et Pharisaei, ad quos sermo fit, populi universi personam seu vicem gerunt.

R. ad 4m. Cain, utpote Sethi frater et filius Adami, inter proavos populi Judaei merito numeratur.

QUAESTIO DIFFICILLIMA :

Quis Zacharias, filius Barachiae ?

Q. 599. Quis est *Zacharias* ille, de quo loquitur Christus **M. 23, 35,** et quem dicit a Judaeis occisum fuisse *inter templum et altare* ? Quomodo *Barachiae*, non *Joïadae* vocatur filius ? Varias affer sententias, verbulumque de earum vi aut probabilitate adjice.

R. Apud L. 11, 51 desunt verba *filius Barachiae*, atque ideo nullum est dubium quin intelligatur Zacharias ille de quo mentio fit 2 Par. 24, 20-22, et qui ibi dicitur a populo jubente rege occisus *in atrio domus Domini*. Neque obstat apud M. et L. ipsum dici occisum *inter templum et altare :* nam haec est major loci circumscriptio ; per *templum* enim intelligitur aedes sacra stricte dicta (ὁ ναος), et *altare* illud erat altare holocaustorum, quod in atrio sacerdotum exstructum erat : cf. q. seq.

Igitur Christus post *Abelem*, qui omnium primus injuste occisus fuit, nominat *Zachariam*, qui, secundum seriem librorum V. T., ultimus fuit Prophetarum injuste occisorum (dico *secundum seriem* etc., quia ordine temporis recentior fuit occisio Uriae, Jer. 26, 23). Verum, maxima quaedam hic oritur difficultas, cujus certam solutionem nemo quod sciam tradere potuit : Zacharias ille 2 Par. dicitur *filius Joïadae,* apud M. autem *Barachiae* vocatur *filius*.

Variae auctorum sententiae.

1° Plures censent Christum dixisse *filii Joïadae*, Matthaeum autem ex errore memoriae, vel quia falsam vulgi traditionem sequebatur, scripsisse *filii Barachiae ;* nimirum, si isti auctores audiendi sint, Evangelista Zachariam in Templo occisum accipiebat pro Zacharia, uno ex minoribus Prophetis, qui reipsa filius erat *Barachiae* (Zach. 1, 1). Ita plures Protestantes, ita etiam Schegg cath. At vero, quomodo hoc possit conciliari cum divino scriptoris afflatu et instinctu, haud intelligitur.

Bisping autem opinatur in exemplari Aramaico nunc deperdito scriptum fuisse *Joïadae*, sed in versione graeca hoc nomen mutatum fuisse in *Barachiae*, forsitan ideo quod interpres ad occisionem quae circa illud tempus accidit, quamque narrat Flav. Josephus *B. J* 4, 5, 4, lectoris animum convertere vellet : sc. vir quidam

justus, cui nomen erat *Zacharias, filius Baruchi* (alia lectio *Bariscaï*), *in medio templo* a Zelotis trucidatus fuit. Verum, si, ut Bisp. affirmat, versio graeca ab ipso M. profecta est, Evangelista permittere non potuit ut mutatio illa fieret. Alii opinantur errorem graeci interpretis ortum esse ex eo quod propter nominis similitudinem ipse cogitaverit Zachariam, unum de minoribus Prophetis, cujus pater vocabatur *Barachias* (Zach. 1, 1). Sententia autem, quae errorem in nomine ponit, fundamentum quoddam habet in iis quae notat s. Hier. : « In Evangelio, quo utuntur Nazareni [quod, « secundum plures, erat ipsum originale aramaicum s. Matthaei : « cf. supra q. 37], pro filio *Barachiae* filium *Joïadae* reperimus « scriptum. »

2° Alii ut verum et certum ponunt (de qua sententia videtur loqui s. Chrys.), patri Zachariae fuisse duplex nomen (sicut de plurimis legitur in Scriptura (1)), nempe *Joïadam* et *Barachiam*. Vel (Beel.) autumant Barachiam fuisse patrem et Joïadam avum, aut vicissim ; sicut non raro fit in s. Scriptura ut *filius* dicatur qui proprie *nepos* est. De utraque illa conjectura dico rem fieri potuisse, sed eamdem gratuito asseri.

Manent adhuc duae sententiae quae certo rejiciendae nobis videntur, nimirum :

3° Origenes aliique veteres contendebant Zachariam intelligi patrem Joannis Baptistae, « Ex *quibusdam apocryphorum somniis* « [sc. in Proto-Ev. Jacobi, 22] approbantes, inquit s. Hier., quod « propterea occisus sit, quia Salvatoris praedicarit adventum. « Hoc, quia de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate « contemnitur, qua probatur. »

4° Tandem, sententiam novam propugnavit Hug *Einl.* 2, 9, Zachariam, de quo scribit M., illum esse cujus occisionem narrat Flavius Jos. l. c., et de quo supra mentionem fecimus. Hanc autem conjecturam relinquimus, a/ quia hic de iis agitur quae sub V. T. acciderunt ; b/ id temporis, cum loqueretur Jesus, vir ille nondum interfectus fuerat : hoc enim nonnisi a. 66 accidit ; et plane gratuitum, imo vero temerarium est, dicere cum Hug,

(1) Knab. autem affirmat exemplum certum de aliquo, qui duo nomina adeo inter se diversa gessisset, ex antiquo tempore afferri non posse.

Christum tempore futuro usum fuisse quia rem futuram praedicebat, Matthaeum vero, qui secundum Hug scripsisset post illud factum, praeteritum loco futuri usurpasse. Deinde c/ nomen *Baruch*, secundum alios *Bariscaius*, omnino diversum est a nomine *Barachias*. Tandem d/ an iste Baruch adeo justitia eminuit ut a Christo tam honorifice nominatus fuerit ?

Q. 600. Zacharias dicitur occisus *inter Templum et altare :* quid hoc significat ?

R. In atrio sacerdotum, et in ea quidem atrii parte, quae inter *aedem sacram proprie dictam* (του ναου) et *altare* holocaustorum erat. Igitur idem intelligitur locus ac apud Joel. 2, 17 *Inter vestibulum et altare*, namque de vestibulo aedis sacrae proprie dictae ibi sermo fit. Utile erit conferre descriptionem Templi, quam ad calcem libri, q. 1090 trademus.

IV. Vae Jerusalem, vae Judaeis! 23, 37-39.

Praeced. vide ante q. 598.

M. 23, 37. Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti? 38 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. 39 Dico enim vobis, non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus, qui venit in nomine Domini. 24, 1. Et egressus Jesus etc. *Ante q. 604.*

L. 13, 34. Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas eos qui mittuntur ad te, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum avis nidum suum sub pennis, et noluisti ? 35 Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, quia non videbitis me, donec veniat cum dicetis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

Praenota omnes et singulas evertendae Hierosolymae praedictiones a Jesu factas, q. 559 indicatas fuisse.

Q. 601. 1° Memoriter recita celeberrimam praedictionem, quam Christus fecit, tum a/ de Hierosolyma evertenda atque universa Palaestina devastanda, tum b/ de Judaeis supremo mundi tempore ad fidem convertendis, quando dixit M. 23, 37-39: *Jerusalem, Jerusalem, quae occidis prophetas, et lapidas* (1) *eos qui ad te missi sunt: quoties volui congregare* etc. *Ecce relinquetur vobis domus vestra*

(1) De *lapidatione* verbulum dixi supra M. 21, 35. Judaei lapidibus obruerunt Prophetas a Deo missos, propterea quod eos ut falsos prophetas, contra quos Deut. 13, 1 sqq. lapidationis poena statuta erat, haberent.

deserta (1). *Dico enim vobis, non me videbitis amodo donec* etc. 2° Scribe brevem commentarium in illum locum. 3° Quomodo Christi oraculum de Jerosolymitano excidio eventu confirmatum fuit? 4° Tandem explica 2m praedictionem, quae verbis *Dico enim vobis: Non me videbitis donec* etc. continetur; adde alia quaedam s. Scripturae loca, in quibus hoc ultimum praenuntiatum legitur.

Resp. ad 1m. Recita pericopam M. 23, 37-39. In loco parallelo L. 13, 34 et 35 prorsus idem habetur, paucis verbis immutatis; inde colligitur vel hanc praedictionem bis a Christo editam fuisse, vel apud alterutrum Evangelistam temporis ordinem non servari. Lucas enim eam refert ad illud tempus, quo Jesus in ditione Herodis, nempe in Peraea, ultra Jordanem, adhuc erat; M. vero eam adducit post octo *vae*, quae Christus in Templo, paucos dies ante mortem, feria 3a hebdomadis sacrae, contra Scribas et Pharisaeos protulit.

R. ad 2m. Per *Jerusalem* intelliguntur imprimis incolae urbis, praesertim ejus principes et proceres (synedristae etc.), qui semper se Jesu adversarios ostenderant; sed quum *Jerusalem* sit metropolis gentis Judaicae, adeoque centrum theocratiae V. T., vicem gerit populi universi totiusque Palaestinae. Ideo in verbis sequentibus sermo habetur de perversitate et contumacia *universi populi*, et de gravissimis poenis ab eo repetendis. — Obiter nota duplicationem illam *Jerusalem, Jerusalem,* esse « miserantis et admodum amantis » ait s. Chrys.

Quoties volui congregare etc. duplici modo explicatur :

1a **Sent.** Multi (s. Hier., Cajet., Jans. Gand., Bisp.) id intelligunt de omnibus iis quae in V. T. fecit Deus pro salute Judaeorum : « Testatur, ait s. Hier., omnes retro Prophetas a se missos esse » ; igitur sibi adscribit quae de Deo seu Jehova in V. T. passim dicuntur; ergo, tacite docet se, ad naturam quod attinet, unum eumdemque esse ac Deum; et proinde supremum populi Dominum aperte se declarat. Ipse enim, in praeteritis tem-

(1) Vox *deserta* ερημος deest in B L, copt.: sunt qui putent esse glossema exegeticum, quo notetur quid secuturum sit ex eo quod Dei protectio ablata fuerit: sed, quum vox illa in reliquis codicibus legatur, *Tisch. eam merito recipit. De cetero sensus eodem recidit: *domus vestra relinquetur vobis*, i. e. gens vestra relinquetur sibi, divina tuitio ab ea auferetur, ideoque maximae in eam irruent calamitates.

poribus, majores ei quam ceteris mundi antiqui gentibus gratias benigne concessit; ipse peculiari modo eum elegit in populum suum, eique veram Dei notitiam tradidit; ipse legem Mosaicam ei dedit, ad eum saepissime misit Prophetas etc. Adde ultimum omniumque maximum beneficium, quod largitus est per Incarnationem suam, quodque constanter eis offert, quotiescumque, ut nunc facit, ad conversionem et salutem eos vocat et impellit. Hanc autem singularem vereque infinitam suam benignitatem miro artificio coram oculis nostris depingit, per pulcherrimam comparationem, a gallina pullos sub alis congregante ut eos in tuto collocet ac foveat, desumptam.

2ª **Sent.** Alii autem (Knab. etc.) dicunt Christum de se loqui ac de suis conatibus pro conversione Judaeorum, et imprimis de iis quae fecit in ipsa urbe, in qua saepe commoratus est, ut constat ex Evang. Joan. Favet loquendi modus: vult eos sub alis abscondere sicut gallina pullos, certe ut eos ab excidio sub Tito inferendo tueatur, quod ad prophetas V. T. referri nequit. Praeterea, Christus nusquam dicit prophetas antiquos a se missos fuisse, vel se in eis ad populum locutum fuisse.

Praefero hanc ultimam sententiam, et ideo nolim textum illum adducere ad demonstrandam Christi divinitatem.

Sed quomodo Jesus voluit eos a clade servari per suam praedicationem?

Si Jesum audiissent, non amplius cogitassent de Messia rege temporali, qui ipsos a dominatione Romanorum liberasset, et, cum rebellionem non iniissent, cladem sibi non induxissent. Vel sic: si ad veram Christi fidem se convertissent, Deus terribilem illam poenam non immisisset.

Libera hominis voluntas apertissime colligitur vel ex solo *noluisti*.

38. *Domus vestra*, sc. in qua habitatis, non intelligitur solum Templum (s. Hier.), sed ipsa urbs Jerusalem (Ven. Beda *in L.*, Jans. Gand., A Lap., Knab.), cui protectio Dei subtrahetur: in urbe autem ope divina destituta, tamquam in capite populi, exprimitur *totius nationis* ruina (Bisp.). Eo vel magis quod *Domus* metaphorice sumi possit pro *familia*, inde pro *gente*, quippe quae ex eadem oriatur familia.

R. ad 3m. Oraculum eventu comprobatum fuit per terribilissimam cladem, quam Judaeis et imprimis urbi Jerusalem intulit Titus, Romanorum dux, a. 70. Vide M. 24, 21, ubi sedes propria est quaestionis de illa clade.

R. ad 4m. V. **39.** Jesus rationem reddit (*enim*) praecedentium *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, et confirmat quod de Judaeorum eversione dixit. Ego, ait, in eo sum ut proficiscar, igitur *amodo* (deinceps) *me* Salvatorem vestrum *non videbitis*. Hisce verbis, moerore plenis, miserrimo populo **supremum** quasi **vale,** secundum Matthaei narrationem (1), tristis dicit; sed benignitas ejus nimia est, quam ut verbulum solatii non addat, nempe *donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini:* i. e. me iterum videbitis (sensu metaphorico, iterum vobis adero ut protector et salvator) circa finem seculorum, et tunc mihi dicetis *Benedictus* etc., i. e. verba illa de Messia olim jam scripta *Benedictus* etc. de me intelligetis mihique acclamabitis, tum denique ut Salvatorem me pie et fidenter agnoscetis.

In fine mundi gens Judaica se convertet.

Igitur significatur fore ut circa ultimum Christi adventum gens Judaica ad fidem se convertat. S. Chrys.: « Per haec etiam resur-« rectionem subindicavit, necnon *secundum adventum suum*, etiam-« que iis qui admodum increduli essent, *quod ipsum tunc essent* « *adoraturi.* » Idem apertius praedicitur Rom. 11, 25 et 26; et secundum multorum sententiam huc spectat etiam vaticinium Oseae de quo nunc dicemus.

Oseas 3, 4 et 5 *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege et sine principe, et sine sacrificio et sine altari...; et post haec revertentur filii Israel, et quaerent Dominum Deum suum et David regem suum* (sc. per fidem in Messiam, Davidis filium)... *in novissimo dierum*. Allioli notat sub V. T. nullam reperiri epocham in qua praedictio illa in toto rigore impleta fuerit; ideo eam intelligit de tristissimo statu in quo versabitur gens Judaica sub epocha Messianica (v. 4), donec in extrema mundi aetate se ad Christum convertet (v. 5). Alii tamen opinan-

(1) Post ista verba, ut videtur, Jesus turbam ultimum allocutus est, cum sermonem habuit qui . 12, 23-36 refertur: de hoc autem ultimo vale *secundum Joannem* cf. q. 603.

tur ibi agi de Judaeorum infidelitatibus sub V. T., quibus quondam succedet magna et felix instauratio per adventum Messiae. Animadvertunt verba *in novissimo dierum* respondere hebraeo אַחֲרִית הַיָּמִים *postremitas dierum*, et simpliciter indicare tempora Messiae, non extrema mundi tempora: cf. Jer. 23, 20; Joel 3, 1.

Knab. in verbis *donec dicatis: Benedictus* etc. admittit quidem sensum de conversione totius gentis Judaicae in fine mundi, sed ait nullam adesse rationem quare illa conversio *sola* intelligatur. Putat Christum promittere fore ut post cladem Judaei haud pauci eum ut Messiam demum agnoscant: Rom. 11, 2 *Non repulit Deus plebem suam quam praescivit.* Sensus erit: *Me videbitis* iterum quando dicetis *Benedictus* etc., i. e. vobis iterum adero adjutor et protector, quando ad fidem convertemini, quando me ut Salvatorem vestrum (*venientem in nomine Domini*) agnoscetis; nunc vos desero et miserrimae sorti vos relinquo.

Patrizi autem nullam hic videt praedictionem de futura Judaeorum conversione, sed verba *Donec dicatis: Benedictus* etc. ad ingressum triumphalem Jesu in urbem refert. Lucas quidem favet huic opinioni quum praedictionem illam referat diu ante ingressum triumphalem, eamque praecedentibus annectat per *autem*: sed M. ei opponitur, cum dicat *enim (Dico enim vobis)*: ista Judaeorum agendi ratio, qua Messiam agnoscent, debet cogitari posterior calamitate denuntiata, siquidem haec in poenam contumaciae immittenda est.

Nota. Antequam pergamus in explicando M. utile erit, occasione eorum quae statim diximus de pessima gentis Judaicae usque ad postrema mundi tempora pertinacia, quaestionem quamdam generalem obiter exponere.

Praedictio de sorte futura gentis Judaeae.

Q. 602. An praedictum fuit in Scriptura Templum Jerosol. numquam reaedificandum esse pro cultu Mosaico renovando, etiam *materialiter*, adeoque Judaeorum rempublicam in Palaestina numquam restituendam esse, i. e. Judaeos in patriam non redituros esse, neque ibi habitaturos tamquam gentem distinctam cum rege seu principe suo, et cum sacerdotibus suis, vigente cultu Aaronico, legibusque Mosaicis denuo introductis.

Haec est opinio a plerisque admissa, et huc refertur miraculosus Dei interventus, quo, ut dicemus infra q. 605, impeditus fuit impius Juliani Apostatae conatus, quum Templum remque publicam Judaeorum restituere voluit, in hunc ipsum finem ut s. Scripturae oracula mendacii convincerentur.

Certe haec opinio confirmatur ex alio facto historico, plane miro et inaudito, nempe Judaeos per 18 secula exules mansisse et dispersos, absque regno et urbe regia, absque Templo et summo pontifice, absque sacrificio et altari.

Jam vero quaeritur utrum hac de re habeatur certa et positiva praedictio in Scriptura.

R. Qui affirmant nituntur praesertim sequentibus testimoniis:

1° Apud L. 21, 24 Christus videtur satis clare praedicere Judaeorum gentem sub Tito eversam non restituendam esse ante ultimam mundi aetatem: *Cadent*, ait, *in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes, et Jerusalem calcabitur a gentibus, donec impleantur tempora nationum*, i. e. donec gentes maturae sint ad judicium extremum, vel donec gentes omnes factae sint christianae, seu, ut ait Apostolus Rom. 11, 25, donec *plenitudo gentium intraverit* in Ecclesiam catholicam; quod cum contigerit, mox adveniet mundi fatum.

2° Hic apud M. 23, 39, ut dixi supra, Christus videtur praedicere gentem Judaeam sibi relinquendam esse hoc sensu, quod dire punienda sit sub Tito propter incredulitatem suam, et quod in hac incredulitate mansura sit donec aliquando Christum ut Messiam agnoscat (quando dicet: *Benedictus* etc.), puta in fine seculorum. Huic sensui favet contextus, nam in v. praeced. agitur de infidelitate Judaeorum: *Quoties volui congregare filios tuos* etc. Si verba M. v. 39 sic intelligantur, praedicitur Judaeos mansuros esse in sua infidelitate usque ad ultimum tempus, sed inde non sequitur eorum rempublicam antea non restituendam esse.

Sunt qui ita interpretentur: gens vestra omni divina protectione erit destituta, manebit desolata, eversa, dispersa *(domus deserta)*, in statu illo miserrimo in quem redigetur per cladem a Tito illatam. Hoc admisso, erit praedictio concordans cum Luca supra in 1°.

3° Daniel 9, 26 et 27 secundum Vulg. vere praedicere videtur destructionem perseveraturam usque ad finem mundi: *Usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*. Textus autem hebraeus videtur sic intelligendus: desolatio a Tito illata erit *consummata, completa* (cf. not. ad M. 24, 15). Jam vero hoc in duplici sensu sumi potest: cladem fore maximam qua urbs et gens prorsus evertendae sint, qualem reipsa fecit Titus. Vel, cum plerisque catholicis, sumere possumus *completam* hoc sensu: *definitivam, perpetuam*, duraturam usque ad ultimam mundi aetatem.

4° Vaticinium Os. 3, 4 et 5 citatum supra ad M. 23, 39 juxta quorumdam interpretationem huc referri potest, aliis contradicentibus, ut ibi notavi.

Hic citari non debet Amos 9, 11 *In illa die suscitabo tabernaculum David quod cecidit*; id enim dicitur de reditu ex exilio Babylonico, et potest in tota significatione verborum etiam referri ad pleniorem instaurationem per Messiam. Sed ibi non agitur de restitutione in fine seculorum, proinde ibi non supponitur populum Judaeum in statu eversionis semper mansurum.

Conclusio. Opinio popularis gentem Judaicam in Palaestina restituendam non esse solido nititur fundamento Scripturistico, atque ab ea recedere nolim omnino. Eam tamen tamquam punctum fidei non affirmarem, quamdiu Ecclesia ea de re definitionem non dederit. Si materialis quaedam templi et Judaismi restauratio fieret, per interventum *ploutocraticum*, non ideo Scriptura falsitatis

arguenda esset: Ecclesia enim sola certo et infallibiter decernere potest quo sensu intelligenda sint loca sacra supra citata.

§ 15. PRAEDICTIO DE HIEROSOLYMA EVERTENDA ET DE MUNDI INTERITU: Cap. 24 et 25.

Antea jam, bis aut ter, Hierosolymae eversionem praedixit Christus: cf. q. 601 et 559.

Loca parallela. Hanc celeberrimam praedictionem fuse et complete retulit M. duobus capitibus, sc. 24 et 25; summatim autem Mc. 13, 1-37, et L. 21, 5-38; sed J., quamvis ceteroquin de altero Christi adventu et de judicio extremo in fine seculorum frequenter loquatur (v. gr. 5, 21 sqq.; 8, 15 sqq.; 9, 39; 12, 47 sqq.; 14, 18 sq.), eam praetermisit, forsitan ideo quod post rerum eventum scripserit: s. Chrys. *in M.* 24, 22.

Rerum series.

Q. 603. Quid factum est antequam Jesus ultimum e Templo egressus est? Quomodo populo valedixit? Quo dein tetendit?

Sermones praecedentes in Templo, feria 3ª ultimae hebdomadis, habiti sunt omnes. Antequam vero Christus e Templo egressus est vespere, ut in montem Oliveti recederet, sedit contra gazophylacium, quod erat in atrio mulierum, et vidit viduam pauperem quae in arcam misit duo *minuta*, ejusque laudavit liberalitatem ac beneficentiam: cf. Mc. 12, 41-44 coll. L. 21, 1-4.

Dein, ut refert J. 12, 20-36a, ultimum in loco publico (certe in atrio gentilium) verba fecit, loquens ad turbam, in qua plures erant *gentiles* pii qui ad Judaismum propensi erant, ergo *proselyti portae* (vide ad M. 23, 15) (1): in medio sermonis illius ultimi et gravissimi vox de coelo veniens illustravit eum.

Postquam testimonio illo miraculoso et ultimo clarificatus fuerat, praedixit mortem suam, in cruce subeundam, omnino propinquam esse *(nunc judicium est mundi)*, et ultima vice proclamavit totius vitae suae scopum et effectum, scil. diaboli expulsionem *(nunc*

(1) Noli intelligere *Hellenistas*, i. e. *Judaeos* graece loquentes extra Palaestinam habitantes, nam probabiliter erant e Galilaea, noti ac concives Philippi (J. 12, 21): merito rem ita disposuit divina Providentia ut in momento illo solemnissimo adessent etiam quidam gentiles, ut et ipsi audiren vocem de coelo, quippe quum vocatio gentilium mox esset futura.

princeps hujus mundi ejicietur foras) et hominum salutem *(et ego, si* quando *exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum)*. En igitur **ultimum vale** *secundum Joannem* (supra, ad M. 23, 39 notavi ultimum vale *secundum Matthaeum)* quod Salvator populo suo dixit: eum enim deinceps sua destituit praedicatione in perpetuum (1): *Haec locutus, abiit et abscondit se ab eis* J. 12, 36b; nempe in montem Oliveti cum solis Apostolis recessit, et locum petiit reconditum. Deinceps cum suis tantum versatus et locutus est (2), in monte illo (in horto Gethsemane), vel in altero montis latere (Bethaniae), per duos sequentes dies manens, i. e. usque ad feriam 5^{m} vespere, quo tempore in urbem rediit ut Pascha celebraret.

Igitur, postquam vox de coelo delapsa gloriosum ipsi reddidisset testimonium in atrio gentilium, egressus est e templo et ex urbe, torrentem Cedron transiit, et clivum Oliveti ascendere vix inceperat, cum evenerunt ea quae habet M. 24, 1 sqq., quaeque nunc pertractanda sunt.

Introductio: qua occasione facta sit praedictio. 24, 1-3.

Praeced. vide ante q. 601.

M. 24, 1. Et egressus Jesus de templo, ibat. Et accesserunt discipuli ejus, ut ostenderent ei aedificationes templi. 2 Ipse autem respondens dixit illis: Videtis haec omnia? Amen dico vobis, non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruatur. 3 Sedente autem eo super Montem oliveti, accesserunt ad eum discipuli secreto, dicentes: Dic nobis, quando haec erunt? et quod signum adventus tui, et consummationis saeculi? 4 Et respondens Jesus etc. *Post q. 607.*

Mc. 13, 1. Et cum egrederetur de templo, ait illi unus ex discipulis suis: Magister, aspice quales lapides, et quales structurae. 2 Et respondens Jesus, ait illi: Vides has omnes magnas aedificationes? Non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 3 Et cum sederet in Monte olivarum contra templum, interrogabant eum separatim Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas: 4 Dic nobis, quando ista fient? et quod signum erit, quando haec omnia incipient consummari?

L. 21, 5. Et quibusdam dicentibus de templo, quod bonis lapidibus et donis ornatum esset, dixit: 6 Haec quae videtis, venient dies, in quibus non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur. 7 Interrogaverunt autem illum, dicentes: Praeceptor, quando haec erunt, et quod signum cum fieri incipient?

---

(1) Adhuc tamen nonnulla dixit verba in itinere ad Calvariam, quae ad populum referebantur, sed indirecte tantum, adeoque haec non proprie et stricte sunt ultimum vale, sed **quasi ultimum vale** dici possunt: cf. q. 838*bis* et seq.

(2) Sermo, qui refertur J. 12, 44-50, probabiliter habitus non fuit postquam Jesus e Templo recessisset in montem Olivarum, v. 36, sed ab Evangelista adjectus fuit tamquam conclusio quaedam generalis, et collectus fuit ex iis quae antea in variis circumstantiis dixerat Salvator.

Q. 604. Quare hae praedictiones narrationem Passionis proxime praecedant.

Insignis haec vaticinatio providentissime et sapienter praecedit narrationem de cruciatibus et morte Jesu: nam crimen deicidii, quod commiserunt Judaei, calamitatis praedicendae causa fuit praecipua. Dein annectitur oraculum de judicio extremo, tum quia clades Jerosolymitana figura fuit et velut prooemium tragici rerum exitus *(la grande catastrophe)* in fine temporum, tum etiam quia Jesus discipulos docere voluit se mundi victorem fore per mortem suam: cf. J. 16, 33 *Ego vici mundum*, et M. 26, 64 *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus coeli* etc.

Non relinquetur lapis super lapidem.

Q. 605. 1° In quibus rerum adjunctis Christus de Templo Jerosolymitano praedixit, fore ut in eo non relinqueretur *lapis super lapidem* (1)? 2° Quomodo illud eventu confirmatum fuit?

R. ad 1m. Feria 3a ultimae hebdomadis, circa vesperam, Christus, *e Templo egressus*, pergit in *montem Oliveti* (cf. v. 3): discipuli ejus accedunt ut *aedificationes Templi*, i. e. omnia ejus aedificia ostendant ei, certe attoniti et miserantes de destructione urbis, adeoque et Templi, quam Jesus praedixerat: *Relinquetur domus vestra deserta.* Vox *templum* το ἱερον totum complectitur aedificium, porticus, atria et aedem sacram proprie dictam (τον ναον). *Magister aspice*, ait quis ex eis apud Mc., *quales lapides et quales structurae! Ornatum est*, ait L., *bonis lapidibus et donis.*

Et re quidem vera, **magnificentissima** erat **structura Templi** ab Herode Magno renovati et instaurati (2): lege Jos. *Ant.* 15, 11, et plenius *B. J.* 5, 5. In hoc ult. libro 5, 5, 6 scribit: « Exterior facies

---

(1) Quod hic de Templo dicitur, in eo *lapidem super lapidem non relinquendum*, i. e. illud funditus evertendum, hoc ipsum de universa urbe Jerusalem etiam praenuntiavit Christus, in ingressu triumphali (supra q. 554), apud L. 19, 44.

(2) Templum Herodianum inchoatum fuit a. 21 ante Chr., sed perfectissime absolutum tantum fuit a. 64 post Chr. (igitur paulo ante ejus eversionem), quo tempore 18,000 operariorum dimissi fuerunt Vide descriptionem Templi quam tradam ad calcem libri q. 1090.

(του ναου, aedis sacrae proprie dictae), nihil habebat quod animus aut oculi non mirarentur: crustis enim aureis gravissimis undique tecta, ad primum solis ortum igneo splendore lucebat, ut cum intuerentur contendentium oculi, quasi solis radiis averterentur. Hospitibus quidem advenientibus, procul monti niveo similis videbatur; nam ubi deauratum non erat Templum, candidissimo marmore constabat... Nonnullorum autem saxorum ejus longitudo 45 cubitorum erat (23m62), altitudo 5 (2m62), et latitudo 6 (3m15). » Quod autem Jos. ait de saxis illis ingentibus, explicat verba discipulorum *Quales lapides!* Nota tamen in *Ant.* 15, 11, 3 alias dari lapidum mensuras: « Constabat, ait, structura (του ναου) e lapidibus candidis firmissimis, magnitudine 25 cubitorum (13m,12) in longum, 8 (4m,20) in altum, latitudine vero cubitorum 12 (6m30). » (1)

Praeterea in ejus porticibus **dona** multa eaque **pretiosissima** asservabantur, ut coronae, candelabra, vasa aurea, quae tum a Judaeis, quum a principibus exteris, oblata fuerant: imprimis nominanda est **vitis aurea** (2), mira arte fabricata, quae vestibulum aedis sacrae proprie dictae (του ναου) exornabat, et « Unde racemi statura hominis pendebant », ait Jos. *B. J.* 5, 5, 4.

Cum autem discipuli magnificentissima illa Templi aedificia ostendissent, Jesus respondit v. **2**: *Videtis haec omnia* (3)? vult eos attentos reddere ut praedictionem suam melius imprimant memoriae, hanc nempe *Non relinquetur hic lapis super lapidem qui non destruatur.*

R. ad 2m. Praedictio haec terribilissimo rerum eventu confir-

---

(1) « Les dimensions, que Josèphe attribue à certains blocs employés dans la construction du Temple, paraitraient singulièrement exagérées, si l'on ne se rappelait que la plate-forme du temple de Bâalbek présente des blocs bien plus considérables encore (De Saulcy *Les dern. j. de Jérus.* 1866. p. 245). » Du reste les substructions du Temple (des murs extérieurs), que l'on voit encore aujourd'hui, présentent des blocs d'une dimension très-grande.

(2) Obiter notamus, Jesum, secundum nonnullorum conjecturam, ab illa vite splendidissima occasionem sumpsisse sermonis qui J. 15, 1 sq. refertur.

(3) **Lectio** longe **probabilior** est: ου βλεπετε παντα ταυτα; *nonne videtis omnia haec?* Negatio in Vulg. praetermissa fuit, ut verba cum Marco melius concordarent. Jam vero, istud ου magnam facit difficultatem, quum discipuli dicantur aedificia templi statim antea Jesu ostendisse. Varii varie id explicant; s. Chrys.: Nonne videtis, i. e. admiramini haec omnia? at vero non relinquetur lapis etc. Gall. *Vous voyez ces mag ifiques constructions, n'est-ce pas? Vous les admirez: eh bien, sachez,* etc. Bisp. ita: Nonne videtis qualia sint haec omnia? Nonne intelligitis haec omnia mox peritura esse? Quasi Jesus improbaret admirationem, qua discipuli in contemplando et ostendendo templo afficiebantur, quum saepe jam significasset illud evertendum esse. Parum obvia certe utriusque interpretatio dicenda est: sed meliorem non invenio.

mata fuit, et ad literam quidem, primum in clade Jerosolymitana, de qua vide infra ad M. 24, 21 ; deinde ruinae, quae remanserant, funditus eversae fuerunt, quando **Julianus Apostata,** a. 363, impio ausu, ut Christi verba falsitatis argueret (1), Templum restituere conatus est, et per insigne miraculum, globulis flammarum crebris e terra erumpentibus operariosque adurentibus, ab incepto desistere coactus fuit.

Certitudo istius miraculi. Factum illud historicum narratur ab auctore aequali, qui christianus non erat, quique praecipuus Juliani laudator dici potest, sc. ab Ammiano Marcell. 23, 1; cf. Socr. *H. E.* 3, 20; Sozom. 5, 22 (al. 31); Theodor. 3, 15 (al. 17). Per miraculum id accidisse multi etiam ex acatholicis fassi sunt, ut videre est ap. *Winer, *Rwb.*, a. *Tempel.* Hic tamen contradicit, et citat Jos. *Ant.* 16, 7, 1, ubi narratur Herodem a spoliando Davidis sepulcro deterritum fuisse flamma ex adytis erumpente: affirmat iste Rationalista aerem, in locis subterraneis diu inclusum, naturali vi incendi potuisse. Videsis horum confutationem ap. Mislin, *Les ss. Lieux,* ch. 24.

Locus apte electus pro praedictione. Postquam autem Jesus, inter incedendum juxta declivitatem montis Olivarum, Apostolis, pulchritudinem Templi admirantibus, dixisset ista omnia funditus destruenda esse, *sedit* ibi *contra templum* Mc.; loco apte electo, namque universa aedificii sacri structura, quae solis occidentis radiis percussa, magnificentissime resplendebat, nusquam melius quam ex illo loco videri poterat. Tunc autem, a quibusdam interrogatus discipulis circa tempus, quo accideret id quod statim de templo praenuntiaverat, celeberrima oracula, in quibus de clade Jerosolymitana et simul de interitu mundi longe lateque sermocinatur, protulit. De his fusius nunc disputabimus.

Primum videamus ea quae auditores spectant, quaeque cum locorum adjunctis supra traditis plenam praedictionis illius introductionem subministrabunt.

---

(1) Supra, q. 602, ostendi revera a Christo praedictum fuisse, si non apud M., saltem apud L. in loco parallelo 21, 24, eversionem Templi et Urbis perseveraturam esse usque ad ultima humani generis tempora. Quod et Prophetae quidam veteris Test. etiam nuntiaverant. Ergo, si ponamus loca illa Scripturae ita intelligenda esse, Deus permittere non potuit ut Julianus Apostata impium conatum perficeret.

Q. 606. Quinam Jesum ante praeclaram illam praedictionem interrogaverant, et quid singillatim inquisierant?

Resp. Quatuor e discipulis ejus, ait Mc., nempe *Petrus, et Jacobus, et Joannes, et Andreas* (1), *separatim* ab aliis Mc., et *secreto* M. v. 3 accedunt ad Jesum, et duo petunt secundum M.: 1° *Dic nobis quando haec erunt*, nempe ista de quibus modo locutus fuerat, cum ait v. 2 *Non relinquetur lapis super lapidem:* aliis verbis, petunt quandonam adveniret fatum Jerusalem. 2° *Quod signum* erit *adventus tui et consummationis seculi?* i. e. quandonam peribit mundus fietque judicium ultimum. Sed illa duo in eorum mente erant conjuncta, quippe quum putarent ea simul eventura esse (s. Chrys.). Ideo apud Mc. et L. quasi de uno eodemque facto et tempus et signa prognostica inquirunt: *Dic nobis*, aiunt, *quando ista fient, et quod signum erit quando haec omnia incipient consummari?*

Divisio argumenti hic tractandi.

Q. 607. Christus in prolixo sermone, quem hac occasione habuit, modo de eversione Jerosolymitana, modo de ultimo judicio mundique interitu loquitur: indica quaenam ad hoc et quaenam ad illud factum referantur.

R. Res certo definiri nequit: probabilior tamen nobis videtur sententia, quae sequentem statuit argumenti divisionem. Christus respondet 1° ad quaestionem de fatali mundi die, 24, 4-14, et signa tradit remota (alii aliter). 2° Respondet ad quaestionem de clade Jerosolymitana, v. 15-22. Dein 3° de seculorum exitu rursum disserit, v. 23-41. Sequitur 4° monitum ad vigilantiam et vitae sanctitatem, propter incertum tempus quo adventurum sit ultimum judicium: 24, 42-25, 30. Tandem 5° judicium illud graphice describitur, et quasi depingitur coram oculis, v. 31-46. Quinque igitur puncta distinguemus.

---

(1) Illi quatuor singulari amicitia et familiaritate prae ceteris Apostolis Jesu conjuncti erant; cf. q. 326, ubi notatur primam Apostolorum seriem ex illis quatuor compositam fuisse. Adde tres ex illis fuisse primos Christi discipulos (q. 173); tres etiam specialiter electos fuisse, ut in Transfiguratione, dein cum filia Jairi ad vitam revocata fuit, ac tandem in interiore horto Olivarum, praesentes essent.

I. Signa remota perituri mundi (probabilius) : 24, 4-14.

Praeced. vide ante q. 604.

M. 24, 4. Et respondens Jesus, dixit eis : Videte ne quis vos seducat : 5 multi enim venient in nomine meo, dicentes : Ego sum Christus : et multos seducent.

6 Audituri enim estis praelia, et opiniones praeliorum. Videte ne turbemini : oportet enim haec fieri, sed nondum est finis. 7 Consurget enim gens in gentem, et regnum in regnum, et erunt pestilentiae, et fames, et terrae motus per loca. 8 Haec autem omnia initia sunt dolorum.

9 Tunc tradent vos in tribulationem, et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. 10 Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. 11 Et multi pseudoprophetae surgent, et seducent multos. 12 Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. 13 Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

14 Et praedicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus : et tunc veniet consummatio. 15 Cum ergo videritis etc. *Post q. 610.*

Mc. 13, 5. Et respondens Jesus coepit dicere illis : Videte ne quis vos seducat: 6 multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum : et multos seducent.

7 Cum audieritis autem bella, opiniones bellorum, ne timueritis : oportet enim haec fieri : sed nondum finis. 8 Exsurget enim gens contra gentem, et regnum super regnum, et erunt terrae motus per loca, et fames. Initium dolorum haec.

9 Videte autem vosmetipsos Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me, in testimonium illis.

10 Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium.

11 Et cum duxerint vos tradentes, nolite praecogitare quid loquamini: sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini : non enim vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus. 12 Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium : et consurgent filii in parentes, et morte afficient eos. 13 Et eritis odio omnibus propter nomen meum. Qui autem sustinuerit in finem, hic salvus erit.

L. 21, 8. Qui dixit : Videte ne seducamini : multi enim venient in nomine meo, dicentes quia ego sum : et tempus appropinquavit : nolite ergo ire post eos.

9 Cum autem audieritis praelia, et seditiones, nolite terreri : oportet primum haec fieri, sed nondum statim finis. 10 Tunc dicebat illis : Surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. 11 Et terrae motus magni erunt per loca, et pestilentiae, et fames, terroresque de coelo, et signa magna erunt.

12 Sed ante haec omnia injicient vobis manus suas, et persequentur, tradentes in synagogas et custodias, trahentes ad reges et praesides, propter nomen meum : 13 continget autem vobis in testimonium. 14 Ponite ergo in cordibus vestris, non praemeditari quemadmodum respondeatis. 15 Ego enim dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere et contradicere omnes adversarii vestri. 16 Trademini autem a parentibus, et fratribus, et cognatis, et amicis, et morte afficient ex vobis : 17 et eritis odio omnibus propter nomen meum: 18 et capillus de capite vestro non peribit. 19 In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Quatuor sententiae.

Quid Christus velit in hac pericopa multum disputatur. Qua-

tuor sunt sententiae: 1ª eam refert ad finem mundi, 2ª ad excidium Jerosolymitanum, 3ª ad utrumque simul, et 4ª ad neutrum horum. Eas jam exponam.

1ª Sent. Signa perituri mundi prognostica.

SS. Cyr., Iren. *Haer.* 5,25, Greg. *Hom. 1 in Ev.*, etiam Hier. (juxta Knab.), inter recentiores Beel. etc., ad ultimum rerum casum pericopam referunt Ut autem haec sententia probe cognoscatur, ponimus seq. quaest.

Q. 608. Quaenam signa prognostica mundi perituri tradit Jesus, in celeberrima praedictione quam paucos dies ante mortem fecit?

R. Sex distinguere possumus.

Signum 1m, v. 4 et 5: venient falsi Christi. Jesus quidem ad discipulos adstantes loquitur (*vos... audituri estis* etc.), sed in eorum persona sermonem facit ad eos christianos qui extrema mundi tempestate victuri sunt.

Signum 2m, v. 6-8 (1). Bella, et multa quidem, variis in locis: scil. *praelia* in patria seu *seditiones* L., et *opiniones praeliorum* i. e. rumores de praeliis in aliis regionibus (namque *consurget gens in gentem et regnum in regnum*), praeterea *pestes*, *fames*, *terraemotus*, et L. *terrores de coelo*, *et* (nempe) *signa* seu prodigia *magna*. Additur autem apud M., mundum post istas calamitates non statim perituram esse, sed alias insuper adventuras esse: *Haec omnia*, ait, *initia sunt dolorum*, i. e. calamitatum quae alterum adventum meum praecedent: idem fere ac v. praec. *oportet haec fieri*, *sed nondum finis*, finis solummodo incipit (gall. *c'est le commencement de la fin*). *Dolorum*, in graeco est ὠδίνων, quod proprie sign. dolores mulieris *parturientis:* in Scriptura, praesertim ap. 70, saepe adhibetur pro acerbissima calamitate: hic autem, cum (secundum primam sententiam) luctuosum mundi fatum describatur, possumus in verbo illo sensum quemdam profundissimum detegere, nempe mundum novum ex veteris visceribus tunc nasciturum esse.

Signum 3m, v. 9 et 10. Bellum infensissimum ubique terrarum suscitatum adversus christianos (M. 10, 17-22), quorum multi a fide deficient. Ex M., Mc. et L. inter se comparatis novimus qualis futura sit ista vexatio: sex indicantur circumstantiae sequentes.

(1) *Auditurі enim* etc. M. *Enim* non quadrat: vera lectio est , *autem*.

a/ Tum Judaei, quum gentiles eam inferent : *tradent vos in conciliis et in synagogis* Mc., i. e. ad Judaica tribunalia trahent vos, *et ante praesides et reges stabitis*, i. e. coram judicibus ethnicis.

b/ Fiet in odium religionis christianae : *propter nomen meum.*

c/ Tam acris tamque maligna erit, ut ne filiis quidem parcituri sint parentes : L. *trademini a parentibus et fratribus, et cognatis et amicis ;* adeoque erit generalis, L. *eritis odio omnibus.*

d/ Supplicia omnis generis, et gravissima quidem, irrogabuntur: L. *injicient vobis manus, et persequentur, tradentes in synagogas* (*ad flagellandum* Mc.) *et custodias, imo vero morte afficient ex vobis.*

e/ Deus tamen aderit suis (L. *capillus de capite vestro non peribit*), eisque cum stabunt coram judice responsa suggeret sapientissima: Mc. *nolite praecogitare quid loquamini ; ego enim,* L., *dabo vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere adversarii vestri ; non enim,* addit Mc , *vos estis loquentes, sed Spiritus sanctus.*

f/ Tandem adeo vehemens et terribilis saeviet in omnes, ut multi sint *scandalizandi* (M.), i. e. fidem negaturi. *Scandalizari* est hic antitheton του *perseverare usque in finem* v. 13. Isti apostatae *odio habebunt* et persequentur *(tradent)* eos, etiam *cognatos* Mc. et L., qui fideles manserint : vicissim fideles repellent miseros istos seseque eis opponent (tradent *invicem*). Hoc autem ultimum de multis scandalizandis apte conjungitur cum signo 5° ubi agitur de tepore plerorumque.

Signum 4ᵐ, v. **11**. Falsi vates orientur, et frequentes quidem, qui multos in errorem impellent. Hoc signum a primo vix differt, et Mc. et L. nonnisi de primo loquuntur. Si tamen velimus illud habere ut signum distinctum (cum Beel.), vates istos cogitabimus tales qui adventum falsorum Christorum (de quibus v. 1) praedicturi sint ; vel potius intelligemus pravos doctores quosvis, falsae religionis praedicatores.

Signum 5ᵐ, v. **12** et **13**. *Charitas* multitudinis (των πολλων, flandr. *der velen, van het meerderen deel*) *refrigescet :* i. e. plerique christiani (plerique eorum, qui a fide non deficient) in teporem spiritualem cadent (charitas erga Deum refrigescet), et se invicem minus diligent (charitas erga proximum defervescet). — **13** *Qui autem perseveraverit*, sc. in fide, in professione fideli Christianae religionis : est antithesis versuum 10-12 : ergo, qui non sinet se *scandalizari*

(v. 10) vel *seduci* (v. 11), qui *charitate fervere* perget (v. 12) *usque in finem,* usque dum adveniat judex (si nobis accommodemus, usque ad mortem), *hic salvus erit.* Cf. supra M. 10, 22.

Signum 6m, v. 14. Mundus destruetur, postquam Evang. praedicatum fuerit in universo orbe (1), apud *omnes gentes* (non tantum in orbe Romano : M. 28, 19 *Euntes docete omnes gentes*) : *In testimonium omnibus gentibus,* ut omnes gentes habeant testimonium de vera religione, de me et doctrina mea ; adeo ut nulla possit excusari per ignorantiam. Nota fore ut omnes *gentes*, non omnes homines omnium gentium, ad fidem vocentur.

Sunt qui dubitent utrum rerum finis statim postea adventurus sit. Sic s. Aug. *Ep.* 197, n. 4, ap. M. : « Ante non veniet, ait ; quanto « post veniat, incertum nobis est. » Sed sensus obvius verborum *et tunc veniet consummatio* (το τελος *finis*) omnino est : *tunc,* quando evenerint illa omnia quae praedicuntur v. 5-14, aderit finis : non ait *postea* veniet, sed *tunc* veniet. Nota tamen istud *tunc* non restringendum esse ad ultimum signum v. 14 de Evangelio praedicato apud omnes gentes, sed referri ad omnia signa tradita. Jam vero, signa illa hujus sunt generis ut ex eis casus mundi diu antea praevideri haudquaquam possit ; imo tam generalia sunt (ultimo excepto) ut eorum impletio cogitari possit nonnisi post multa secula eventura, ut statim dicemus q. 609. Praeterea, non extra controversiam positum est de fine mundi hic sermonem fieri, quum multi pericopam ad cladem Jerosolymitanam referant, q. 701.

Sed juvat, occasione data, verbulum interponere de conjectura circa majorem minoremve propinquitatem ultimae cladis.

Q. 609. Quandonam mundus periturus sit nescimus : fieri potest ut praesens rerum conditio per plura seculorum millia adhuc persistat. Ultima mundi aetas, seu *senectus* generis humani, ab adventu Domini usque ad finem seculorum decurrit, ut docet s. Aug. *l. de 83 quaest.*, q. 58 : atqui, pergit ille, cum *senectus* in singulis hominibus ab anno 60 incipere dicatur, cumque humana vita ad 120 annos pervenire possit, interdum fit ut sola senectus tam longa sit quam omnes aetates priores simul sumptae. Igitur,

(1) Ante 30 vel 40 annos notabilis mundi pars manebat occlusa, sed nostris diebus per Africae centralis investigationem, et per politicam Japonis et Chinae aperturam, jam fere ubique gentium praedicatur Evang.

secundum mentem s. Aug., nihil impedit quominus admittamus, mundum tamdiu post Christum permansurum esse, quamdiu ante eum exstiterit. Alibi « Qui dicit, ait id. Aug. *Ep.* 199, n. 54 ap. « M., Dominum tardius esse venturum,... de tarditate ejus etiamsi « fallitur, feliciter fallitur... ; ipsi creditur tutius. » De cetero, dicemus cum eodem s. Doctore *Ep.* 197, 5, ap. M. : « Magis eligo « cautam ignorantiam confiteri, quam falsam scientiam profiteri. » Cf. Dissert. specialem, quam *define mundi* dedi in append. ad epist. 2ᵐ ad Thessal. (6ª ed. 1899 *Comm.* mei *in Epist. Paul.*).

2ª Sent. Signa cladis Jerosolymitanae.

S. Hil. (in *Comm.*, vide Knab.), s. Chrys. etc., pericopam intelligunt de excidio Jerosolymitano : huc spectat q. seq.

Q. 610. Paucis indica quomodo, secundum aliorum sententiam, haec pericopa **M. 24, 4-14** de evertendis Jerosolymis explicetur.

Signum 1ᵐ. Falsi Christi, qui contendebant se Messiam esse, et falsi prophetae, qui populum inanibus decipiebant promissionibus, eique suadebant ut Romanorum excuteret jugum, plures circa illud tempus orti sunt, aiunt (alii hoc negant) (1), inter quos duo Theudae (unus de quo Act. 5, 36, alter de quo Jos. *Ant.* 20, 5, 1), Simon Magus, et vir quidam Aegyptius, qui cum 4,000 virorum *sicariorum* (Act. 21, 38), imo teste Jos. *B. J.* 2, 13, 5 cum 30,000 virorum (ergo praeter *sicarios* erat turba multa) de deserto loco in montem Olivarum venit (cf. etiam Jos. *Ant.* 20, 8, 6, ubi paulo secus narratur illud factum), etc. Imo, quando Titus jam obsidebat urbem, multi falsi prophetae et Zelotae incolas excitabant ad coecam resistentiam per falsas triumphi praedictiones, eosque ad perditionem impellebant.

Signum 2ᵐ. Haud diu ante expeditionem Titi ortum est terribile illud bellum Judaicum contra Romanos, fuse descriptum a Flav. Josepho, quod totam Palaestinam devastavit, et in quo diversae factiones inter ipsos Judaeos incredibilem caedem causarunt. Haec erant bella et seditiones in ipsa Palaestina : quod autem attinet ad bella exteriora, quorum rumores Judaeos pertur-

(1) Isti affirmant ante eversionem urbis neminem surrexisse qui *se Christum esse* professus fuerit, id enim postea tantum factum fuisse. Sed quum Judaei exspectarent Messiam liberatorem politicum, omnes isti qui se tamquam vindices libertatis obtruserunt contra Romanos, potuerunt haberi ut *Messiae*.

babant (*opiniones praeliorum*), Jos. *Ant.* 18, 9, 6 refert bellum a quibusdam Judaeis gestum contra Parthos ; praeterea, in Syria et in Aegypto tumultus excitati fuerunt a Judaeis contra dominationem Romanorum. Bella porro longinqua citantur (*surget gens in gentem*), scil. Romanorum adversus Parthos (Tac. *Annal.* 12, 13 etc.), et Vitellii exercitum moventis contra Aretam (Jos. *Ant.* 18, 5, 3) ; adde turbas in imperio Romano post Neronis obitum etc.

Fames in Palaestina, de qua Act. 11, 28, coll. Jos. *Ant.* 3, 15, 3 et *Ant.* 20, 2, 6. Dum Jerusalem obsidebatur, horrenda fames et pestes in ea grassabantur, teste Jos.

Terrae motus paulo ante eversionem Hierosolymae in Asia-Minore memorat Tac. *Annal.* 14,27 et 5,22.

Varia etiam prodigia (*terrores de coelo et signa magna*, L.) urbis vastationem atque excidium praecesserunt, Jos. *B. J.* 6, 5, 3.

Signum 3^{m}. Ex Act. Ap. novimus christianos saepissime oppugnatos et vexatos fuisse, praesertim a *Judaeis*, in Palaestina tempore belli Judaici (1 Petr. 4,17), eosque coram tribunalibus fidem impavide confessos fuisse, adeo ut quidam martyres nomini Jesu testimonium reddiderint. Quod attinet persecutionem a *gentilibus* suscitatam, in memoriam revocamus Neronis persecutionem ante cladem Judaicam saeviisse. Tunc, ait Tac. *Ann.* 15, 44 christiani erant invisi et *convicti odio humani generis*, sed Tacitus ita loquitur ex calumnia ethnicorum ; nam christiani non odio habebant humanum genus, sed odio erant humano generi : *odio omnibus gentibus propter nomen Christi*. Tunc scandalizati fuerunt multi et invicem tradiderunt : non defuerunt apostatae fratrum proditores : Tac. *Ann.* 15, 44 : « Primo correpti, ait, qui fatebantur (se esse christianos), deinde *indicio eorum* multitudo ingens etc. » Jam antea falsos fratres fuisse constat ex 2 Cor. 7, 5 *intus timores* ; et ex 2 Cor. 11, 26 *periculum in falsis fratribus*.

Signum 4^{m}. Cf. quae dicta fuerunt de 1° signo. Sunt qui haec duo habeant tamquam unum idemque signum, adeo ut sint tantum 5 in toto.

Signum 5^{m}. Tunc etiam *refriguit charitas multorum*, nam interdum accidit ut pauci inventi sint qui confessores fidei ante judices defendere ausi fuerint ; sic s. Paulus 2 Tim. 4, 16 : *In prima mea defensione*, ait, *nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt*. Deinde

ex ep. s. Jacobi et ex ep. ad Hebr. discimus haud paucos christianos a fervore decidisse. — Verba *hic salvus erit* referuntur ad christianos qui confugerunt in Pellam, et salvi facti sunt, de quibus Eus. *H. E.* 3, 5.

Tandem, 6^m **signum** agnoscitur in eo quod ante expugnatam Hierosolymam fides apud omnes ferme populos terrae tunc cognitae praedicata jam fuisset : Col. 1, 23 *Praedicatum est* (Evangelium) *in universa creatura, quae sub coelo est.* Cf. Rom. 1, 8 ; 1 Thes. 1, 8 ; Col. 1, 6. Knab. putat verba Christi non restringi ad terram tunc cognitam, quia Christus, qui hic loquitur, alibi aperte dicit se velle ut Evang. praedicetur universo mundo, neque ullam gentem excipit : sic M. 28, 19 *Euntes docete omnes gentes.* Ideo censet auctor ille non agi de clade Jerosolymitana.

3^a Sent. De fine mundi et urbis simul.

Mald., Luc. Brug., Schegg, Bisp., Fillion etc. pericopam ad utrumque simul eventum referunt, propterea quod clades Jerosolymitana figura fuit ultimae catastrophes. Tunc, aiunt, inchoata fuerunt quae plene et perfecte, juxta omnem vim verborum, fient in consummatione seculorum : judicium in urbem et in populum Judaeum fuit praeludium judicii universalis in omnes gentes.

4^a Sent. Nulla signa, sed monitio.

Knab. autem contendit in v. 4-14 non dari signa prognostica, neque pro clade Jerosolymitana, neque pro fine mundi, adeoque Christum nondum respondere ad duo Apostolorum quaesita v. 3 ; sed monitum tradi cavendum esse a seductoribus, qui deinceps in mundo contra religionem christianam surrecturi sint per universa seculorum spatia. Hoc primum respondet Christus, ut discipuli ejus (et omnes christiani omnium temporum) caveant a fidei periculis ; quod majoris momenti est quam scire quandonam ventura sit clades urbis vel orbis, quodque omni tempore utile est et necessarium.

Epicrisis.

1^ae Sententiae obstat *ergo* v. 15 *Cum ergo videritis abominationem* etc., quasi sit conclusio ex praecedentibus. 2^ae Sententiae objicitur signa illa ante ruinam urbis non certo et plene evenisse, praesertim praedicationem Evangelii per universum mundum v. 14, et mag-

nam illam apostasiam v. 10-13, quae videtur respicere ad eamdem de quae 2 Thes. 2, 3, et quae fiet tempore Anti-Christi. Deinde bella et persecutiones v. 6 et 7 signa vere prognostica dici nequeunt, cum talia in omni seculo fiant. Quod autem attinet ad 3^{m} sent., duplex sensus, unus directus de ruina urbis, et alter indirectus per figuram, ambiguitatem infert verbis. 4^{ae} Tandem opponitur in fine pericopae a Christo dici : *Et tunc veniet finis*, tunc quando impleta fuerint quae modo praedixi : ergo in praecedentibus locutus erat de signis rerum prognosticis.

Conclusio.

1^{a} Sententia nobis videtur probabilior, et summus *ergo* tamquam particulam resumptivam, ut statim dicemus.

II. Praedictio cladis Jerosolymitanae : 24, 15-22.

Praeced. vide ante q. 608.

M. 24, 15. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat : 16 tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes : 17 et qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua : 18 et qui in agro, non revertatur tollere tunicam suam. 19 Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. 20 Orate autem ut non fiat fuga vestra in hieme, vel sabbato. 21 Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. 22 Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro : sed propter electos breviabuntur dies illi. 23 Tunc si quis etc. *Post q. 612.*

Mc. 13. 14. Cum autem videritis abominationem desolationis, stantem ibi non debet : qui legit, intelligat : tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montes : 15 et qui super tectum, ne descendat in domum, nec introëat ut tollat quid de domo sua : 16 et qui in agro erit, non revertatur retro tollere vestimentum suum. 17 Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. 18 Orate vero ut hieme non fiant. 19 Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae, quam condidit Deus, usque nunc, neque fient. 20 Et nisi breviasset Dominus dies, non fuisset salva omnis caro : sed propter electos, quos elegit, breviavit dies.

L. 21, 20. Cum autem videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus : 21 tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes : et qui in medio ejus, discedant : et qui in regionibus, non intrent in eam. 22 Quia dies ultionis hi sunt, ut impleantur omnia quae scripta sunt. 23 Vae autem praegnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. 24 Et cadent in ore gladii : et captivi ducentur in omnes Gentes : Jerusalem calcabitur a Gentibus : donec impleantur tempora nationum.

S. Chrys, *in M.* 24, 22 : « Nihil horum, ait, scripsit Joannes, ne « videretur ex eventu ipso haec scripsisse : nam ad multum ab « excidio Jerosolymitano tempus vitam produxit. »

In memoriam iterum revoco omnes singulasque Jesu praedictiones de evertenda Jerusalem supra q. 559 indicatas fuisse.

Hanc partem de exitioso urbis fato intelligendam esse, patet ex L., ut bene docet s. Aug. *ep. ad Hesych.*, ubi de fine seculi, ap. Migne ep. 199, n. 20. Idque confirmatur ex vaticinio Danielis quod Christus allegat, et ex verbis quibus fugere jubet ex Judaea. Tandem favet ipsemet rerum eventus. Ss. tamen Iren. et Hil. eam ad mundi casum referunt : quod eatenus tantum admitti potest, quatenus Hierosolymae clades ultimam rerum omnium perturbationem aptissime figuravit.

15. *Cum ergo videritis* etc. Istud *ergo* οὖν diverso modo explicatur secundum diversas sententias de pericopa praecedente. Qui hanc referunt ad excidium Jerusalem, sensum consuetum conclusionis tenent. Alii autem qui eamdem sumunt de fine mundi, vel qui eam habent tamquam monitionem, dicunt οὖν esse particulam *resumptivam*, qua redit Salvator ad quaestionem v. 3 propositam, ejusque primam partem incipit nunc tractare : *Quandonam haec erunt ?* nempe lapidem non reliquendum super lapidem.

Q. 611. 1° Interpretare Christi verba *Cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto : tunc qui in Judaea sunt, fugiant in montes.* Praesertim explica quid intelligas per *abominationem desolationis,* quae ante eversam Jerusalem accidet. 2° Quo tunc fugerunt discipuli ut Domino obtemperarent ? 3° Quomodo significatur fugam *celerrimam* capescendam fore, 4° et infelices futuros esse eos quorum fuga foret impedita ?

R. ad 1m. **Abominatio desolationis**, i e., per hebraismum, abominatio quae desolat, quae causa erit desolationis, fl. *de verwoestende gruwel* (1), ea nempe abominatio, ut addit Christus, quae *a Daniele 9, 27 dicta fuerat* (2).

(1) Ita Beelen : cui interpretationi favet sensus quem probabiliter habent illa verba apud Danielem. Bisping vero sic intelligit : *desolatio abominabilis, die gräuliche Verwüstung.*

(2) Verba *quae dicta est a Daniele Propheta* omissa fuerunt a s. Marco, forsitan ideo quod ipse non scriberet pro Judaeis sicut M., et proinde hunc specialem finem non haberet, quem M. persequitur, sc. ostendere Jesum esse Messiam a Judaeis exspectatum, atque adeo oracula Prophetarum V. T. in ipso eventu confirmata fuisse.

Danielis prophetia.

Bisp. opinatur Danielem ibi locutum fuisse de profanatione ab Antiocho Epiphane facta, quando altare Jovi Olympio in Templo erexit, 1 Mach. 1,57. Sed Christus omnino affirmat apud Danielem haberi praedictionem de profanatione et destructione Templi sub Tito ; et Fl. Jos. etiam retulit ad hanc cladem verba illa Dan., ut ostendit Knab.

Daniel autem in illo loco, postquam nuntiavit fore ut a decreto pro restitutione (completa) urbis Jerusalem usque ad Messiam 69 hebdomades annorum, i. e. 483 anni, effluerent, addit : *In dimidio hebdomadis* sequentis seu 70ae *deficiet hostia et sacrificium*, i. e. per mortem Christi finem habebit vetus Test., cultusque Mosaicus abolebitur (*virtualiter*, de jure) ; *et*, pergit Daniel, *erit* (aliquamdiu postea) *in templo abominatio desolationis* ([1]), i. e. in templo erit abominatio, templum profanabitur, et ideo fiet desolatio seu vastatio ; *et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.* Ita Vulg.

Verba autem **hebraea** sunt valde obscura. Sensus probabilior est: *Et super alam* (כָּנָף, extremum fastigium, πτερυγιον M. 4, 5 : pars pro toto, ergo super Templum) *abominationis* seu profanationis (שִׁקּוּצִים pro sing.) *vastatae* (super Templum profanatum, et ideo vastatum), *et* quidem *usque ad consummationem*, *et* hanc *praecisam* seu definitam (usque ad plenam consummationem), *sese effundet* supple ira Dei, vel exitium, *super vastatum*, super templum dirutum.

Desolatio autem, quae sequetur istam templi profanationem, eadem videtur de qua Daniel in versu praecedente, sc. 26, locutus fuerat, his verbis : *Civitatem et sanctuarium dissipabit populus* (Romanus) *cum duce venturo* (Tito), *et finis ejus* i. e. finis civitatis et sanctuarii, vel finis populi illius, i. e. finis quem populus ille Romanus efficiet, erit *vastitas*, *et* (nimirum) *post finem belli statuta desolatio* fiet.

Sensus igitur probabilior est : *cum videritis abominationem desolationis stantem in loco sancto,* i. e. cum videritis in Templo fieri

(1) Dictio *abominatio desolationis* bis praeterea reperitur apud Danielem, nempe 11, 31 et 12, 11; videtur autem ibi intelligenda de alia profanatione, sc. de ea quae accidit diu ante, sub Antiocho Epiphane, de qua 1 Machab. 1,57.

illam *abominationem* seu scelestissimam *loci sancti* profanationem, propter quam brevi sequetur *desolatio* et eversio templi urbisque a Romanis efficienda : *qui legit intelligat* : *tunc qui in Judaea sunt fugiant* etc. Nota Templum ante obsidionem urbis frequenter profanatum fuisse per caedes crudelissimas a variis factionibus sibi invicem infensissimis, praesertim a Zelotis, fere quotidie commissas : cf. Jos. *Bell. Jud.* 4, 5, 1 ; 5, 1, 2 et 3. Ibi narratur Zelotas et Idumaeos templum vi et armis occupasse, caedesque quotidianas in eo commisisse.

Qui legit intelligat : s. Chrys. opinatur id adjectum fuisse a Christo : in hoc supposito dicendum esset Christum voluisse attentionem stimulare post sententiam graviorem, sicut saepe fecit : *Qui habet aures audiat ! Qui potest capere capiat !* Mens ejus fuisset auditores suas excitare ad bene attentenda et recte intelligenda verba Danielis. Verum obstat Mc. 13, 14, ubi desunt verba *Quae dicta est a Daniele propheta*, unde sequitur istud *qui legit intelligat* referri ad ea quae dixit Christus : proinde hoc additum fuit ab Evangelista ut lectores suos moneret bene attendendum esse ad ea quae dixit Christus de fuga tempestive capescenda. Nota hanc monitionem utiliter factam fuisse quum Matthaeus scripserit ante cladem.

Sunt qui verba Christi ita explicent : *cum videritis desolationem* (vastationem) *abominabilem* (maximam) *stantem in loco sancto*, i. e. existentem in Terra Sancta, vel (Beel.) in vicinia Hierosolymae ; aliis verbis, cum videritis terribilissimam illam vastationem, quam Romani, ducibus Vespasiano et Tito, progredientes contra Hierosolymam, vel ipsam urbis obsidionem jam inchoantes, quocumque inferent : *tunc qui in Judaea sunt, fugiant* etc. Sed per *locum sanctum* omnino intelligendum est *Templum*, ut patet ex Daniele, quamvis apud M. non ad sit articulus εν τοπῳ ἁγιῳ.

E verbo *stantem* concludere non oportet (ut quidam fecerunt) hic significari vexilla Romana inter turmas exercitus urbem obsidentis (Beel.) vel in loco sancto defixa ; namque *stantem* dicitur per prosopopoeiam pro simpliciter *existentem :* cum videritis abominationem desolationis *esse* in loco sancto : sicut Vulgata in Daniele dicit *erit in templo.* Deinde, quando Romani urbe capta vexilla sua in Templo statuerunt, certe tardius erat ut cives christiani fugerent

in montes periculumque evaderent. S. Chrys. per *abominationem desolationis* intelligit statuam Titi (statuam *ejus qui urbem cepit*, non, ut editores Bened., *qui orbem ceperat*), quam dicit in ruinis Templi erectam (Josephus tamen, qui Templum eversum accurate describit, de ista statua non loquitur) ; s. Hier. intelligit statuam Hadriani in templo collocatam : sed haec non quadrant cum *tunc fugiant in montes*, nam clades erat jam consummata, nec de fuga sermo fieri potest.

De cetero, explicatio nostra verborum Danielis *abominatio desolationis in templo* videtur omnino suaderi per L. in loco parall. 21, 20 : *Cum videritis circumdari ab exercitu Jerusalem, tunc scitote quia appropinquavit desolatio ejus ; tunc qui in Judaea sunt, fugiant ad montes.* Verba *cum videritis circumdari* hoc sensu intelligenda sunt : cum videritis exercitum *appropinquantem* ad urbem, et *incipientem* eam circumdare ; nam fuga non erat amplius possibilis quando urbs erat semel tota circumdata.

R. ad 2m v. **16** *Qui in Judaea sunt*, puta in Judaea stricte dicta, Hierosolymis et in regione circumjacente, *fugiant ad montes*, ubi amplae sunt speluncae et latebrae multae, in quibus olim quoque, cum hostes irruerent, latebant Israelitae : Jud. 6,12 ; 1 Reg. 13,6 ; 22,1. Christus vult dicere : nulla vobis spes salutis erit, nisi in fuga, et celerrima quidem, ut ait v. seq. Haec autem monitio felici effectu haud caruit : narrat enim Eus. *Hist.* 3, 5 christianos Jerosolymitanos Pellam, ultra Jordanem, in Decapoli, opportuno tempore se recepisse (cf. s. Epiph. *Haer.* 29, 7). Ibi probabiliter quosdam Jesu discipulos invenerunt, quum in Peraea praedicatio Joannis B. bene accepta fuisset, et in eadem regione Jesus etiam ministerium suum exercuisset, praesertim in ultimo itinere ad Jerusalem.

R. ad 3m. **Fugam celerrimam** tunc ineundam esse, Jesus significat per duos casus, quos excogitat, quosque in exemplum proponit.

1° v. **17**. Si quis sit in tecto, cum audit advenire Romanorum exercitum, domum non ingrediatur ut aliquid tollat pro itinere. Aliqui rem ita concipiunt : ne ullum deperdatur tempus, fugaque impediatur, de tecto descendat per scalam exteriorem, vel de uno tecto plano in aliud prosiliat usquedum ad muros urbis perveniat.

Scalas exteriores fuisse colligitur ex Mc. 2, 4, ubi paralyticus per tectum deponitur coram Jesu. Loricae, quae tecta circumdabant, non tam altae erant ut impedirent fugam de uno tecto in aliud. Sermo est proverbialis.

2ˢ Casus adhuc gravior est, v. **18**. Si quis sit in agro laborans, cum rumor de hostibus spargitur, *non revertatur tollere tunicam suam* μη επιστρεψατω οπισω, *non se vertat retro* ad vestes, quas in agro deposuerat, tollendas ; non agitur de reditu ex agro in domum, sed major celeritas indicatur, ut ne tantillum morae permittatur. Loco *tunicam suam* est τα ιματια i. e. vestes superiores (pallium et tunicam exteriorem), quas agricolae deponere solebant quando in agro laborabant : in Palaestina enim, quae regio valde calida est, mos erat (et adhuc est) ut tunc unica tantum vestis, eaque interior et brevis (*chemise ou caleçon*), portaretur (cf. q. 1003 sq.).

Igitur Christus monet eos ut fugam celerrime capiant, et res terrenas dimittant quaslibet, si vitam salvam habere velint.

R. ad 4ᵐ. Triplicem distinguit causam, propter quam fuga cogitari possit impedienda :

1° *Vae*, ait v. **19**, *praegnantibus et nutrientibus*, quia onus quod gestant cursum earum retardabit.

2° V. **20**. *Orate ut non fiat fuga vestra in hieme*, quando dies sunt breviores et viae sunt valde difficiles propter frequentes pluvias, et torrentes inde exortos in regione montana, qualis est Palaestina. Deinde « Duritia frigoris, ait s. Hier., prohibet ad solitudines « pergere, aut in montibus desertisque latitare. »

3° Neque fuga vestra fiat in *sabbato*, quo die magnum iter facere non licet secundum legem Mosaicam (cf. Act. 1, 12, in 5ª edit. nostri *Comm.*), vel saltem scrupuli religiosi fugientes cohiberent. Christi mens non est asserere in illo casu requiem sabbati custodiendam esse ; sed loquitur de iis qui hoc reipsa facerent, qui putarent se ad requiem adstrictos esse, et proinde fugam capescere non auderent.

Calamitas major illa, quam Judaei sub Tito perpessi sunt, non accidit umquam.

Quaest. 612.

21. ERIT ENIM TUNC etc. : *enim* reddit rationem quare orare

debeant ut talia non dentur obstacula : nam agitur de clade maxima fugienda. TRIBULATIO QUALIS NON FUIT AB INITIO MUNDI USQUE MODO, NE QUEFIET. Ex narratione Fl. Josephi, historici ejusdem aetatis et Judaei (non christiani, adeoque non suspecti, ut animadvertit s. Chrys.), in opere *De bello Jud.* l. 5. et 6, colligimus, numquam, apud ullam terrarum gentem, accidisse calamitatem tantam, quantam populus Judaicus sub Tito, anno 70, perpessus fuerit. « Ne quis, ait s. Chrys., putet id hyperbolice dictum esse ; « sed legat Josephi libros, et discat rei veritatem... Quid igitur « narrat ille ? Calamitates illas tragoediam omnem superasse « etc. »

Addit L. in loco parall. 21, 24 *Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in omnes gentes.* Et re quidem vera, in toto bello decies et ter centena millia (1.300,000) hominum perierunt gladio, peste et fame ; praeterea venditi sunt in servitutem nonaginta septem millia Judaeorum. In ipsa urbis obsidione ceciderunt 1,100,000, ait Jos. (1) *B. J.* 6, 9, 3. Civitas tota funditus destructa templumque combustum est. Inter alia refert Jos. *B. J.* 5, 11, 1 Judaeos, fame compulsos ex urbe obsessa turmatim egredientes, ut cibos quaererent, *quingentos* et amplius jussu Titi *quotidie* cruci affixos fuisse ; adeo quidem ut « locus crucibus deesset, et corporibus cruces ! » In memoriam etiam revocamus, matrem, fame urgente, proprio filio non parcentem, ejus carnes devorasse : *B. J.* 6, 3, 4.

---

(1) **Fl. Josephus numeros auxisse videtur.** Secundum Jos. numerus obsessorum fuit saltem 1,200,000 : nam praeter illos 1,100,000 qui perierunt, alii 40,000 libertate donati sunt (*B. J.* 6, 8, 2), et multi in servos venditi fuerunt (in toto bello venditi 97,000) : Tacitus vero *Hist.* 5, 13 ait : « Multitudinem obsessorum, omnis aetatis, virile ac muliebre secus (sexus), sexcenta millia fuisse accepimus » : ergo multo pauciores quam scribit Josephus. Contendit autem Smith *Dict.*, a. *Jerus.* VI, et demonstrare conatur, vix adesse potuisse 60,000 vel 70,000.

Idem auctor omnino negat, et puerile dicit, id quod narrat Josephus *B. J.* 6, 9, 3 de computatis agnis, qui quodam Paschate sub Cestio immolati fuerant, quosque affirmat fuisse 256,500 : quum autem agnus Paschalis a contubernio 10 saltem virorum manducari deberet (pauciores numquam erant, multi etiam viceni conveniebant, ait), concludendum esset tunc in urbe fuisse ad minus 2,565,000 *virorum*, nulla legali impuritate a manducando Paschate impeditorum : adeo ut, hoc admisso, adfuissent circiter 3,000,000 *virorum* praeter mulieres et pueros (secundum Josephum viri soli agnum manducabant, et revera Karaitae excludebant feminas et pueros : cf *Winer *Rwb.*, a. *Pascha*). Smith autem supra cit. computat spatium urbis non sufficiens fuisse centum millibus. Quamquam certe dicere possumus, multos in tentoriis extra urbem mansisse (ut Mahometani ad Mekkam peregrinantes facere solent), ibique coenam Paschalem celebrasse, omnino tamen admittendum putem Josephum ultra veri limites numeros ampliasse. Illudque ipsum firmissimis argumentis comprobat De Saulcy, *Les dern. iours de Jér.* 1866, p. 419. Tacito, qui modestior est, nulla certe fuit ratio minuendi veritatem ; contra, ut et major et illustrior videretur Romanorum victoria, supremum rei terminum profecto attigit, si non excessit. Aestimatio ejus ideo probabilior est quod post obsidionem 15 dierum Judaei repulsi fuerint retro 2^m^ et 1^m^ murum.

Q. 612bis. Non major calamitas in Diluvio.

QUALIS NON FUIT : sed an major non fuit in diluvio ? Non putem, quia verba sunt generalia. Tunc quidem submersa fuit universa terra, nempe *habitata* ab hominibus (cf. q. 621) (1), non totus terrarum globus : sed quis statuet numerum incolarum eo jam tempore majorem fuisse, quam numerum Judaeorum qui perierunt, tum in obsidione quum in toto bello Judaico ? Adde illos qui in servitutem venditi sunt, et quorum sors forte pejor fuit quam occisorum.

Q. 612ter. An major in fine mundi ?

NEQUE FIET : sed an catastrophe finalis major non erit ? — Utique major erit ; verum dici potest hanc ultimam in priore includi, sicut rem figuratam in figura, quatenus judicium universale typice praefiguratur per judicium terribilissimum contra urbem scelestam.

Imo. plures docent v. 21 et 22 jam directe respicere ad finem mundi (de quo certe agitur in pericopa seq. v. 23 sq.), quum putent ad cladem urbis non bene referri quod dicitur de *diebus breviatis propter electos ;* namque, aiunt, christiani initio belli sese receperunt in Peraeam et obsidio urbis regularem cursum secuta est usque ad extremam expugnationem. At vero, ut infra dicemus v. 22, plerique auctores non admittunt hanc ultimam opinionem, et censent dies reipsa breviatos fuisse.

Utut haec se habeant, clades fuit et esse debuit maxima, quia **scelus majus** (deicidium) commissum **non fuit umquam ;** ut docet s. Chrys. : « His, ait, malis nec prius nec posterius paria « visa fuere. Et jure quidem. Neque enim quivis hominum, vel « antea vel postea, tam iniquum, tam horrendum scelus admittere « ausus est. »

---

(1) Il y a des savants qui pensent qu'on peut entendre par *universam terram* la contrée habitée par les seuls descendants de Seth, qui s'étaient établis dans une partie de l'Asie. Moïse, d'après ces auteurs, écrivant pour le peuple Hébreu, trace l'histoire de ce peuple et de ses ancêtres : ils croient donc que son récit ne doit pas nécessairement se rapporter aux autres races, p. ex. aux descendants de Caïn, qui se seraient réfugiés sur les montagnes de l'Afrique, et se seraient lentement transformés en nègres. Cette opinion s'appuie sur l'autorité de Fr. Le Normant, De Quatrefages, Omalius d'Halloy etc., qui prétendent que pour expliquer l'origine de la race noire, il faut plus de siècles qu'il ne s'en est écoulés depuis Noë.

Opinio haec **nova** valde audax est, et recedit a regula primaria verba Scripturae sensu obvio sumenda esse, nisi quid obstet in contrarium. An recentes investigationes scientiae ethnographicae et geologicae reipsa hic obstent, judicent doctiores. Ceterum, opinio illa dici non debet *haeretica*, quamdiu Sancta Sedes eam non damnavit.

22. NISI BREVIATI FUISSENT etc. Secundum sententiam communem, quae haec ad excidium urbis refert, sequenti modo explicantur verba Christi. Nisi divina Providentia rem ita ordinasset, ut bellum minus diu protraheretur, quam, inspectis omnibus temporis locique adjunctis, fieri facile potuisset, nullus fere Judaeorum mortem evasisset (ita s. Chrys. ad ment.). SED DIES ILLI BREVIABUNTUR PROPTER ELECTOS, i. e. in gratiam christianorum, tum eorum qui in urbe conclusi erant (s. Chrys.), tum etiam aliorum qui ne ultra Jordanem quidem tuti fuissent. *Electi* vocantur illi Judaei, qui se converterant ad fidem, atque adeo ad gratiam sanctificantem *electi* fuerant.

Breviatum fuit tempus obsidionis, imprimis per discordias acerrimas inter incolas, et per caedes innumeras quas factiones Zelotarum in urbe jam obsessa perpetrarunt. Hoc tam verum est ut aperte testetur Jos. *B. J.* 6, 9, 1 Titum ingredientem in urbem attonitum fuisse ob magnitudinem et firmitudinem munimentorum, et speciali Dei interventui adscripsisse urbem ita munitam a se expugnari potuisse.

III. Jesus (iterum ut nobis videtur) praedicit alterum suum adventum et mundi casum : 24, 23-41.

Hanc pericopam dividemus in plures particulas a, b, c etc.

A. FALSI CHRISTI.

Praeced. vide ante q. 611.

M. 24, 23. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. 24 Surgent enim pseudochristi et pseudoprophetae: et dabunt signa magna, et prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi. 25 Ecce praedixi vobis. 26 Si ergo dixerint etc.

Mc. 13, 21. Et tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, ecce illic, ne credideritis. 22 Exurgent enim pseudochristi, et pseudoprophetae, et dabunt signa et portenta ad seducendos, si fieri potest, etiam electos. 23 Vos ergo videte: ecce praedixi vobis omnia.

Praemoneo apud L. 17, 20-37 multa a Christo dici plane similia his quae hic apud M. legantur : nolui autem ea recitare, quoniam vere parallela non sunt, neque eodem tempore prolata. Valde tamen utile erit ista sedulo conferre.

Secundum sententiam, quam ut verisimiliorem amplectimur, Christus, qui v. 15-22 (vel saltem v. 15-21) de solo Hierosolymae excidio locutus est, ad praedictionem de extremis rerum fatis, de quibus probabilius jam egit in 1ª pericopa, v. 4-14, nunc revertitur v. **23**, ut plerique admittunt. Sic s. Hier. notat haec de interitu et consummatione mundi melius intelligi. Idque adhuc firmius tenet s. Chrys. : « Impleta, ait, de Jerosolymis narratione, ad suum « adventum postea pergit, signaque ipsis narrat, non solum ipsis, « sed etiam nobis et post nos futuris utilia. » Concinunt Mald., Bisp., Fill., Beel., Knab., etc.

23. Tunc, non sign. eodem tempore quo fient quae statim praedicta fuerant de clade Jerosolymitana : « Non haec statim sequi « indicat, ait s. Chrys., sed quo tempore illa quae dicturus erat « futura essent... Sic M. 3, 1 *In diebus illis* ait, et tamen spatium « 30 annorum interfuit. Sed mos est Scripturae illo uti enarrandae « historiae modo. » Ergo *tunc* totum designat tempus quod a casu Hierosolymae usque ad finem mundi decurret. Et re quidem vera, per omnes christianae religionis aetates erunt *pseudochristi* (v. **24**), verae fidei adversarii ; tales sunt v. g. nostris diebus rationalistae, pantheistae, materialistae seu positivistae, haeretici etc. Sed ultima generis humani tempora (s. Chrys.) praesertim indicantur ; tunc adimplebuntur in tota verborum vi quae hic praedicit Christus, tunc enim plures et potentiores orientur falsi doctores (Antichristus ejusque ministri, s. Chrys.), tunc praesertim erunt qui *dabunt signa magna et prodigia* : cf. 2 Thes. 2, 9.

25. Praedixi : praeteritum pro praesente *praedico ;* quod ita explicari debet : Jesus sistit se in eo tempore quo fideles verba ejus in memoriam sibi revocabunt.

B. Ubique manifestus erit veri Christi adventus.

M. 24, 26. Si ergo dixerint vobis : Ecce in deserto est, nolite exire : Ecce in penetralibus, nolite credere. 27 Sicut enim fulgur exit ab Oriente, et paret usque in Occidentem : ita erit et adventus Filii hominis. 28 Ubicumque fuerit corpus, illic congregabuntur et aquilae. 29 Statim etc.

26. *In deserto... in penetralibus* : duo nominat contraria : loca inhabitata et loca habitationis consueta (conclavia domorum), ut significet ei non credendum undecumque veniat.

Q. 613. Ad v. **27**. 1° Quo sensu Christus alterum suum adventum cum *fulgure* comparat? 2° Quid significant verba quae statim addit v. **28** : *Ubicumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae ?*

R. ad 1m. Hoc sensu, adventum illum manifestissimum fore, adeo ut credendum non sit ei qui dicat : Messias latet *in deserto* vel *in penetralibus* alicujus domus ; nam sicut fulgur coelum *ab oriente usque in occidentem* collustrat universum, et absque nuntio aut praecone, ait s. Chrys., etiam iis qui domi sedent et in thalamis, spectandum se offert: ita adventus Christi omnium oculos perstringet. Aliis verbis, omnes, etiam inviti, eum videbunt splendide venientem in nubibus, sicut fulgur conspiciunt omnes.

R. ad 2m. Valde obscurus est versus **28,** eo vel magis quod Lucas 17, 37 eumdum repetens, aliam tradat orationis et ratiocinationis seriem ; inde variae sunt interpretum sententiae, ut nunc dicemus.

Locus satis obscurus.

Praemittendae sunt quaedam observationes :

1° *Corpus* poni pro *cadavere*, ut certo constat ex graeco πτωμα, a radice πτω, idem ac πιπτω, *cado ;* sicut *cadaver* a *cadere ;*

2° *Aquilas* proprie dictas carne morticina non vesci, nisi magna urgeantur fame, ut testantur nostra aetate rerum naturalium investigatores (cf. Dupiney de Vorepierre, *Dict.*), atque ideo multi intelligunt hic *vultures percnopteros* (ita vocatos quod eorum alae nigris distinctae sint maculis, περκνος et πτερον ; germ. *Aasgeier*) : isti enim haud parvam cum aquilis similitudinem habent.

3° Jesus autem tacite respicere videtur ad Job. 39, 30 *Ubicumque cadaver fuerit, statim adest aquila*, apud 70, γυψ, *vultur*. Notat Gesen. *Lex.* נֶשֶׁר, quod legitur ibi ap. Job, proprie significare *aquilam,* sed passim etiam, sicut αετος, γυπαετος, *vulturum* species comprehendere, spec. iis in locis quibus נֶשֶׁר dicitur *calvus esse* Mich. 1, 16, et *cadaveribus vesci* Job 39, 30 ; Prov. 30, 17.

Sensus probabilior.

Jam vero cum Beelen locum M. sequenti modo explicamus : **proverbium** est, quo idem ac v. praeced. asseritur, alterum Christi

adventum in fine seculorum nemini fore ignotum ; quasi dicat Salvator : Quemadmodum non oportet aquilae seu potius vulturibus ostendere ubi sit corpus i. e. cadaver (fl. *het aas*), nam sicubi est, ipsos latere non potest, sponte, et illico, et certo ab ipsis detegitur: ita tempore illo nemini nuntiare oportebit ubinam ego sim, 1. e. neminem latebit alter meus adventus ; et specialiter fideles quam celerrime eum percipient, ictuque rapidissimo ad me convolabunt.

Admisso semel (quod sane admittendum omnino videtur) locutionem esse proverbialem, nullo modo opus est, imo ne licet quidem dicere Christum hic comparari cum *cadavere :* oportet sensum tantum similitudinis inspicere, hunc nempe : Christus, quando ad judicium veniet, certo et cito agnoscetur, et justi ad eum laeti ferentur, quemadmodum aves praedam suam sponte agnoscunt et ad eam alacres volant.

Fere concinit Mald. : « Significat omnes homines ad locum, ubi « ipse fuerit, ut judicentur, convolaturos esse, sicut aquilae ad « cadavera convolare solent ; itaque, velint nolint, illum vide- « bunt. » Quod dicit Mald. de *omnibus hominibus*, s. Chrys. specialiter intelligit de *justis*, nempe de coetu angelorum, martyrum et sanctorum omnium : cf. 1 Thess. 4, 16 *Rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.*

Ut jam insinuavi, multi interpretes, non satis animadvertentes locutionem esse *proverbialem*, his explicationibus objiciunt, vix probabile esse Christum, in nubibus coeli gloriosissime advenientem, comparari cum *cadavere,* et fideles ejus discipulos cum aquilis seu potius cum *vulturibus*. Ideo per *aquilas* intelligunt Romanorum exercitum, in cujus vexillis, ut notum est, erat figura aquilae, et per *cadaver* gentem Judaeam : sed interpretationi huic merito opponitur, in hac pericopa de mundi interitu, non de eversione Jerusalem, sermonem fieri.

Bisping ita : Christus, non in uno loco, sed ubique, ut judicem severum sese ostendet: ubicumque fuerit aliquid corrupti *(cadaver)*, ubicumque fuerint mali homines, illuc congregabuntur Angeli *(aquilae)*, qui eos ad tribunal Christi adducent. Vix differt sensus eorum qui dictum illud generaliore modo sumant: sicubi sit cadaver, id vultures inveniunt ; pariter ubicumque erit aliquid judicio (condemnatione) dignum, ibi apparebit Messias judex ad puniendum : germ. *Wo irgend die Schuldigen, da das Strafgericht.*

C. Signa proxima pereuntis mundi.

M. 24, 29. Statim autem post tribulationem dierum illorum, sol obscurabitur, et luna non dabit lumen suum, et stellae cadent de coelo, et virtutes coelorum commovebuntur : 30 et tunc etc.

Mc. 14, 24. Sed in illis diebus, post tribulationem illam, sol contenebrabitur, et luna non dabit splendorem suum : 25 et stellae coeli erunt decidentes, et virtutes, quae in coelis sunt, movebuntur.

L. 21. 25. Et erunt signa in sole, et luna, et stellis, et in terris pressura Gentium prae confusione sonitus maris, et fluctuum, 26 arescentibus hominibus prae timore, et expectatione, quae supervenient universo orbi: nam virtutes coelorum movebuntur:

29. *Statim post tribulationem dierum illorum,* puta dierum Anti-Christi, de cujus bello calamitoso christianis inferendo locutus est v. 23-28. Quamdiu illae tribulationes per Anti-Christum ejusque praedecessores inferendae duraturae sint, non determinatur: hoc solum discimus statim post istas adventura esse signa mundi perituri proxima, sc. *sol obscurabitur* etc.

Minus approbo sententiam Bisp. : statim post Jerusalem deletam, de qua v. 15-22 ; nam admittere nequeo Christum asseruisse mundum *statim* post cladem Judaicam periturum esse, eo vel magis quod L. 21, 24 magnum innuat temporum intervallum : *Jerusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum.* Multo magis improbo quod dicunt quidam recentiores, s. Matthaeum opinione vulgari, quae aevo apostolico sparsa erat, deceptum, hic et cap. 16, 28 non omnino accurate retulisse verba Christi. Id enim cum *theopneustia* seu divino afflatu qua ratione concilietur non invenio.

Q. 614. 1° Quaenam signa alterum Christi adventum *proxime* praecedent ? 2° Eadem explica, secundum varias interpretum sententias.

R. ad 1m. Tria signa praecedent : 1° *sol et luna obscurabuntur*, 2° *stellae cadent de coelo*, et 3° *virtutes coelorum commovebuntur*. Ex illa autem perturbatione sequetur, teste L. 21, 25, *in terris pressura* (anxietas) *gentium, prae confusione sonitus maris et fluctuum*, prae confusione quam excitabit vehementissimus maris fluctuumque fragor, exortis forte terrae motu et tempestate ; imo tantus erit hominum terror, ut futuri sint exanimes (*arescent* Vulg.) *prae timore et exspectatione* eorum *quae supervenient universo orbi.*

R. ad 2m. Tres sunt praecipuae auctorum sententiae :

1a Explicatio. S. Aug. *ep.* 199, n. 39, ap. Migne, per *solem* intelligit Christum, et per *lunam* Ecclesiam : *obscurabuntur*, quia

propter acerrimum bellum eis illatum, fidei lumen coram hominibus minus splendescet ; *stellae cadentes* sunt viri sancti qui a fide deficient (1); *virtutes coelorum*, christiani firmissimi qui turbabuntur. Haec autem interpretatio sensum literalem et obvium absque sufficiente ratione omnino derelinquit.

2ª **Explicatio** tenet, per varias imagines verborumque translationes, sc. per solis lunaeque obscurationem etc., nihil aliud significari quam generalem rerum omnium perturbationem, qua interitus mundi et nuntiabitur, et praeparabitur, imo et fieri incipiet. Cf. annot. nostr. ad Act. Ap. 2, 20 (5ª ed.). Secundum hanc sententiam, non oporteret verba ista singillatim et ad literam accipere.

3ª **Explicatio**, quae **longe probabilior** est, verba sensu proprio et stricto sumit omnia : sol, et proinde etiam luna, quae a sole illustratur, lumen suum perdent, non hoc sensu (ss. Chrys. et Hier.) quod lumine et fulgore Christi advenientis eorum lumen superabitur, sicut oriente sole evanescunt stellae : nam solummodo *post* obscurationem eorum parebit signum Filii hominis, ergo obscuratio erit praevia. Quomodo haec fiet ? An ipse sol suo splendore privabitur ? An per interjectas materias, puta per densissimam conglobationem aërolithorum aut asteroidum ? cf. q. 615 : incertum plane est.

Stellae (scil. planetae, ut distinguantur ab iis stellis quae designantur per *virtutes coelorum) cadent de coelo ; virtutes coelorum commovebuntur* puta e loco suo, i. e. universum siderum (fixorum) agmen perturbabitur. Ergo stellae coelorum omnes, tum planetae, quum sidera fixa, *cadent*, loco movebuntur ; quae quidem perturbatio conducet ad id quod s. Petrus dicit 2 Epist. 3, 12 : *coeli ardentes solventur*, ut postea instaurentur in *novos coelos et novam terram*.

Sunt qui per *virtutes coelorum* Angelorum agmen intelligant ; sed hoc minus probabile est, quum de *mundi aspectabilis* eversione hic agatur.

Alii (Bisp.) dictionem illam *virtutes coelorum* sensu latissimo

(1) S. Aug., *De civ. Dei* XX, 24, praeter tropicum sensum, etiam hunc proponit : stellas illas cadentes tales esse quae facem ducere dicuntur (*des étoiles filantes*).

sumunt, pro illis potentiis quae in centro hujus universi existunt, quae totum rerum creatarum systema regunt ac sustinent (germ. *die Central-Kräften, um welche und nach welche der ganze Weltbau sich bewegt)*. Ergo idem fere esset quod Job 22, 14 alia metaphora *coeli cardines* vocat : ita Mald. S. Lucas, quum istud *virtutes coeli movebuntur* plane distinguat a stellarum omnium casu, valde favet huic interpretationi. Verum, mori loquendi in Scriptura solemni magis congruit, ut per *virtutes coelorum* intelligamus (cum Beel.) exercitum coelorum, צְבָא הַשָּׁמַיִם i. e. stellarum agmen : ita saepe in s. Scriptura *militia coelorum* pro *stellae* Is. 34, 4; 4 Reg. 17, 16; Jer. 8, 2); pariter *Deus Sabaoth, Deus virtutum :* cf. ann. nostr. in Ps. 23, 10.

Explicatio 3ª ea est a qua non recedendum esse arbitramur : ad pleniorem autem ejus expositionem quaedam addemus per modum parvae digressionis.

Q. 615. Stellae cadent de coelo.

a. Sed non super terram.

Imprimis notandum est, prorsus rejiciendam esse, ut demonstravit P. De Bonniot, in *Etudes relig.*, Oct. et Déc. 1879, opinionem illam, quae Scripturae quandoque falso obtrusa fuit, stellas reipsa casuras **super terram :** haec enim affirmatio vere absurda esset, quum terra vix arenula sit si cum mole stellarum fixarum comparetur. Nusquam in Scriptura hoc asseritur.

Et re quidem vera, Christus dicit *stellae cadent de coelo*, sed non ait cadent *super terram*. Neque hoc significat Apoc. 12, 4 *Cauda* (draconis) *trahebat tertiam partem stellarum coeli, et misit eas in terram :* namque sensu translato de magna diaboli potestate (in imperio Romano, paganismi capite) hoc intelligi debet. Verba autem Apoc. 6, 13 de sexto sigillo : *Stellae de coelo ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur, et coelum recessit sicut liber involutus,* quae certe respiciunt ad illa Is. 34, 4 *Et tabescet omnis militia coelorum, et complicabuntur sicut liber coeli ; et omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea et de ficu :* ista, inquam, Apoc. verba, quae facile possunt ad extrema mundi perituri fata referri (haec est enim sententia multorum), non videntur ad literam sumenda, sicut verba Christi in praedictione nostra ; tum quia *visionem* tantum atque adeo *rerum figuram* describunt, tum etiam quia post ista sequuntur prodigia septimi sigilli, c. 8, ubi mentio fit inter alia de multis hominibus per aquas veneno infectas peremptis ; unde concludendum sit, per istas sigilli sexti perturbationes ipsum mundi interitum non significari, in sensu verborum stricto et proprio.

b. Stellae proprie dictae.

Quiscumque demum sit Is. aut Apoc. sensus, in verbis Christi *Stellae cadent de coelo*, omnino putem intelligendas esse *veras stellas*, quales hoc nomine cogitare

debebant homines istius ætatis, ii nempe quibus Christus loquebatur, vel quorum causa scriptum fuit Evang. Atque ideo adstipulari non possum conjecturae eorum qui autumant per *stellas* designari *aerolitha* ; quasi mundus periturus sit, quando orbis terrarum, simul cum universo nostro systemate solari, in spatia cœlestia moto quodam, hactenus parum noto et nondum finito, abreptus *(vers la constellation d'Hercule, d'après la science moderne)*, quondam perveniret in regionem innumeris aerolithis refertam *(jeté sur un banc épais d'astéroïdes, ou se rencontrant avec un courant formidable d'aérolithes et d'étoiles tombantes)*. Cf. Epping in *Stimm. aus Maria Laach* 1886, p. 303. Eo vel magis ab ista opinione recedendum existimem, quod tum ap. M., quum ap. Mc. vox *stellae* in graeco habeat articulum, *οἱ ἀστερες* ; adeo quidem ut indicentur *stellae vulgo notae*. Illudque animadvertit De Bonniot. Ergo sensus est gall. *les étoiles du ciel tomberont,* non autem *il tombera des étoiles du ciel.*

c. Vere cadent.

Praeterea, quod attinet ad aliam conjecturam, quae ab eodem scriptore ad priorem perficiendam ibi proponitur, sc. stellas forsitan casuras esse hoc sensu, quod globus terrenus velociore motu circum axem volveretur, atque adeo omnes coeli stellae *viderentur cadere :* eam etiam relinquendam duco, propterea quod vim verbis sacris inferat : *stellae cadent,* non certe idem est ac *cadere videbuntur.*

Tandem, adhuc magis a sensu verborum obvio et naturali recedunt s. Hier. *in M.*, Cajet., Estius, Jansen., Beel. etc., qui *cadent* explicant per *obscurabuntur, evanescent.*

d. Quare cadent?

Qua ratione autem, et quibus causis naturalibus, fiet ut stellae, verae stellae, loco moveantur et cadant? Num planetae cadent super solem, et stellae minores super majores, rupta admirabili illa aequalitate, quae in praesenti mundi universi statu existit inter virtutem attrahentem et repellentem *(entre la force centripède et la force centrifuge)?* Hac de re nihil docent ss. Literae, atque ideo conjecturis disputationibusque patet campus infinitus : unum tantum est quod affirmare licebit, nihil impossibile esse in hoc quod cogitemus corporum coelestium ordinem et harmoniam quondam perturbanda esse.

Sed haec hactenus : jam unde digressa est, eo revertatur tractatio nostra.

Q. 616. Signa illa ultima ad ipsum mundi casum jam pertinent.

Signa v. **29** tradita excidium mundi proximum esse ostendent, quin potius per haec ipsa naturae universae clades efficietur, ut notat Luc. Brug. ; quemadmodum oculi caligantes, interruptus anhelitus, brachia cadentia, pedum ac crurum rigor etc., signa sunt propinquae mortis, ac simul ad mortem ipsam qua vinculum vitale dirumpitur jam pertinent. « Quo modo impulsae ad casum arbores « (ait Ven. Beda *in L.*) fragoris motusque sui praemittere solent « indicia : sic termino appropinquante, quasi paventia nutabunt « ac trement elementa. »

Mundus resurget. Igitur peribit quondam mundus noster, sicut corporis humani machina per mortem dissolvitur : sed resurget, sicut homo, ad statum meliorem, gloriosum et immortalem, liberatus a *vanitate cui nunc subjacet*, Rom. 8, 20 (Luc. Brug.). Quamobrem recte notat s. Chrys., mundum non in nihilum redigendum, sed transformandum esse : sic « *Sol*, ait, *obscurabitur*, non « deletus, sed superatus a lumine illius adventus etc. » Ita 2 Petr. 2, 13 *Novos coelos et novam terram juxta promissa Dei expectamus.*

Q. 617. Eschatolica consideratio.

Quando homo seu *microcosmus* in fine seculorum diem fatalem subibit, et deinde transformabitur per resurrectionem, simul etiam *macrocosmus* i. e. totus universus perturbabitur et quasi morietur, ut transformetur in meliorem statum, in *coelos novos* et in *terram novam*. Mundus creatus fuit propter hominem et ideo cum homine cecidit ; sed in altero Christi adventu homo et cum ipso mundus surget a casu, imo ad meliorem conditionem quam prius consurget propter Redemptionem ; consurget enim ad statum glorificationis.

Ista tamen transformatio, tum humanae naturae, quum mundi inferioris, non fiet sine terribili perturbatione et dissolutione et cruciatu, quemadmodum pro singulis individuis transitus ad vitam meliorem non fit sine terrore et dolore mortis. Igitur, morietur seu extinguetur genus humanum in fine seculorum, et simul destruetur mundus physicus per dissolutionem elementorum, ut nascatur nova humanitas et nova creatura physica : sicut in decursu temporum singuli homines moriuntur ut renascantur, sicut plantae moriuntur ut reviviscant, sicut granum frumenti in terra putrescit ut surgant novae segetes.

Vita ex morte.

In praesenti rerum statu, post peccatum originale, regula generalis est ut ex morte sequatur vita, tum in ordine naturali quum in ordine supernaturali. In hoc ultimo enim vita nostra spiritualis ex morte Christi oritur : ut in Christo vivamus per gratiam et sanctitatem, debemus mori cum ipso, spiritualiter in Baptismo, mori nostro veteri homini, ut cum Christo vivamus in novo homine.

D. Ipse adventus Christi.

M. 24, 30. Et tunc parebit signum Filii hominis in coelo : et tunc plangent omnes tribus terrae : et videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli cum virtute multa et majestate. 31 Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna : et congregabunt electos ejus a quatuor ventis, a summis coelorum usque ad terminos eorum. 32 Ab arbore etc.

Mc. 13, 26. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nubibus cum virtute multa, et gloria. 27 Et tunc mittet angelos suos, et congregabit electos suos a quatuor ventis, a summo terrae usque ad summum coeli.

L. 21, 27. Et tunc videbunt Filium hominis venientem in nube cum potestate magna, et majestate. 28 Hic autem fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra : quoniam appropinquat redemptio vestra.

Q. 618. Quid fiet, secundum s. Scripturam, cum in fine seculorum Christus iterum adveniet ?

Monitum praevium. Ut plena sit responsio, omnia Scripturae loca, quae de hoc argumento tractant, conferre oportet : ea autem indicavi in dissert. speciali, quam *de mundi fine* dedi ad calcem epist. 2 ad Thessal. in *Comm. Ep. Paulin.* (6ª ed., 1899).

R. Post magnam illam universi mundi perturbationem (*tunc* v. **30**, cum sol et luna obscurata fuerint etc.) :

1° *In coelo parebit* **signum** (το σημειον, nota art.) **Filii hominis,** i. e. « Aut signum crucis, ait s. Hier., aut vexillum victoriae. » Dixerim potius : Non aliud quam signum crucis, quod et victoriae erit vexillum. Igitur in coelo videbitur **imago crucis** splendidissima : « Crux sole splendidior ; secus non appareret cum sol « obtenebretur (s. Chrys hic *in M.*). » Forsitan erit phaenomenon lucidum in formam crucis (1). *Signum* autem illud futurum esse figuram *crucis*, vel ex hoc solo colligimus, quod haec proprium Christi signum sit et semper fuerit, adeo quidem ut ubique gentium discipuli ejus inde discernantur. Praeterea ita censent s. Chrys. modo cit., et s. Aug. *in J.* tr. 118. Imo vero illud docet etiam Ecclesia, quae in *Off. s. Crucis* canit : « Hoc signum crucis erit in « coelo, cum Dominus ad judicandum venerit. »

Et tunc plangent omnes tribus terrae : effectus et consecutio illius spectaculi de quo statim. *Omnes plangent,* sed, ut per se patet, sensa bonorum erunt valde diversa a sensibus malorum. *Plangent,* κοψονται, proprie *semetipsas tundent* et percutient : quum autem mos esset in dolore et timore percutere pectus (L. 23, 48), significat plangere ex dolore, vel, ut hic, *ex terrore,* i. e. homines ubique terrarum summo erunt terrore moti atque perculsi ob appropinquantem catastrophen et instans judicium : praesertim plangent qui crucem et Christum crucifixum hactenus despexerunt. Cf. Apoc. 1, 7 *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et* (praesertim) *qui eum pupugerunt : et plangent se super eum omnes tribus terrae.* Nolim hic citare Zach. 12, 10, quia ibi intelligitur *planctus* contritionis et emendationis.

(1) S. Chrys., *De Cruce et latr.* hom. 2, n. 4, opinatur ipsissimam Christi crucem, in qua mortem passus est, conspiciendam esse die judicii. Sed hoc nequaquam certum est : contrarium enim censet Ps.-Anselmus in *Elucidario*, et Jans. hic ; et horum sententiae favet vox *signum*.

2° Per illum terrorem, ut videtur, vel per ignem qui die fatali exardebit rerumque universitatem comburet (2 Petr. 3, 3-10), homines tunc viventes mortem oppetent omnes (cf. annot. nostr. 1 Cor. 15, 51 ; in 6ª edit.).

3° Deinde, postquam *signum* Filii hominis apparuerit, *tunc* (non simul cum signo Filii hominis, nam haec duo in ipsa narratione separantur, et interponitur *planctus* hominum) *videbunt Filium hominis venientem in nubibus coeli* (Dan. 7, 13 ; M. 26, 64 ; Act. 1, 11 ; 2 Thes. 1, 7, 10 ; Apoc. 1, 7), i. e. vectum nubibus tamquam curru triumphali, *cum virtute multa et majestate.*

4° Simul atque in terram descendet, v. **31** *mittet angelos suos cum tuba et* (id est) cum *voce magna,* gr. *cum magna tubae voce* (quid sit *tuba* illa, explicavi 1 Cor. 15, 52), *et congregabunt electos ejus.* Non solum *electos,* sed etiam reprobos convocabunt, ut patet ex iis quae infra leguntur M. 25, 32 sqq. ; et ut diserte dicitur M. 13, 41 *Mittet... Angelos suos, et colligent... eos qui faciunt iniquitatem, et mittent eos in caminum ignis.* De cetero *omnes* resurgent 1 Cor. 15, 51, et *omnes* judicabuntur Rom. 14, 10.

M. hic v. 31 non loquitur de reprobis, quia nondum proprie agit de judicio, sed de Christi adventu ad salutem justorum, ut patet ex loco paral. L. v. 28 *levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.*

Angeli autem omnes cogent *a quatuor ventis,* aliis verbis, *a summis coelorum* (1) *usque ad terminos eorum,* i. e. ab orbe extremo usque ad extremum, ab omni terrarum regione. Itaque, novissima canente tuba, mortui ad vitam redibunt, viventes autem *immutabuntur* (quae quidem mutatio in corpora immortalia videtur supponere mortem quamdam non ordinariam, sed instantaneam, intercessuram), et omnes ab Angelis ad summi tribunal Judicis ducentur (cf. ann. in 1 Thess. 4, 14-16).

5° Tandem boni separabuntur a malis, et sententia in utrosque feretur M. 25, 32 sqq. ; vi cujus justi rapientur *obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erunt* 1 Thess. 4, 16 ; impii autem in ignem aeternum repellentur M. 25, 41.

---

(1) Evangelista loquitur de coelo seu aere secundum quod apparet oculis nostris, cum coelum a terra undique sustentari videatur.

Sancti tremuerunt, quidni nos. Terrore judicii perculsus, s. Chrys. *in M.* 24, 31 : « Vae nobis, exclamat, a die illo terri-« bili !... Me horror invadit, cum haec dicuntur, et graviter lugeo, « exque intimo corde ingemisco ! »

E. Similitudo a ficu. Non transibit generatio haec.

M. 24, 32 Ab arbore autem fici discite parabolam : cum jam ramus ejus tener fuerit, et folia nata, scitis quia prope est aestas : 33 ita et vos cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis. 34 Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia haec fiant. 35 Coelum et terra transibunt, verba autem mea non praeteribunt. 36 De die etc.

Mc. 13, 28 A ficu autem discite parabolam. Cum jam ramus ejus tener fuerit, et nata fuerint folia, cognoscitis quia in proximo sit aestas : 29 sic et vos cum videritis haec fieri, scitote quod in proximo sit in ostiis. 30 Amen dico vobis, quoniam non transibit generatio haec, donec omnia ista fiant. 31 Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.

L. 21, 29 Et dixit illis similitudinem : Videte ficulneam, et omnes arbores : 30 cum producunt jam ex se fructum, scitis quoniam prope est aestas. 31 Ita et vos cum videritis haec fieri, scitote quoniam prope est regnum Dei. 32 Amen dico vobis, quia non praeteribit generatio haec, donec omnia fiant. 33 Coelum et terra transibunt : verba autem mea non transibunt.

Jesus monet signa futuri illius eventus attendenda esse, quum talia sint ut eum proxime secuturum nuntient ; sicut ex ramis ficus tenerescentibus constat aestatem appropinquare.

32. *Ab arbore fici discite parabolam,* similitudinem : cum jam *ramus ejus tener* fuerit, i. e. quando sucus e radice incipit ascendere et *folia nascuntur* (1), scitis aestatem prope esse : *ita et vos, cum videritis haec omnia, scitote quia prope est in januis.* Hoc dupliciter explicatur, propter v. 34 : vel 1° (secundum sententiam quam sequimur) de Christi reditu in fine seculorum, hoc sensu : cum videritis prognostica, de quibus v. 24 et 29, scitote Judicem mox venturum esse in nubibus coeli, ad vos *redimendos* et salvandos (L. 21, 28 in loco parall. *Levate capita vestra, quoniam* etc.). Jesus ad Apostolos quidem loquitur, sed in eorum persona ad bonos illos christianos qui in fine mundi vivent. Quod autem respiciat *electos,* ex v. 31 liquet. Vel 2°, ut censent alii, de evertenda Jerusalem sermo fit : in tali sententia verba *haec omnia* referenda sunt ad v. 15-22.

(1) *Nata fuerint* ait Vulg., quia εκφυη sumpsit in aor. ; sed id in praesenti tempore accipere malim, quia cum folia semel *nata fuerint,* tunc alterum signum de *ramo tenero* fit prorsus inutile. Apud L. *fructum,* potius *folia* τα φυλλα.

Q. 619. Ad v. 34. De quo eventu loquitur Christus quando dicit *Non praeteribit* **generatio haec,** *donec omnia haec fiant ?*

R. Non certo constat : secundum sententiam, quam post multos interpretes adoptavimus, loquitur de mundi casu, et per *generationem hanc* intelligit universum temporis spatium, quo gens Judaica in terris perseveratura sit, quippe quae singulari Providentiae decreto usque ad finem seculorum sit permansura (tunc enim ad Christum se convertet, ut collligitur ex Rom. 11, 25 sqq.; cf. comm. nostr. 6ª ed.). Atqui γενεὰ revera adhibetur non solum de aequalibus (*contemporains*), verum etiam de *gente*, *stirpe*, *familia* ut Ps. 44, 19 ; Deut. 32, 5 ; Ps. 77, 10. Nuntiat itaque Christus Judaicam stirpem non esse exstinguendam usque ad finem seculorum (1). Ad hanc sententiam accedit partim s. Hier. : « Aut omne « genus hominum significat, aut specialiter Judaeorum » : quod autem prius scribit *omne genus hominum*, hoc admitti nequit, nam valde inutile esset dicere genus humanum exstiturum donec Christus venturus esset, neque indigeret solemni asseveratione *Amen dico vobis*. Propter eamdem rationem rejicienda est sententia s. Chrys. : « Non de tunc viventibus loquitur, ait, sed de « generatione fidelium : » hanc autem ante rerum terminum non defecturam aliunde patet.

Alii vero per *generationem hanc* intelligunt aetatem hominum tunc viventium : *generatio* sicut hebr. דּוֹר *dor*, pro eo temporis spatio, intra quod filii nati iterum filios procreant, i. e. pro aevo hominis, quod triginta circiter annorum aestimatur. Hoc posito, Servator cladem Jerosolymitanam respicit : sed obstant *haec omnia* quae necessario referuntur etiam ad v. 29, ubi de mundi fine ; obstare quoque videtur versus 36 *de die autem illa et hora nemo scit*, ubi extremus mundi dies probabilius notatur.

Nimis autem audax est Haneberg, qui putat folia, quibus M. hanc descripsit prophetiam, fuisse permixta, et versum 34 suo loco positum non fuisse.

35. *Coelum et terra transibunt*, immutatione, non abolitione sui,

---

(1) **Mira gentis Judaicae sors !** Ista perduratio gentis Judaicae per 18 jam secula, in mediis populorum perturbationibus, cum charactere suo speciali tum corporali quum religioso et morali, est valde singularis ; eo vel magis quod gens illa in omnibus terrae regionibus sit dispersa, sine regno, sine patria, sine centro religioso.

s. Hier. (1). *Verba mea* numquam *praeteribunt*, mutabuntur, infringentur, suo numquam frustrabuntur effectu.

F. DIEM NEMO SCIT.

M. 24, 36. De die autem illa et hora nemo scit, neque angeli coelorum, nisi solus Pater. 37 Sicut autem etc.

Mc. 13, 32. De die autem illo vel hora nemo scit, neque angeli in coelo, neque Filius, nisi Pater.

Q. 620. *De die illa et hora nemo scit, neque Angeli coelorum, nisi solus Pater* M.; seu, ut distinctius dicit Mc. *Neque Angeli, neque Filius, nisi Pater.* Quaenam objectio contra dogma catholicum ex verbis illis desumitur? Quomodo a variis confutatur?

R. Inde eruitur objectio Arianorum contra divinitatem Christi, cui ignorantia quaedam adscribi videtur. Ad hanc difficultatem dissolvendam varii varias excogitarunt sententias.

Quo sensu Christus nescit diem judicii? Nihil contra divinitatem ejus.

1° Multi veteres, ut ss. Athan. *Oratio 3 contra Arian.* 42, Ambr. *De fide* 5, 16, Greg. Naz. *Orat. 4 de theol.* 4, 15, seu *or.* 36 ad 10^{m} object., Bas. *Ep. ad Amphil.* (2), apud Migne ep. 236, Cyr. Alex. *Thes.* 9, 4; *De recta fide*, l. 3, dicunt: Christus id **nescit,** qua filius

(1) **Conjecturae recentiores de modo quo terra sit peritura.** Mundum quondam perituram esse aperte docent nostris diebus viri scientiarum naturalium peritissimi. M. FOLIE, dans un Mém. lu à l'Acad. royale de Belg., le 15 Déc. 1873, intitulé *Du commencement et de la fin du monde d'après la théorie mécanique de la chaleur*, arrive à cette conclusion: « L'univers se rapproche fatalement de jour en jour, en vertu des lois naturelles, d'un état d'équilibre final de température, dans lequel les distances entre les molécules des corps seront arrivées à leur extrême limite... Alors, suivant une expression mémorable, *les éléments seront dissous par le feu* [allusion à 2 Petr. 3, 10]. Tel est donc le terme fatal du monde: sorti du chaos, il rentrera dans le chaos » M. TYNDALL, *La Chaleur*, (cité, comme le précédent, par M. Moigno, *Les splend. de la foi* t. 3, p. 1286): « A mesure que les siècles se succèdent, les planètes doivent tomber sur le soleil... se fondre et se réduire en vapeur. » — M. BALFOUR-STEWART, *La conservation de l'énergie* (cité par Moigno III, 1282): « Il faut prévoir une période... où le soleil cessera absolument de briller... L'univers (aussi) finira par devenir une masse échauffée... et inerte: » c'est-à-dire, ajoute Moigno, l'univers sera ramené au chaos, à l'état de matière nébuleuse et dissociée. — « L'incendie de notre planète, dit le P. DE BONNIOT (*Etu. relig.*, Oct. 1879), n'est pas sans précédent. L'observation la plus récente de cette sorte est due à un savant anglais. Une étoile de 2^{e} grandeur apparut inopinément [en Mai 1866] dans la constellation de la Couronne. En 12 jours elle passa à la 6^{e}, puis à la 8^{e} grandeur. Ce fut, dit le P. SECCHI (*Les étoiles* I, p. 143), un véritable incendie, qui dura peu de temps; l'étoile passant par toutes les phases de l'incandescence. » — Il y a cependant des astronomes qui pensent qu'il ne s'agit pas là de combustion et de destruction réelle; que l'étoile reprendra son éclat, comme cela arrive régulièrement pour certaines étoiles variables, dont l'éclat croît et décroît par périodes (GUILLEMIN, *Le ciel*, p. 782).

(2) S. Bas. ibi primum innuit illud ex humana parte a Domino dictum fuisse; deinde hanc alteram tradit explicationem: « Nemo novit, neque Angeli Dei, sed nec Filius nosset, nisi nosset Pater; hoc « est, causa et principium cognitionis Filii a Patre est. »

hominis, **qua homo,** non qua Deus. Hoc autem debet sic intelligi: nescit, quatenus cognitiones ejus ex natura humana seorsum sumpta, eam mente abstrahendo a divinitate, orirentur ; namque in Christo, qui simul Deus est et homo, sunt *omnes thesauri sapientiae et scientiae abscondíti,* Col. 2, 3. Huic porro sententiae obstat oppositio, quae habetur inter voces *Filius* et *Pater*, quaeque cogit nos ut verba interpretemur de Filio Dei seu de 2ª ss. Trinitatis Persona, adeo ut 3ª Persona seu Spiritus s. etiam excludatur.

2° S. Chrys., et clarius ss. Aug. *De Trin.* 1, 12 et Hier. : *nescit*, hoc sensu « Quod non ita sciebat, ut tunc discipulis indicaret « (s. Aug. l. c.) », quod non debet nec potest illud detegere atque nuntiare, quod mysterii illius revelationem non habet in mandatis a Patre acceptis ; aliis verbis, **nescit qua legatus,** qua Messias : sicut legatus, si interrogetur de secretis regis sui, vere respondet se ea ignorare, etiamsi illa cognoscat, quia illa nescit ut legatus ; tamquam talis enim tantum refert quae rex ipsi dicenda commisit. Putat s. Chrys. Christum hoc adjecisse ut discipuli non quaererent id discere.

3° Mald. verba ista eodem modo interpretatur ac supra M. 20, 23 *Sedere ad dcxtram vel sinistram, non est meum dare, sed quibus paratum est a Patre*, nempe : tempus definire, quo dies mundi fatalis adventurus sit, tribuitur primae Personae ss. Trinitatis, quia haec est primum principium et prima causa, quemadmodum providentia, cujus pars est praedestinatio, etiam Patri adscribi solet. Igitur Patris est tempus statuere, non Filii aut Spiritus s. ; quo sensu cognitio temporis statuti Patris dicitur, non Filii. Ergo **diem nescit** idem est ac diem **non statuit.** Haec autem explicatio verba non sumit in sensu obvio ; ideo 2ᵐ praefero sententiam.

G. Cave ne improviso veniat.

M. 24, 37. Sicut autem in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis. 38 Sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubentes et nuptui tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, 39 et non cognoverunt donec venit diluvium, et tulit omnes : ita erit et adventus Filii hominis.

L. 21, 34. Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula, et ebrietate, et curis hujus vitae : et superveniat in vos repentina dies illa : 35 tamquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terrae.

H. Sors hominum duplex.

M. 24, 40. Tunc duo erunt in agro : unus assumetur, et unus relinquetur. 41 Duae molentes in mola : una assumetur, et una relinquetur. 42 Vigilate etc. *Ante q. 623.*

Q. 621. Quid sibi voluit Christus, quando M. 24, **37** : *Sicut*, ait, *in diebus Noe, ita erit et adventus Filii hominis* ?

R. Cf. L. 17, 26-30. Quamvis, ait, nonnulla vobis signa dederim, quibus extrema rerum sors et eversio praenoscatur, tamen homines ea tempestate viventes ad ea non attendent, et ex improviso arripientur, toti immersi in negotiis terrenis ; adeoque male erunt praeparati ad judicium extremum, et misere peribunt (1 Thess. 5, 3) : quemadmodum *in diebus Noe* accidit ; (1) homines de Noe arcam fabricante nihil solliciti, omnia sua negotia pro more peragebant : *erant comedentes et bibentes, nubentes*, uxorem sibi assumentes, et *nuptui tradentes*, filias suas collocantes, more veterum, apud quos patres filias dabant quibus volebant : (partic. praec. cum εἶναι designat actionem non transeuntem, sed durantem : Beel., *Gram.* p. 380). Atque ita rebus secularibus distenti, permanebant increduli et contumaces, nullamque admittebant animi emendationem, donec tandem poena divina eos incautos atque imprudentes subito corripuit.

Ex hac comparatione noli concludere post tribulationes supra praedictas secuturum esse tempus tranquillitatis. Sensus est : malos christianos sub Anti-Christo non commovendos esse signis prognosticis, utpote terrenis concupiscentiis totos deditos.

Q. 622. Explica M. **24, 40 et 41** *Tunc duo erunt* etc.

R. Cf. L. 17, 34 et 35. *Tunc*, Judice ex inopinato adveniente, tempus non erit amplius quo sese praeparent : alea jacta erit ; unusquisque recipiet secundum opera sua. Fiet itaque ut sors longe diversa contingat illis, qui in terris ejusdem erant conditionis

---

(1) Diluvium, in quo, ut videtur, submersa fuit universa terra tunc habitata, adeo ut omnes omnino homines tunc perierint (praeter familiam Noë), fuit etiam judicium quoddam universale *ein Weltgericht*, quo conclusa fuit 1ª epocha generis humani : igitur figura fuit ultimi judicii quo concludetur tota existentia humani generis : ideo utrumque conjungit s. Petr. 2 Ep. 3, 6 *Ille tunc mundus aqua periit, nunc est igni reservatus in diem judicii*. Obiter nota haec s. Petri verba prorsus favere sententiae communi, in Diluvio totum mundum ab hominibus habitatum periisse, sicut in fine seculorum omnes homines tunc viventes in mundo peribunt. Cf. q. 612bis.

et loci : quod Christus explicat per duplex exemplum, unum de viris, alterum de mulieribus :

Sic ex duobus agricolis, qui simul laborabant, *unus* (sc. bonus, justus) *assumetur*, puta ab Angelis, i. e. in judicio absolvetur et in aeternum salvabitur ; alter vero *relinquetur*, non justificabitur, sed contra, ad poenas damnabitur perpetuas. Pariter ex duabus ancillis, quae frumentum mola simul terebant (1), *una assumetur* etc.

Molae apud veteres. Respicit ad molas, quas servae manu versabant, quaeque ita compositae erant, ut lapis inferior esset immotus, superior vero circumageretur a duabus ancillis (aut rarius a duobus servis) in circuitu incedentibus dum extremum baculum manu impellerent ; nonnumquam mulieres istae sedebant facie sibi obversae, mediam habentes molam, et baculum ad se trahebant, adeo ut unaquaeque in dimidiam circuli partem eum vicissim moveret.

IV. Estote semper parati ad adventum judicis: 24, 42-25, 30.

Summa rerum et divisio. Salvator docet oportere ut vigilemus semperque parati simus ad judicis adventum. Hoc auditorum animis inculcat 1° per comparationem cum fure inopinato adveniente ; 2° per parabolam de servo fideli qui dominum constanter expectat ; 3° per parabolam de decem virginibus, quarum quinque non erant paratae ad adventum sponsi ; 4° per parabolam de talentis, quae tali modo adhibenda sunt ut, quando Dominus venit rationem ponere, constet de bono eorum usu. Igitur quatuor in hac pericopa distinguemus particulas.

1° Vigilate quia nescitis horam.

Praeced. vide pag. praec.
M. 24, 42. Vigilate ergo, quia nescitis qua hora Dominus vester venturus sit. 43 Illud autem scitote, quoniam si sciret pater familias qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. 44 Ideo et vos estote parati : quia qua nescitis hora Filius hominis venturus est. 45 Quis putas etc. *Ante q. 624.*

Mc. 13, 33. Videte, vigilate, et orate : nescitis enim quando tempus sit.

L. 21, 36. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini fugere ista omnia, quae futura sunt, et stare ante Filium hominis.

(1) *Duæ molentes in mola*, εν τῳ μυλῳ, *molentes cum mola* : dictio tautologica est ; ideo quidam praeferunt lectionem μυλωνι, in *pistrino*, in *molendino*, germ. *im Mühlenhause* : hoc etiam melius respondet verbis *in agro*. Attamen lectio prior μυλῳ *mola* longe plures habet testes.

Q. 623. 1° De quo adventu loquitur Salvator, quando docet *vigilandum* esse propter ignorantiam *horae qua Dominus noster venturus sit?* 2° Ostende sapienter agere Deum cum diem mortis nobis abscondit. 3° Quibus comparationibus aut parabolis confirmatur monitio ad vigilantiam quae requiritur ut simus debite praeparati ad adventum judicis?

R. ad 1m. Loquitur proprie de altero adventu suo, temporibus mundi extremis; sed quod hic dicit Apostolis, dictum esse vult omnibus, nam Mc. in loco parall. v. 37 (p. 773) habet: *Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate;* atque ideo docent ss. Patres, quod de altero adventu Christi dicitur, hoc mortis nostrae diei etiam accommodari debere. Sic s. Hier. *in Joel* 2, 1-11 : « Quod in die « judicii futurum est omnibus, hoc in singulis die mortis impletur. » Et s. Aug. *Ep.* 199, n. 2, ed. M. : « In quo quemque statu, inquit, « invenerit suus novissimus dies, in hoc eum comprehendet « mundi novissimus dies : quoniam qualis in die isto quisque mori- « tur, talis in die illo judicabitur. » Et re quidem vera, judicium extremum nihil aliud erit quam solemnis promulgatio sententiae, quae post mortem singulorum hominum in judicio privato lata fuerit.

Dies mortis utiliter nescitur.

Homilitica e ss. Patribus.

R. ad 2m cum s. Chrys. : « Si scirent plerique homines, ait, quandonam sint « morituri, diligentiam suam circa illam diem exhiberent. Ne igitur de illa sola « solliciti essent, neque communem illam diem, neque cujusque horam declaravit, « ut semper illam expectarent, semperque eodem studio tenerentur. »

« Si sciret quisque (ait s. Greg. M., *Hom. 12 in Ev.*) de praesenti seculo quo « tempore exiret, aliud tempus voluptatibus, atque aliud poenitentiae aptare « potuisset. Sed qui poenitenti veniam spopondit, peccanti diem crastinum non « promisit. »

Nervose s. Aug. (ed. M. IV, 1302, 1876): « Ne desperatione homines pejus vive- « rent, promisit Deus indulgentiae portum; rursum ne spe veniae pejus viverent, « fecit diem mortis incertum. »

S. Hil.: « Ut ignorantiam illam diei omnibus taciti non sine utilis silentii ratione « esse sciremus, vigilare nos propter adventum furis admonuit, et orationem assi- « duitate omnibus praeceptorum suorum operibus inhaerere. »

Unde praeclarum s. Hier. dictum de Marcella *Ep. ad Princip.*, ep. 127, 6 ap. Migne : « Vixit, ut semper se crederet morituram. » Nos etiam, sic vivamus quasi quotidie morituri. S. Aug. (ed. M. v, 1221) : « Sic vive quasi hodie venturus sit « ad judicium Deus, et non timebis eum cum venerit. » Quare? quia « Facile con-

« temnit omnia, qui se semper cogitat esse moriturum (s. Hier. *Ep.* 53 ed. M.). » Igitur « Mors cum venerit, vincetur, si priusquam veniat semper timeatur (s. Greg. *in Ev. h.* 13). »

Inde fit ut dum mali vitam longam sibi pollicentur, boni e contrario vitam brevem sibi promittant: quod animadvertit idem Greg. in *Moral.* ad Job 17, 1. Boni enim norunt mortem viris sanctis et piis timendam non esse: « Fac ut bona sit « vita, et noli timere ne brevis sit (s. Aug. ed. M. v, 122). »

Saepe de morte cogita. O quam utilis est illa Platonis sententia quam recitat idem s. Hier. *Ep. ad Heliodor., Grandes* (ap. Migne *Ep.* 60, n. 14) : « Omnem sapien- « tium vitam meditationem esse mortis (1) ! » Magna etiam veritas latet in hoc s. Greg. effato in *Moral.* ad Job 17, 1 : « Perfecta vita est mortis imitatio ; nihil enim « appetit quod transit. » De cetero, mortis imitatio et meditatio eo faciliores nobis sunt, quod vita nostra sit lenta quaedam mors : « Vitae spatium, ait s. Greg. « *Mor.* ad Job 34, 20, unde crescere creditur, decrescit. » Et *In Ev.* h. 37 : « Tem- « poralis vita, aeternae vitae comparata, *mors* est potius dicenda quam *vita*. »

Simus semper parati.

R. ad 3m Christus duobus comparationibus (quarum 1m tradit L.), et tribus parabolis docet oportere ut simus semper praeparati ad adventum judicis.

1° Sicut laqueus aves ferasque subito irretit, ita adventus Domini homines inopinato invadet, L. 21, 35 citatus supra p. 768.

2° M. **43.** Sicut fur ex improviso perfodit domum patris familias, ita Dominus praeter exspectationem veniet ut malos (non vigilantes) perdat: simile quid alio tempore dictum a Christo L. 12, 39. Cf. Apoc. 3, 3 *Veniam ad te tamquam fur ;* 16, 15 *Ecce venio sicut fur ;* 1 Thess. 5, 4 *Ut vos dies illa tamquam fur comprehendat ;* 2 Petr. 3, 10 *Adveniet dies Domini ut fur.*

3° Parabola de servo cui herus peregre profecturus domus curam custodiamque commisit (2), qui invigilare debet ne per repentinum domini adventum negligentiae reus deprehendatur : ita nos vigilemus oportet ne morte improvisa in malo statu corripiamur : M. cit. pag. seq. Videsis similem admonitionem alias traditam L. 12, 35-46.

4° Parabola de decem virginibus, quarum quinque fatuae sunt oleumque non habent, adeoque non sunt debite praeparatae cum

(1) Obiter notent concionatores sacri in hac *ep. ad Heliod.* plura eaque pulcherrima de *morte* reperiri.

(2) Istud Christi monitum imprimis Episcopos et pastores spectat, ut notat s. Hil. : « Quamquam, « ait, in commune nos ad indefessam vigilantiae curam adhortetur, specialem tamen populi principi- « bus, id est Episcopis, in exspectatione adventuque suo sollicitudinem mandat. »

sponsus subito accedat: M. 25, 1-13. Hanc parabolam, quam infra, q. 625, explicabimus, solus M. habet.

5° Parabola de talentis, quae servis distribuuntur, quibusque alii bene usi sunt, alii vero non; adeoque alii bene praeparati sunt ad reddendam rationem, alii vero non: M. 25, 14-30 (vide infra, q. 626). Vix differt haec parabola ab ea quam statim n. 3 indicavimus.

2° De fideli et de malo servo.

Praeced. vide ante q. 623.

M. 24, 45. Quis, putas, est fidelis servus, et prudens, quem constituit dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? 46 Beatus ille servus, quem cum venerit dominus ejus, invenerit sic facientem. 47 Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.

48 Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: 49 et coeperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriosis: 50 veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat: 51 et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis. Illic erit fletus, et stridor dentium. 25, 1. Tunc simile etc.

Mc. 13, 34. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum suam, et dedit servis suis potestatem cujusque operis, et janitori praecepit ut vigilet. 35 Vigilate ergo, (nescitis enim quando dominus domus veniat: sero, an media nocte, an galli cantu, an mane), 36 ne cum venerit repente, inveniat vos dormientes. 37 Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate.

Haec similitudinem quamdam habent cum parabolis, quamvis consuetam parabolae formam non perfecte referant. Sensus est: estote semper parati ad adventum Christi, sicut minister fidelis semper paratus est ad adventum domini sui: si ita, obtinebitis mercedem, secus severe puniemini.

Unum est quod explicatione indigeat: unde quaestio sequens.

Q. 624. Ad v. **51.** De malo servo dicitur *Dividet eum* dominus ejus, *partemque ejus ponet cum hypocritis:* explica haec verba.

R. *Dividet:* διχοτομήσει, proprie *in duas partes secabit,* inde generatim eum statim gladio percutiet *(dissecabit)*, vel gravi supplicio occidet. Parabola morem respicit despotarum orientalium, qui servum in malo facinore deprehensum statim trucidant, nullo instituto judicio (Knab.). Juxta alios Servator respicit ad terribilissimum supplicii genus, quo corpus vivum in frustra concidebatur (1 Reg. 15, 33; Dan. 2, 5 in hebr.); vel potius quo serra secabatur

in duas partes (δὶς vel δίχα, et τέμνω *seco*): cf. 2 Reg. 12, 31; Hebr. 11, 37: Herod, 2, 139; Diodor. *Exc.* 34; Suet. *Calig.* 17; Valer. Max. 9, 2, 4. Sunt qui explicent de crudeli flagellorum poena (διχοτομειν pro *flagris tergum secare, discindere*), sed verbum illud nusquam habet hanc significationem. S. Hier. ita: eum *separabit* a bonis famulis, ab electis: sed gratuitum plane est hunc sensum verbo graeco adscribere. Praeterea, quum poena inferni per parabolam intelligatur, praeferenda est durissima verbi διχοτομειν significatio.

Et (particula explicativa) *partem ejus ponet cum hypocritis*, i. e. eum male habebit sicut virtutis simulatorem; poenam gravissimam, qualis isti debetur, ei irrogabit: et talis revera erat, siquidem omnia recte componere voluisset ante domini reditum, ut patet ex eo quod dicat v. 48 *Moram facit dominus meus venire.*

3° Parabola de decem virginibus: 25, 1-13.

Praeced. vide ante q. 624.

M. 25, 1. Tunc simile erit regnum coelorum decem virginibus: quae accipientes lampades suas, exierunt obviam sponso et sponsae. 2 Quinque autem ex eis erant fatuae, et quinque prudentes: 3 sed quinque fatuae, acceptis lampadibus, non sumpserunt oleum secum: 4 prudentes vero acceperunt oleum in vasis suis cum lampadibus. 5 Moram autem faciente sponso, dormitaverunt omnes, et dormierunt. 6 Media autem nocte clamor factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei. 7 Tunc surrexerunt omnes virgines illae, et ornaverunt lampades suas. 8 Fatuae autem sapientibus dixerunt: Date nobis de oleo vestro: quia lampades nostrae extinguuntur. 9 Responderunt prudentes, dicentes: Ne forte non sufficiat nobis et vobis, ite potius ad vendentes, et emite vobis. 10 Dum autem irent emere, venit sponsus: et quae paratae erant, intraverunt cum eo ad nuptias, et clausa est janua. 11 Novissime vero veniunt et reliquae virgines, dicentes: Domine, Domine, aperi nobis. 12 At ille respondens ait: Amen dico vobis, nescio vos. 13 Vigilate itaque, quia nescitis diem, neque horam. 14 Sicut enim etc. *Ante q. 626.*

Q. 625. 1° Parabola de decem virginibus narrata, 2° eadem secundum ritus nuptiales apud Judaeos usitatos exponatur. 3° Quodnam fuit Servatoris consilium in hac parabola, et ad quos eam voluit accommodare?

R. ad 1m. Vide M. citat. Haec pericopa memoriter addiscatur.

R. ad 2m. Sponsus vespere, simul cum juvenibus, paranymphis

suis (M. 9, 15), adibat domum sponsae (1), ut hanc sociabus *(virginibus)* circumdatam, cum musica et cantu, cum pompa et apparatu, lumine lucernarum, quas virgines gestabant (2), adhibito, in domum suam (seu potius in domum paternam) deduceret, ubi tunc fiebat convivium conjugale.

Talis erat ritus nuptiarum solitus : in hac autem parabola sponsus ad domum sponsae tendit ut ibi nuptias celebret (3), et virgines paranymphae sponsum ad domum sponsae comitantur.

Quare parabola recedit a ritu consueto ? Certe parabola ritum ita refert, quia respicit ad accommodationem ejus : Christus sponsus in altero suo adventu veniet ad sponsam, i. e. de coelo descendet ad Ecclesiam ut eam sibi per nuptias solemnes uniat. Nimirum, quando in Judicio extremo electos perfecte et perpetuo sibi conjunget per sententiam *Venite, benedicti* etc., atque adeo eis conferet gaudium unionis beatificae : quae quidem unio est quasi *consummatio matrimonii* spiritualis Christi cum Ecclesia. Deinde virgines dicuntur obviam ire sponso (quum ordinarie sponsum domi exspectarent), ut melius significaretur oportere ut nos praeparemus actu nostro ad adventum Domini.

Rerum series secundum parabolam.

Nunc explicare juvat quomodo rerum series sit cogitanda secundum parabolam.

Vespere facto, virgines cum lampadibus *exeunt* omnes simul e domo sponsae (vel, ut alii dicunt, exeunt singulae e domo sua) et in aliquam aedem conveniunt, ut ibi exspectent donec sponsus accedat. Statim ac sonitum musicae et cantus, quibus ejus adventus nuntiatur, procul audiunt, ei obviam eunt, ut simul cum eo ad

---

(1) In 1 Mach. 9, 37-39 sermo habetur de hujusmodi accessu festivo sponsi ad domum sponsae, sed ibi *per diem* id factum fuit : saepe tamen *vespere* fiebat, ut in hac parabola.

(2) **Lampades cum oleo.** Judaei usum cerae ad lumina, cerearumque taedarum olim habuisse non videntur, sed olei tantum. Unde in Scriptura saepe mentio fit lampadum et lucernarum, nulla vero candelarum ; imo in candelabro Templi erant lucernae cum oleo, non candelae ex cera vel sebo. *Lampades*, quas virgines gestabant, intelliguntur vascula ellychnio et oleo instructa, quae perticae inserta tamquam faces praeferri solebant.

(3) Forsitan in antiquissima aetate mos erat talis : sic tempore Samsonis Jud. 14, 10 convivium nuptiale pariter celebratum fuit in domo sponsae, sponsi tamen sumptibus. Nota ibi sic legi in hebr. : *et fecit ibi* (praeparare fecit) *Samson convivium ;* ergo, non *pater* dicitur convivium fecisse (ut in Vulg.), unde melius intelligitur quod sequitur *sic enim juvenes facere consueverant.*

domum sponsae, ubi coena habenda est, festivo pergant choro. Huic autem explicationi non obstant verba *et sponsae (Exierunt obviam sponso et sponsae)*, nam haec ut glossema habenda sunt, quum tantum legantur in cod. D, in Vulg., It., Arm. et Syr.; deinde v. 5, 6, 10 de solo sponso mentio fit.

Jam vero tardat sponsus, et virgines *dormitant* (νυσταζω, somno conniveo, capite nutans oculisque nictans, gall. *sommeiller*), imo sensim ac sine sensu plene *dormiunt:* ita fit ut quaedam ex iis, quum praeter lampadem oleum in vase distincto afferre neglexerint, non animadvertant oleum mox sibi defuturum lampadesque extinguendas esse : istae igitur *fatuae* (gall. *imprévoyantes*, potius quam *folles*, bene flandr. *dwaze*) merito dicuntur.

Media autem nocte (1) ecce clamor personat, qui sponsum appropinquare demonstrat : virgines surgunt, ut *ornent* i. e. praeparent lampades suas, oleum eis infundendo ; sed fatuae, deficiente oleo, sapientibus dicunt : *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostrae exstinguuntur. Respondent : Ite potius* etc. ; quod quidem non consulentium, sed irridentium est. Dialogus ille ad finem parabolae non pertinet, sed ornamenti gratia additus est. Latet tamen haec veritas, in judicio unumquemque pro se rationem redditurum (2 Cor. 5, 10 ; Gal. 6, 5).

Nescio vos : vos non vidi inter virgines quae mihi obviam venerunt ; vos igitur non estis de numero invitatarum ; de meis non estis non vos. « Novit Dominus, ait s. Hier., qui sunt ejus. »

R. ad 3m. Parabola eo tendit ut nos doceat semper vigilandum esse, ne per adventum Domini (per mortem) ex improviso corripiamur in malo statu, seu male praeparati (2), utpote destituti bonis sanctisque operibus *(absque oleo)*.

---

(1) **Mira opinio.** S. Hier. : « Traditio, ait, Judaeorum est, Christum media nocte venturum, in « similitudinem Egyptii temporis, quando Pascha celebratum est et exterminator venit (Ex. 12)... « Unde reor et traditionem apostolicam permansisse, ut in die vigiliarum Paschae ante noctis dimi- « dium populum dimittere non liceat, exspectantes adventum Christi. Et postquam illud tempus « transierit, securitate praesumpta, festum cuncti agunt diem. » De hac autem traditione apostolica vide not. ad h. l. Hier., in ed. Migne. « Sed, ait Mald., haerendum est in Christi sententia : *Nescitis diem, neque* HORAM. Quod ergo *media nocte* venisse dicitur sponsus, nihil aliud significat, quam eo tempore venisse, quo minime exspectabatur. »

(2) Sunt qui conversionem semper differant : clamant *cras, cras :* sed haec est corvi vox (ut **lepide** ait s. Aug., *Serm.* 82 Migne) : dum ita crocitant, ostium clauditur, et isti foris manent cum corvis.

Sensus parabolae de decem virginibus.

Itaque *sponsus* est Christus, Ecclesia vero *sponsa:* sponsalia quidem in hac vita aguntur, sed *nuptiae*, quibus matrimonium spirituale per concubitum jam consummatur, significant introitum Ecclesiae ad gloriam coelestem post rerum consummationem, quando justi *rapientur obviam Christo in aera*, et in extremo judicio invitati ad nuptias *(Venite, benedicti) semper cum Domino erunt* (1 Thes. 4, 16): nempe perfectissima felicissimaque ratione cum Christo in aeterna beatitudine conjungentur ac copulabuntur. Virgines *prudentes* designant homines fideles, qui vigilantia utuntur continua, unde debito modo parati sunt quando judex advenit, igitur ii qui in statu gratiae moriuntur; virgines autem *fatuae* personam gerunt christianorum, qui, morte accidente, carent animae sanctitate et bonis operibus, quique ideo a superna gloria excluduntur.

Ex dictis consequitur per *virgines* generatim intelligi omnes homines (s. Hier.), puta *christianos:* Ecclesia autem, in Officio divino, haec virginibus proprie dictis **accommodat** (post s. Chrys.), quia illae grammatice nominantur, et ad literam prae ceteris designantur.

4° Parabola de talentis: 25, 14-30.

Praeced. vide ante q. 625.

M. 25, 14. Sicut enim homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, et tradidit illis bona sua. 15 Et uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem: et profectus est statim. 16 Abiit autem qui quinque talenta acceperat, et operatus est in eis, et lucratus est alia quinque. 17 Similiter et qui duo acceperat, lucratus est alia duo. 18 Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, et abscondit pecuniam domini sui. 19 Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, et posuit rationem cum eis. 20 Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi: ecce alia quinque superlucratus sum. 21 Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui. 22 Accessit autem et qui duo talenta acceperat, et ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. 23 Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.

24 Accedens autem et qui unum talentum acceperat, ait: Domine, scio quia homo durus es, metis ubi non seminasti, et congregas ubi non sparsisti: 25 et timens abii, et abscondi talentum tuum in terra: ecce habes quod tuum est.

[26] Respondens autem dominus ejus, dixit: Serve male et piger, sciebas quia meto ubi non semino, et congrego ubi non sparsi: [27] oportuit ergo te committere pecuniam meam numulariis, et veniens ergo recepissem utique quod meum est cum usura. [28] Tollite itaque ab eo talentum, et date ei qui habet decem talenta. [29] Omni enim habenti dabitur, et abundabit: ei autem qui non habet, et quod videtur habere, auferetur ab eo. [30] Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores: illic erit fletus, et stridor dentium. [31] Cum autem venerit etc. *Ante q. 627.*

Q. 626. Parabolam narra et explica, dicendo 1° quid Christus velit docere; 2° quid significetur per hoc quod talenta dentur unicuique *secundum propriam virtutem*: an ergo Deus dat gratiam secundum vires naturales? 3° Quare eamdem mercedem tribuit ei qui *quinque* talenta et ei qui *duo* tantum lucratus fuerat? 4° Quomodo servus piger suam culpam auget per verba quae domino dicit? 5° Respondet Dominus ipsum debuisse saltem foenerari pecuniam: an ergo usura ex mutuo licita erat? 6° Talentum servi pigri datur servo diligenti: an dona unius alteri cedunt in judicio?

In his sex punctis habetur **Compendium totius pericopae,** et simul **apta materia pro homilia.**

Parabola similis alias proposita. Praemoneo similem parabolam legi L. 19, 12 sqq., sed in aliis temporis rerumque adjunctis: tunc enim Christus loquebatur ad populum, et Jerichunte versabatur; nunc vero solis discipulis loquitur in monte Oliveti. Dico *similem,* quia plane eadem non est, quod attinet ad narrationis substantiam; namque in quibusdam partibus a parabola nostra recedit, et in alium finem tendit. Ibi 10 servi recipiunt singuli unam minam ad negotiandum; servus piger eam ponit in sudario nihilque lucratur; ideo mina ab eo aufertur et datur alii. In nostra autem parabola alia est bonorum distributio, aliud lucrum, et poena servo pigro inflicta multo gravior etc. Ergo non est una eademque parabola, ut vult Mald., sed duae sunt a Christo propositae, ut ait s. Chrys.

R. ad 1m. Christus duo docere vult:

a/ Rursum, ut in praecedenti parabola, monet nos oportere ut *simus parati* ad adventum summi judicis, ut inveniamur servi *fideles,* tales nempe qui non debeant timere ipsi rationem reddere suae agendi rationis, tales igitur qui mercedem ab eo obtinere mereantur: secus nos crudeli afficiendos esse supplicio.

b/ Vult ut singuli christiani, et imprimis praesules, doctores etc., donis et gratiis a Deo acceptis diligenter utantur : « Nihil, ait « s. Chrys., ita Deo gratum est, ut si vitam ad communem utili- « tatem ducas. » Servus autem *inutilis* per hoc ipsum quod nihil agat pro servitio heri sui, dicendus est servus *malus* et *infidelis* : « Non solum, ait s. Chrys., qui mala perpetrat, sed etiam is qui « bona non operatur, extremum supplicium luet. » — « Qui piger « est, ait s. Aug. *Serm.* 233, ed. M., in exhibendo opere, impudens « est in exigenda mercede. »

14. SICUT ENIM. . constructio irregularis : *tunc* (v. 1), in die judicii, *fiet sicut facit* homo peregre proficiscens, *qui* etc.

15. TALENTA : vide q. 522. UNICUIQUE : « Nullus piger, ait « s. Greg. M. *Hom. 9 in Ev.*, ab hac talenti acceptione securus « est. Nullus namque est qui veraciter dicat : Talentum minime « accepi, non est unde rationes ponere cogar... Consideremus ergo « quae accepimus, atque in eorum erogatione vigilemus. » — « Talenta enim, ait s. Chrys., hic vocantur quae in cujusque « potestate sunt, sive patrocinium, sive pecuniae, sive doctrina, « sive aliud quidquam hujusmodi. »

R. ad 2^m^. SECUNDUM PROPRIAM VIRTUTEM, animi vires, facultatem. Hoc, stricte loquendo, non ad finem parabolae, sed ad elegantiam historiae fictitiae spectat : namque in ordine supernaturali haec ipsa animi vis et facultas donum est Dei : gratia enim sanctificans conceditur, non pro meritis hominum, sed ex sola et gratuita Dei benignitate. Ideo contra Pelagianos et semi-Pelagianos docet Ecclesia, gratiam primam non dari secundum naturales vires et merita, imo nullam esse in natura facultatem (gall. *disposition positive*) qua haec per semetipsam directe sese ordinet et praeparet ad gratiam obtinendam. Verbis tamen *secundum propriam virtutem* innuitur, gratias et dona tanto majora accipi, quanto diligentior et fidelior sit hominis mutua opera (gall. *sa coopération*).

15. *Quinque talenta, alii duo* etc. Nolim sequi s. Greg. qui duo talenta interpretatur intellectum et operationem, adeoque donum majus quam 5 talenta : de cetero, mihi semper videtur applicationem quaerendam non esse in singulis illis circumstantiis quae parabolas vestiunt.

16. *Qui quinque talenta acceperat... lucratus est alia quinque.* Et

merito quidem magis quam alii lucrari studuit : quia qui plus ceteris in hoc mundo acceperunt, ab auctore mundi gravius inde judicantur. « Cum enim, ait s. Greg. *Hom. 9 in Ev.*, augentur « dona, rationes etiam crescunt donorum. »

19. *Post multum vero temporis :* ergo amplam dedit servis opportunitatem probandi suam industriam et fidelitatem. Sic unusquisque sufficiens temporis spatium, quo gratia accepta bene utatur, a Deo consequitur.

20. *Quinque talenta tradidisti mihi.* Non gloriatur in opere suo, et ideo non primum facit mentionem lucri, sed primum memorat quae accepit, ut ostendat se nihil lucrari potuisse sine beneficio domini sui. Sic nos sine praevia gratia nullum bonum salutare operari valemus : *Sine me nihil potestis,* ait Christus J. 15, 5.

21. *Euge :* in graeco εὖ, quod Bisp. vult conjungere cum verbis *fuisti fidelis,* hoc sensu : *Serve bone et fidelis, bene fuisti fidelis super pauca ; super multa* etc. Verum a Vulg. recedere nolim, quum L. 19, 17 εὖ (vera lectio) absolute ponatur pro εὖγε : deinde vocativus qui interponitur vetat nectere εὖ cum πιστος. — PAUCA : si in parabola sistas, quinque talenta certe non sunt res parva ; sed hoc jam pertinet ad rem significatam per parabolam : parva enim sunt terrena omnia, ut recte notat s. Hier., si cum pondere et amplitudine bonorum coelestium comparentur ; *Momentaneum et leve* etc. 2 Cor. 4, 17. — INTRA IN GAUDIUM etc. « Omnem beatitudinem per « hoc dictum ostendit » ait s. Chrys. Dicitur *intrare in gaudium,* ut significetur gaudium illud magnum esse et excedens humanam naturam.

R. ad 3^m^. V. **23.** Eamdem laudem eamdemque mercedem tribuit et ei qui *quinque* et ei qui *duo* talenta lucratus fuerat, quia Deus non tam ad ipsum donum, quam ad donantis affectum respicit. « Supernus arbiter, ait s. Greg. *Hom. 22 in Ev.*, etsi pondus con- « siderat in retributione, tamen vires pensat in pondere. » Minus erat pondus duorum talentorum, sed vires etiam portantis minores erant. Parabola alio tendit apud L. 19, 17, ubi dicitur alium servum super decem civitates, alium vero super quinque constitui.

R. ad 4^m^. V. **24.** *Metis ubi non seminasti* etc., i. e. plus requiris quam juste et convenienter exigere potes. Videtur fuisse vulgare proverbium, quo avaritia alicujus designabatur. Servus ille piger

suae culpam negligentiae in dominum rejicit, adeoque peccatum calumnia auget et aggravat.

25. *Timens abscondi talentum in terra*, ne illud per negotiationem perderem. Non sincero et honesto animo hoc dicit, sed est tantum praetextus quo suam negligentiam et pigritiam tegere vult. *Ecce habes* etc. : verba sunt plena arrogantiae, quibus servus ille piger, quum male sibi conscius sit, ad increpationem et accusationem transit, ut fieri solet : igitur suam iterum adauget culpam eamque ad culmen malitiae perducit. « Qui enim, ait s. Hier., simpliciter « debuit inertiam confiteri et orare patrem familias, e contrario « calumniatur, et dicit se prudenti fecisse consilio, ne dum lucra « quaereret, etiam de sorte periclitaretur. »

R. ad 5m. **26.** *Sciebas quia meto ubi non semino* etc. Dominus servo pigro pudorem incutit, eique os occludit ex ipsiusmet verbis, eadem in caput ejus vehementer retorquens.

27. *Oportuit ergo*, quum scires me durum esse et metere ubi non seminaverim, saltem pecuniam meam numulariis committere (quod certe laboriosum non erat), quia jus mihi est ut *quod meum est* (sicut tu dicis) cum fenore recipiam.

Inde non sequitur usuram ex mutuo a Christo universe et generatim haberi ut licitam : loquitur Salvator secundum ea quae fieri solebant, non tantum apud gentes vicinas, v. gr. apud Graecos et Romanos, sed etiam apud Judaeos : hi enim ab alieno fenus exigere poterant (Deut. 23, 19) ; id quoque faciebant, ut videtur, quando numulariis suae gentis pecuniam tradebant. An licite ? Parabola nostra innuit id aetate Christi per indulgentiam quamdam permissum fuisse : cf. L. 19, 23. *Innuit*, inquam ; sed non certo demonstrat : quandoque enim in parabolis talia ponuntur quae licita non sunt, quin tamen ea reprehendantur : v. gr. L. 16, 6 *Accipe cautionem tuam, et sede, cito scribe quinquaginta.* Vide etiam M. 13, 44, ubi de thesauro in agro invento sermo fit.

R. ad 6m. V. **28.** *Tollite ab eo et date* etc. Haec ad parabolae ornatum adjecta videntur (Mald.), ut dicatur quid rex in tali casu facile facturus esset : non oportet eis inhaerere ; nam dona unius, et merita, quae inde acquiri debent, in judicio non dantur alteri. Nisi cum Luca Brug. dicamus, justos tot bonis cumulandos tunc esse, ut dona reproborum in eos translata videri possint.

29. *Omni habenti dabitur* etc. : vide supra M. 13, 12. — *Quod videtur habere :* vera lectio hic est *ὁ ἐχει quod habet ;* sed apud L. 8, 18, ubi idem effatum occurrit, legitur *ὁ δοκει ἐχειν, quod videtur habere :* de cetero sensus non differt : qui habet et non utitur est quasi non haberet.

30. *In tenebras exteriores*, in gehennam : jam transit ad rem significatam. Sic ficulneae maledicitur M. 21, 19, quia *sterilis* est. Quod attinet ad vocem *tenebras*, notat s. Hier. : « Dominus lumen « est : qui ab eo foras mittitur, caret vero lumine. »

V. Descriptio ultimi judicii graphica : 25, 31-46.

Praeced. vide ante q. 626.

M. 25, 31. Cum autem venerit Filius hominis in majestate sua, et omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem majestatis suae : 32 et congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab haedis : 33 et statuet oves quidem a dextris suis, haedos autem a sinistris. 34 Tunc dicet rex his, qui a dextris ejus erunt : Venite benedicti Patris mei : possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. 35 Esurivi enim, et dedistis mihi manducare : sitivi, et dedistis mihi bibere : hospes eram, et collegistis me : 36 nudus, et cooperuistis me : infirmus, et visitastis me : in carcere eram, et venistis ad me. 37 Tunc respondebunt ei justi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, et pavimus te : sitientem, et dedimus tibi potum ? 38 quando autem te vidimus hospitem et collegimus te : aut nudum, et cooperuimus te ? 39 aut quando te vidimus infirmum, aut in carcere, et venimus ad te ? 40 Et respondens rex, dicet illis : Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.

41 Tunc dicet et his, qui a sinistris erunt : Discedite a me maledicti in ignem aeternum, qui paratus est diabolo, et angelis ejus. 42 Esurivi enim, et non dedistis mihi manducare : sitivi, et non dedistis mihi potum : 43 hospes eram, et non collegistis me : nudus, et non cooperuistis me : infirmus, et in carcere, et non visitastis me.

44 Tunc respondebunt ei et ipsi, dicentes : Domine, quando te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, et non ministravimus tibi ?

45 Tunc respondebit illis, dicens : Amen dico vobis : Quamdiu non fecistis uni de minoribus his, nec mihi fecistis.

46 Et ibunt hi in supplicium aeternum : justi autem in vitam aeternam. 26, 1. Et factum est etc. *Ante q. 632.*

S. Aug. *Ep.* 199, n. 45, ap. M. « Nullus ambigit, ait, de Christi « adventu novissimo et de fine seculi hoc praedictum fuisse. » Quod Christus jam supra 16, 27 indicaverat, illud nunc accuratius prosequitur, ut, judicii forma descripta, praecedentes monitiones de vigilantia et fidelitate confirmet, simulque per praedictionem judicii gloriosissimi, discipulos in fide roboret, ac praemuniat adversus scandalum crucis mox subeundum.

Q. 627. Quomodo fiet ultimum judicium?

R. Quatuor rerum capita distingui possunt: 1° praeparatio ad judicium; 2° separatio bonorum a malis; 3° sententia pro justis; et 4° tandem contra malos.

1° Praeparatio ad judicium.

Ea quae judicium ultimum proxime praecedent, jam exposuimus supra, q. 618. Ibi vidimus Christum judicem venturum esse externa specie aspectabilem, corpore glorioso indutum, nubibus coeli vectum, tamquam regem potentissimum, solio sedentem splendidissimo, Angelis suis circumdatum ac stipatum. Omnes autem homines omnium gentium, qui umquam vixerunt, ab initio usque ad finem mundi *(omnes gentes)*, Dei jussu et voce Angelorum a mortuis revocati, *congregabuntur*, sc. per Angelos, ante tribunal Christi. Illud *congregabuntur* omnino videtur significare *locum* quemdam *definitum*, in quo fiet judicium; atque illud inde confirmatur, quod homines corporibus induti erunt.

Hac occasione obiter solvenda est quaest. seq.

Q. 628. Num judicium in valle Josaphat fiet?

Locus judicii est incertus (ait Perrone, *De Deo Creat.*, p. 3, N° 900), quum Deus illum nobis notum facere noluerit; neque etiam (ut animadvertit Estius, *in 4^m Sent.*, dist. 48) multum refert id a nobis sciri.

Opinio vulgaris. S. Hil. *Can. 25 in M.* existimat fore locum Passionis; alii *verisimilius* (Luc. Brug.), quorum opinionem Estius l. c. dicit *nequaquam improbabilem*, putant fore locum Ascensionis: hoc autem intellige sensu lato de vicinia, nempe de valle Josaphat, Hierosolymam inter et montem Olivarum. Sic s. Thom. *Suppl.* 88, 4: « Quamvis, ait, nihil *certi* statui possit circa locum judicii, tamen « *probabiliter* potest colligi ex Scripturis, quod circa locum montis Oliveti descendet, « sicut et inde ascendit (Act. 1,12). »

Nititur inani fundamento. Haec autem opinio, jam vetustissima in Ecclesia, nititur imprimis textu quodam Joëlis 3, 2, 12 coll. Zach. 14, 4: ast immerito, teste Knab., nam ibi appellatio *vallis Josaphat* est allegorica, vallis ubi Dominus est *judex* (יְהוֹשָׁפָט *Jehovah judicavit*, judicium exercuit), qua non nomen alicujus vallis, sed res et eventus declaratur. Sicut Joël. 3, 14 eadem vallis dicitur *Vallis Concisionis* i. e. *caedis*, etiam symbolice, ut exprimatur quid per Dei judicium perficiendum sit.

A multis negatur.

S. Cyr. *in Joël:* « Frivola, ait, et anilia sunt quae ad Judaeos circumferuntur, « olim in valle Josaphat, ubi mortui in vitam redierint, Deum de omnibus

« judicium habiturum. » Doctor ille non quaerit locum quemdam determinatum pro judicio extremo : dicit enim de judice : « Ubique omnibus manifestus et ipse « in conspectu omnium erit, et omnes ubique ante ipsum erunt. » Adeo ut multiplex futura sit Christi praesentia corporalis, sicut in Eucharistia plurimis in locis simul praesens est Christus (Knab.).

Bergier quoque rejicit opinionem de valle Josaphat : in *Dict.* ita scribit : « *Sur l'équivoque du mot Josaphat* [*étymologiquement il sign. Dieu-juge ou jugement de Dieu*] *plusieurs commentateurs se sont persuadés qu'il était question du jugement dernier, et qu'il devait se faire dans cette vallée : c'est une opinion populaire, qui n'a aucun fondement :* saltem nullum habet fundamentum in s. Literis (Knab.). Etiamsi verba Joëlis de mundi interitu intelligantur, saltem sensu typico, ut ait Allioli ib., dictio tamen *Vallis Josaphat* non videtur sumenda de loco quodam determinato, puta de valle inter urbem et montem Oliveti (imo vero, non constat locum illum jam tunc temporis vocatum fuisse *Vallem Josaphat*, Knab), vel de alio loco quodam, de quo mentionem facit All. ib.; sc. prope Thecuam, 3 leucis ad meridiem Jerosolymae, ubi Josaphat hostes devicit, 2 Par. 20.

Si quis recedere nolit a traditione vulgari de valle Josaphat, qualis nunc nominatur, inter urbem et montem Olivarum, apte animadvertet cum Luca Brug., fieri posse ut vallis illa adeo amplianda sit terrae motu, quem descensus Domini excitabit, ut et totum Hierosolymae deletae situm et ipsum Calvariae locum complectatur : atque ita s. Hil. sententia cum opinione communi conjungetur.

His obiter notatis, pergimus solvere q. 627, et describimus ea quae fient in ultimo judicio.

2° Incipiet a separatione.

Omnibus itaque praeparatis, incipit judicium, atque in primo magni istius dramatis actu boni a malis separantur et divelluntur : v. **32** *sicut pastor* vespere *oves ab haedis*, quibuscum congregatae fuerant in pascuis, *segregat*, ne haedi petulanter agentes nocte perturbent ovile (1), ita *exibunt Angeli et separabunt malos de medio justorum*, M. 13, 49. Hac autem praevia disjunctione jam latum est judicium decretorium, quod Christus nunc solemniter promulgabit.

Sed antea, quasi per transennam, petitur utrum judicium voce externa quae auribus percipiatur pronuntiandum sit. Merito docet s. Th. *Suppl.* 88, 2, nihil certi definiri posse. Probabilius est, examen de singulis interius, i. e. sola mentis cogitatione, perficien-

(1) **Haedi** : ερίφοι, ερίφια, proprie *haedi*, mares caprearum ; sed cum hic agatur de ovibus videntur intelligi *arietes*, mares ovium. Alii putant designari *capreas ;* has autem ab ovibus dici separari, ut significetur distinctio inter vilius et melius. Malim ego vocem *oves* lato sensu sumere, pro grege universo, qui et oves et capreas simul habere solet in Oriente ; ideo etiam per *haedos* intelligo tum arietes quum haedos proprie dictos : hi autem ob petulantiam, libidinem et vitae immunditiem malos apte figurant. Cf. Ezech. 34, 17.

dum esse ; quia secus incredibile temporis spatium requireretur. Sic s. Aug. *De civ.* 20, 14 : « Quaedam vis est intelligenda divina, « qua fiet ut cuique sua vel bona vel mala cuncta in memoriam « revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut « accuset vel excuset scientia conscientiam, atque ita simul et « omnes et singuli judicentur. » Facile tamen putem, cum Luca Brug., sententiam generalem, hic ap. M. recitatam, clara voce a Christo proferendam esse.

3° Sententia judicis in gratiam justorum.

34. *Benedicti Patris mei :* ita vocantur, quia Pater per Filium, quem misit in mundum, benedictionem, i. e. gratiam sanctificantem et jus ad coelestem hereditatem, eis concessit. Benedictio enim Dei non est nudum verbum, sed vera beatitudo per eam efficienter impertitur.

Possidete : κληρονομησατε, in hereditatem accipite, jure pleno, legitimo et perpetuo possidete : « Quasi proprium, ait s. Chrys., « quasi paternum et vestrum, jam olim vobis debitum » : nimirum *paratum vobis regnum* (M. 20, 23 *Quibus paratum est a Patre meo*) *a constitutione mundi.* Deus enim statim ut mundum creavit, *paravit* et praedestinavit mercedem coelestem hominibus quorum bona opera et merita praevidit : hoc sensu *paratam* fuisse patet ex seq. *Esurivi enim* etc. — *A constitutione mundi* (απο) non sign. *ab aeterno,* neque απο idem est ac προ : *praedestinatio* quidem facta fuit ab aeterno (Eph. 1, 4; 1 Petr. 1, 20), sed *regnum paratum* fuit in ipsa mundi creatione, hoc sensu quod tunc locus regni aptatus fuerit (*locus,* nam homines necessario in loco vel spatio existunt).

Sola opera misericordiae allegat.

35. *Esurivi* etc. De solis beneficentiae ac liberalitatis operibus loquitur : quia hinc quidem omnia legis mandata ad caritatem reduci possunt (cf. q. 583, ad 3^{m}), illinc vero dilectio fraterna, modo sit recte ordinata, ab amore Dei sejungi nequit : cf. 1 Joan. 4, 20 *Qui non diligit fratrem suum quem videt, Deum* etc.; Rom. 13, 8 *Qui diligit proximum, legem implevit* etc. Adde amorem proximi

indicari, quia ex eo certius concludi potest amor Dei, siquidem prior non tam facile simulatur quam posterior; ut jam notavi supra M. 19, 18.

37. *Tunc respondebunt justi* etc. Judicii narratio formam induit **dramaticam,** eo fine ut res ipsa majore cum vi menti auditorum exhibeatur, et quasi coram oculis eorum pingatur. Non enim putandum est justos id revera interrogaturos esse, quum id probe cognituri sint; sed Jesus eos ita loquentes inducit, ut animis nostris firmius altiusque imprimat hanc veritatem : misericordiae actiones, quibus inopia christianorum pauperum (1) sublevetur, haberi tamquam si in gratiam ipsius Christi factae fuissent; « Ut intelligamus, ait Luc. Brug., quam grata sint supremo judici ista opera, et quam sedulo debeamus in his incumbere. »

40. *Quamdiu*, gr. ἐφ'ὅσον *in quantum;* sensus est : quidquid dedistis illis, mihimetipsi tribuistis. Sibi autem ea fieri jam docuit supra M. 10, 40 : vide ib.

4° Sententia contra malos.

41. *Discedite a me :* poena damni, seu privatio visionis Dei. *In ignem aeternum :* poena sensus. *Ignem* ait, quia ad declaranda reproborum tormenta, sermo humanus non habet aliam vocem magis congruam et significantiorem : *igne* enim dolores infliguntur quam maxime acuti et ingentes. *Maledicti :* non addit *Patris mei*, tum quia vox *Pater* signat amorem et benedictionem, tum praesertim quia (s. Chrys.) impii per actiones malas sua sponte et voluntate exsecrationem sibimet ipsi induxerunt.

Q. 629. Ignis corporeus in inferno.

De fide est dari infernum, in quo impii poenis afficientur crudelissimis et aeternis; cetera vero, quae ad locum vel naturam suppliciorum spectant, de fide non sunt, ut testatur Perrone, *De Deo Creat.*, p. 3, N° 729 : etenim, inquit Petavius *De Ang.* 3, 5, 7, nullo Ecclesiae decreto adhuc obsignatum videtur, neque ulla in synodo sancitum illud est, sc. vel ignem esse corporeum, vel suppliciorum locum esse sub terra. Nos tamen adhaeremus sententiae in Ecclesia vulgo receptae, ignem esse *corporeum* (gall. *matériel*), sed longe diversum ab eo qui nunc est in mundo.

---

(1) *Uni ex his fratribus meis minimis :* directe indicantur *christiani* egestate vexati (*minimi*, inferioris conditionis, pauperes); sed alii homines, qui christiani non sunt, haudquaquam excluduntur.

Haec enim doctrina *theologice certa* est, adeo quidem ut absque temeritate in dubium vocari nequeat: cf. Perr. N° 730. De igne corporali vide Suar. *De Ang.* 8, 12; et Petav. *De Ang.* 3, 4. Spiritus quoque cruciari igne *veris sed miris modis* tradit s. Aug. *De Civ.* 21, 10. « Iste ignis divinus, ait Lact. 7, 21, una eademque vi « ac potentia et cremabit impios et recreabit; et quantum e corporibus absumet, « tantum reponet; ac sibi ipse aeternum pabulum subministrabit. » Alibi Christus meminit *tenebrarum, sulphuris, vermis, fletus ac stridoris dentium*: quae certe etiam corpus afficient.

Q. 630. Aeternum esse infernum.

Dogma catholicum de aeternitate poenarum adversus antiquos Origenistas, et recentiores incredulos, ex hoc loco demonstratur. Dictio enim *ignis aeternus* secundum strictam et totam verborum vim sumenda est, quum praemium coeleste, quod justis decernetur, quodque certo aeternum erit, directe atque ex adverso ei opponatur, v. 46. Alius locus luculentissimus habetur 2 Thess. 1, 9: *Poenas dabunt in interitu aeternas a facie Domini* (Cf. *Comm.* nostr. *in Ep. Paul.*, 6ª ed. 1899). Mc. 9, 42-48 Salvator loquens de poena gehennae, *vitae aeternae* quasi e diametro opposita, ter repetit terribilia Is. 66, 24 verba *Vermis eorum non moritur, et ignis non exstinguitur.*

41. *Paratus est diabolo et angelis ejus:* non ait *paratus est vobis,* quemadmodum de regno coelorum statim dixerat, quia daemones ante hominem peccaverunt, atque ipsorum causa primum conditus fuit inferorum carcer. S. Chrys.: « Ego regnum vobis paravi, « ignem vero non vobis sed diabolo, et angelis ejus: quia vos in « ipsum conjecistis, id vobis reputate. » Homines enim a Deo creati fuerunt ad vitam et gloriam. Neque addit, ut supra, *a constitutione mundi,* propterea quod Angelorum creatio (quorum nonnulli facti sunt *daemones*) praesentem mundi exstructionem seu opus sex dierum praecessisse videatur.

42. *Non dedistis,* etc. « Si pro eo quod bene non faciant sic « condemnentur, putas quales poenas exsolvent pro eo quod « peccant (Auct. op. imperf.) »

Q. 631. Memorare novissima tua frequenter.

Obiter nota utilissimam esse frequentem de *inferno* meditationem: « Nullus ex « iis, ait s. Chrys. *Hom. 2 in ep. 2 ad Thess.*, qui gehennam habent ante oculos, « incidet in gehennam; nullus ex iis qui gehennam despiciunt, effugiet gehennam... « Nihil est aeque utile atque de gehenna disserere. Nam etsi molestia afficit « auditorem, ei tamen prodest maxime. » Ratio ab eodem paulo ante traditur: « Metus majorem vim habet quam promissio; » haec est enim natura hominis; haec animi nostri indoles atque ingenium.

Illudque ipsum de *Judicio* assidue recogitando dicendum est: quamobrem praescribit Cat. Trid. (ubi de 7° art. Symboli) ut pastores fidelis populi auribus saepissime inculcent quae ad tremendum illud factum spectant.

Et generatim de *quatuor* hominis *novissimis* sedulo et meditari et praedicare oportet: namque Eccli. 7, 40 *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis.* Juvat exemplum s. Aug. proponere, qui *Conf.* 6, 16: « Nec me revocabat, ait, a « profundiore voluptatum carnalium gurgite, nisi metus mortis et futuri judicii. »

Atque haec quidem historiae Dominicae facta et verba ad 2^m^ Evangelii nostri partem referenda videbantur. Manet jam ut in 3^a^ et ultima parte fata Jesu omnium gloriosissima, etsi luctuosissima, diligentius exponamus.

TERTIA EVANGELII PARS.

CRUCIATUS, MORS ET RESURRECTIO CHRISTI.

A Cap. XXVI usque ad finem Evang.

In inscriptione hujus 3ae partis non addidi ascensionem, quia de hac nihil habet M.: quaedam tamen de glorioso illo eventu, in fine commentarii hujus, per modum complementi tradam.

Connexio, argumentum et divisio. Secundam Evang. nostri partem conclusimus cum celeberrima et terribilissima praedictione de mundi fato et ultimo judicio, in qua **summa** Christi **gloria** simul descripta fuit. Quae nunc sequuntur, ad Passionem Domini, in qua **summam** ejus **ignominiam** videbimus, plus minusve directe spectant omnia. Quaedam enim tamquam praeparatio ad eam haberi possunt, deinde veniunt ea quae ad ipsammet Passionem referuntur, tandem reliqua cum cruciatibus et morte Jesu arctissime connectuntur, tamquam talia quae ex iis profluant eaque compleant. Ideo ultimam hanc Evang. partem, in qua omnia vitae Dominicae mysteria perficiuntur et summatim colliguntur (s. Hier. *Comm. in Eph.* 1, 10), ad tres sectiones revocari posse opiner, quarum in 1a de iis quae Passionem proxime praecesserunt, in 2a de ipsa Passione, et in 3a de Christi resurrectione et ascensione erit disserendum.

SECTIO Ia.

DE IIS QUAE PASSIONEM PROXIME PRAECESSERUNT. 26, 1-35.

Summa rerum et divisio. Quae Passionem proxime praecesserunt, biduo ante eam, arctam cum ipsa conjunctionem habent, adeo quidem ut historiam ejus praeparare dicenda sint. Etenim 1° clare et

distincte praedicitur luctuosum Jesu fatum brevi adventurum esse. 2° Synedristae ultimum deliberant de ipso occidendo ; imo vero 3° pactum hunc in finem cum Juda proditore ineunt. 4° Paulo post, ultima coena, quae duplicem figuram Jesu immolandi (agnum paschalem et ss. Eucharistiam complectitur), jam praeparatur, et 5° denique celebratur. Erunt igitur quinque paragraphi hic tractandi.

§ I. CHRISTUS INSTANTEM MORTEM SUAM PRAEDICIT : 26, 1, 2.

Praeced vide ante q. 627.
M. 26. 1. Et factum est : cum consummasset Jesus sermones hos omnes, dixit discipulis suis : 2 Scitis quia post biduum Pascha fiet, et Filius hominis tradetur ut crucifigatur. 3 Tunc congregati sunt etc. *Ante q. 635.*

Mc. 14, 1. Erat autem Pascha et Azyma post biduum ; et quaerebant summi sacerdotes etc.

L. 22, 1. Appropinquabat autem dies festus Azymorum, qui dicitur Pascha : 2 et quaerebant etc.

1. *Et factum est : cum consummasset Jesus sermones istos*, formula qua M. ad historiam Passionis Dominicae transit. Simili loquendi genere pluries utitur, quando novam partem in vita Christi inchoat (v. gr. 11, 1 ; 13, 53 ; 19, 1) ; vel etiam cum simpliciter vult ad aliud argumentum transire, v. gr. M. 7, 28 post Orat. Mont. Istud *et factum est* redundat per modum hebraismi : Hebraeis enim scriptoribus admodum solemne est, ait *Bynaeus (*De morte Ch.* I, 1, 4), ut in ipso historiae initio, vel in medio cum novum quid auspicantur, verbum וַיְהִי *vajehi* i. e. *et fuit*, vel *et factum est* praemittant (Ruth 1, 1 in hebr. ; Gen. 4,3).

2. *Post biduum.* Salvator haec dixit feria 3ª vespere ; nam vespere feriae 5ae Pascha manducavit (1). Ad solos Apostolos, quibuscum in montem Oliveti feria 3ª vespere se receperat, loquebatur : cf. M. 24, 1-3.

Q. 632. Quam opportuna fuerit haec praedictio.

« Rursus opportune, ait s. Chrys., de passione loquitur, quando « de regno, de retributione futura et de aeternis cruciatibus verba « fecerat. » Igitur summae gloriae, in qua venturus erat ut judex universi generis humani, subjungit vaticinationem de turpissima

(1) Utrum Jesus eodem die ac ceteri Judaei Pascha celebraverit, inquiremus infra q. 1170.

sua et acerbissima morte : ad illud vero audiendum Apostoli per praecedentes sermones praeparati erant. Indirecte monentur etiam, mala temporalia timenda non esse, siquidem tot et tanta in coelis bona eis statim antea promissa fuerant.

Pascha fiet. Quum ap. M. prima mentio occurrat de hoc festo, quaedam de eo notamus : 1° de nomine, et 2° de ipso festo.

Q. 633. De sensu vocis Pascha.

S. Hier. hic : « *Pascha,* ait, quod hebraice dicitur *Pesach* [פֶּסַח], non a passione « [a graeco πασχειν *pati*], ut plerique arbitrantur [s. Iren. 4, 23; Tert. *Adv. Jud.* 10; « Lact. 4, 26; s. Ambr., *De Cain* 2, 8; s. Chrys. *Hom. 5 in 1 Tim.*], sed a **transitu** « nominatur [hebr. פָּסַח *pasach* sign. *transire, praeterire*], eo quod exterminator, « videns sanguinem in foribus Israelitarum, pertransierit, nec percusserit eos. » Cf. Ex. 12, 1 sq. *Pascha,* פַּסְחָא est Chaldaica forma : in Vulg. dicitur *Phase,* ex hebraeo *pasach, phasah, phase.*

Jam vero tria praesertim sign. πασχα :

1° *Agnum* mactandum et comedendum : M. 26, 17 *Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ?* Mc. 14, 12; L. 22, 7.

2° *Sacrificia* quae tunc fieri debebant secundum Num. 28, 19. Hoc sensu vox legitur Deut. 16, 2; forsitan etiam J. 18, 28 *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha* (ita multi : alii sumunt sensu consueto de agno).

3° Tandem proprie et stricte **dies festos**, quibus agnus mactandus erat ceteraque sacrificia offerenda : hic M. 26, 2; Mc. 14, 1; L. 22, 1; J. 18, 39. Dies festi Paschatis proprie erant *septem*, a 15° Nisan usque ad 21 inclusum : aliquando tamen numerantur *octo,* quia dies 14 Nisan, in cujus 2ª vespera agnus manducandus erat, et in quo omne fermentatum jam auferendum erat, connumeratur, et habetur tamquam 1ª dies festi Paschalis : sic M. infra v. 17; sic etiam Mc. 14, 12. Ideo dies illi vocabantur etiam *dies Azymorum*, ut Mc. et L. in loco parall., et festum Paschatis vocabatur *festum Azymorum* חַג הַמַּצּוֹת : vide infra M. 26, 17.

Q. 633bis. De festo Paschatis.

Festum *Paschatis* erat unum ex tribus festis majoribus (*Pasch.*, *Pent.*, *Scenop.* seu Tabern.) in quibus omnes Judaei masculi et adulti, in Palaestina habitantes, vi legis tenebantur (Ex. 22, 14; Deut. 16, 16) Tabernaculum vel Templum adire (*apparere coram Domino Deo*, ait lex), ut munera et sacrificia offerrent. Quod etiam Judaei, qui extra Palaestinam morabantur, in quantum fieri poterat, perficiebant.

Pascha autem erat omnium festorum solemnissimum, in memoriam liberationis ex Aegypto institutum, ad quod spectabat praesertim esus agni Paschalis (de hoc agno cf. q. 649). Foeminae vi legis non tenebantur celebrare illud festum : « Pascha foeminarum est arbitrium » Mischna, *Kidd.* 61. Solebant tamen aetate Christi urbem petere pro Paschate (sic Maria fecit cum Jesus esset 12 annorum L. 2, 41), et hoc suadebat schola Hillel.

Iter ad festa fiebat solemniter per comitatus cognatorum et vicinorum (*en caravanes*) L. 2, 44. Sic explicatur quomodo in 1ª panum multiplicatione tanta esset multitudo, q. 636 ad 4m. Inter incedendum cantabantur Psalmi Graduales 120-132.

FIET, gr. in praes. *fit;* pariter *traditur :* quia res proxime futura tamquam praesens sistitur. Ante 2m membrum *et Filius hominis* mente supplendum non est *scitis.*

Tradetur ut crucifigatur : jam saepenumero praedixerat mortem suam (vide q. 1147 et q. 540) ; sed nunc primum ipsum definivit diem.

***Q. 634.** Repetitionis gratia. Quandonam, ubi et quibus Christus diem certum et statum, quo moriturus esset, primum indicavit? — Vide statim dicta.

§ 2. SYNEDRISTAE ULTIMUM DELIBERANT DE JESU OCCIDENDO.

QUAESTIO GENERALIS PROOEMII CAUSA.

Praemoneo valde utile esse, ad historiam Jesu patientis plenius intelligendam, varias cognoscere occasiones rerumque adjuncta singula, in quibus Judaei se adversarios Christi ostenderunt. Ideo quaestionem quamdam generalem prooemii loco tractandam duxi, *de inimicitiis contra Jesum paulatim ingravescentibus* : sed, quum quaestio haec satis ampla sit, eam remittemus ad calcem libri in Append. IV, Excurs. 43, q. 1155.

Synedristae statuunt Jesum occidere, sed non die festo.

Praecedd. vide ante q. 632.

M. 26, 3. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, et seniores populi, in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas : 4 et consilium fecerunt ut Jesum dolo tenerent. et occiderent. 5 Dicebant autem: Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo. 6 Cum autem Jesus etc. *Ante q. 638.*

Mc. 14, 1... Et quaerebant summi sacerdotes et Scribae quomodo eum dolo tenerent, et occiderent. 2 Dicebant autem : Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.

L. 22, 2. Et quaerebant principes sacerdotum, et Scribae, quomodo Jesum interficerent : timebant vero plebem.

Q. 635. *Quare Synedrium iterum congregetur.* Cum Synedristae contra Jesum primum convenerant J. 11, 47, statuerant ipsum prehendere et occidere ib. 53 et 57, palam nempe et publice, adhibitis etiam vi et armis: sed consilium illud perficere non potuerunt, quia Salvator se occultavit J. 11, 54 ; et quando postmodum Hierosolymis coram omnibus se ostendit, jam praecesserat ingressus ejus triumphalis, tantaque ei adhaerebat turba, ut comprehensio

ejus tumultum excitasset: J. 12, 19 *Ecce mundus totus post eum abiit;* L. 19, 48 *Non inveniebant quid facerent illi.* Ideo judices nunc iterum congregantur, ut quaerant *quo modo* L. ipsum de medio tollant. Quid autem in isto conventu decreverint, mox dicemus.

Hominum consilia frangit Deus. Memorabile autem est Judaeos, eodem tempore quo Jesus tam clare tamque distincte praedicebat se *post biduum,* die festo Paschatis, cruci affigendum esse, statuisse ipsum occidere quidem, sed alio die : adeoque illum, qui tradendus esset, horam sceleris melius cognovisse quam eos ipsos qui crimen perpetrarent. Veritas dicti hujus popularis *L'homme s'agite et Dieu le mène,* vel, quod eodem recidit, *Homo decernit, perficit Deus,* nusquam eluxit evidentius quam in historia Passionis Dominicae.

Omnia autem, quae hoc paragrapho continentur, ad 5 capita revocari possunt. Ea jam in sequenti quaestione distinguemus.

Compendium totius pericopae.

Q. 636. 1° Quandonam synedristae ultimum deliberarunt de Jesu comprehendendo ? 2° Ubinam ? 3° Sub quo summo pontifice ? 4° Quid facere statuerunt? 5° Per quem inopinatum casum immutatum fuit eorum consilium ?

R. ad 1m. Eodem circiter tempore (*tunc* v. **3**) quo Jesus diem mortis suae certum fixumque nuntiavit ; puta sequenti mane, igitur feria IV ultimae hebdomadis. Nota *totum* Synedrium convenisse : Mc. enim et L. addunt *Scribas.*

Propter istud concilium, vel propter proditionem Judae, qui venit pactum cum eis facere quando adhuc deliberabant, vel immediate post habitum concilium, ab antiquis Ecclesiae temporibus introductum fuit jejunium feriae IV ; sicut jejunium fer. VI in memoriam mortis Jesu. Testimonia affert Knab.

Ad 2m. *In atrio* Caiphae, summi sacerdotis. Per *atrium* αυλην quidam intelligunt locum apertum, sub dio (J. 10, 1, 16, ubi de *caula* gregis dicitur), sc. aream inter parietes vacuam (Apoc. 11, 2, ubi de *atrio Templi*) ; adeoque putant Synedristas sub dio inter se collocutos fuisse. Verum longe probabilius est, per synecdochen partem pro toto poni, et ipsum significari palatium ; quo sensu vox *atrium* adhibetur Mc. 15, 16, ubi de Jesu flagellando dicitur in

graeco : *adduxerunt eum intus in aulam quae Praetorium est*, sc. in interius aliquod Praetorii cubiculum. Pariter L. 11, 21 *Cum fortis armatus custodit atrium suum* etc. Synedristae non in conclave suum solemne et speciale, quod *Gazith* vocabatur, conveniunt, sed in domum summi sacerdotis, quemadmodum post captum Jesum fecerunt : unde concludimus magnum illum gentis Judaicae Senatum conclavi suo non ita affixum fuisse, ut, cum tempus aut opportunitas posceret, alio convenire illi non licuerit. Vel admittendum est quod dicunt Thalmudistae, 40 annis ante eversam Urbem conclave *Gazith* derelictum fuisse.

R. ad 3m. Sub CAIPHA : nomen ejus primigenium erat *Joseph*, sed cognominabatur *Caiphas* Καϊάφας, quod testatur etiam Jos. *Ant.* 18, 2, 2 : ideo M. accurate loquitur, cum ait QUI DICEBATUR CAIPHAS, quia hoc cognomine magis notus erat iste.

Quum primum de *Caipha*, cujus magnae fuerunt partes in historia Passionis, sermo fiat, pauca de ipso praefari oportet.

Q. 637. Quis fuerit Caiphas.

Joseph, cognomento *Caiphas*. ad summum pontificatum evectus fuit a Procuratore Judaeae, Valerio Grato (Jos. l. c.), anno 25 aer. Dion. Eo autem munere functus est sub Pilato, sed post hujus exilium a Vitellio Proconsule dignitate spoliatus fuit (Jos. *Ant* 18, 4, 3), a. 36 chron. n. : ergo post 11 annos (Knab. post 17 annos, sc. ab. a. 18 usq. ad a. 36). Porro Annae, olim summi sacerdotis, viri potentissimi, gener erat. Mentis ejus pravitatem satis novimus ex J. 11, 49, ubi dicit expedire *ut unus moriatur pro populo ;* et praesertim ex agendi ejus ratione, cum Jesus (J. 18, 19) et cum Apostoli (Act. 4, 6 ; 5, 17) coram Synedrio judicati fuerunt. In Act. 5, 17 innuitur ipsum fuisse Sadducaeum, asseclam sectae deterrimae et impiae; quod quidem confirmatur ex vaferrimo ejus consilio *Expedit ut unus moriatur pro populo* J. 11, 49. *C'est un Machiavéliste qui parle, un homme sans conscience, et qui ne croit à rien, sinon à la puissance de l'astuce.*

Atque haec quidem de Caipha, scelesti coetus praeside scelestissimo, obiter sint dicta : audiamus jam **quid in Synedrio contra Jesum statutum fuerit.**

R. ad 4m. a/ Renovato proposito v. 4, antea inito, Jesum prehendendi et occidendi, b/ iniqui judices inter se consultant de *modo* quo id tutius certiusque perficiant (*quomodo*, ait L.). Duo autem hac de re statuunt :

1° *Dolo* uti atque insidiis M. et Mc., non (sicut antea decreverant J. 11, 49 sq.) aperta vi aut armis, quia populum cui Jesus acceptus erat *timebant* L. Ergo volunt rem ita peragere, ut populus nesciat

(et proinde impedire non possit), et ut Jesus sine culpa Synedrii interemptus videatur. Simul examinant quemnam hunc in finem adhibebunt dolum (Mc. *quomodo dolo tenerent*).

2° Decernunt M. **5** et Mc. nihil attentandum esse *die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Per *diem festum*, την ἑορτην, totum septiduum, quemadmodum J. 7, 14, non primus solemnitatum dies, significatur ; nam tanto tempore adesse solebat populus ingens : cf. L. 2, 43. Mos tamen olim erat apud Judaeos sontes insigniores ipsis festis diebus plectere, ut exemplum perveniret ad plures (*Byn., *De morte J.*, hic). A more autem recepto recedendum putant, *ne forte tumultus* fiat *in populo.*

Populi tumultus timetur.

Quod quidem ut melius intelligatur, animadvertendum est, eo tempore, occasione Paschatis, innumerum adfuisse populum (1), in quo maximus tumultus facile oriri potuisset (ut saepe factum fuisse novimus ; unde Romani solebant tunc milites ibi in armis habere : Jos. *Ant.* 20, 5, 3) ; eo vel magis quod multi ex turba, praesertim Galilaei, Jesu plane faverent, uti patuit in ingressu ejus triumphali. Igitur, Judaeorum proceres, ex una parte sibimet ipsi timent, et merito quidem, tum a plebe tumultuante, quum a Romanis ob tumultum iratis : ex altera vero parte, praevident fore ut ita mors Jesu obtineri non possit. Ideo volunt exspectare donec dies festi praeterierint (s. Chrys.), atque adeo advenae, sacris ritibus absolutis, urbem reliquerint.

Mald. ita : *diem festum praeveniamus ;* sed huic explicationi obstat, multitudinem, quam timebant, eo tempore jam fere totam adfuisse : quod colligitur ex J. 11, 55 ; 12, 12.

R. ad 5m. Eorum autem consilium, oblata per Judam occasione (de qua dicemus infra q. 645) mutatum fuit, ut ait s. Chrys. Probabile est ex proditione istius Apostoli eos conclusisse multos alios esse qui non adeo Jesu faverent, et solum opus esse ex sua parte

(1) **Os latius.** Jos. dicit in quodam Paschate adfuisse 2, 556, 000 virorum nulla macula legali affectorum : si ponamus decimam horum partem, seu 255, 600 virorum (praeter mulieres et pueros), esset jam innumerus certe populus in urbe haud adeo spatiosa. Vide not. marg., supra M. 24, 21. Mihi videtur Flav. Josephum sincerum quidem fuisse, sed mentem ejus vitio quodam *megalomaniae* affectam fuisse quoad *numeros :* hoc interdum apud certas personas animadvertitur.

fortitudine et audacia ut plebem a Jesu averterent: qua conjectura illos deceptos non fuisse eventus ostendit.

Paragr. insiticius.

UNCTIO JESU BETHANIAE FACTA: 26, 6-13.

Praeced. vide ante q. 635.

M. 26, 6. Cum autem Jesus esset in Bethania in domo Simonis leprosi, 7 accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi, et effudit super caput ipsius recumbentis. 8 Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes: Ut quid perditio haec? 9 Potuit enim istud venundari multo, et dari pauperibus.

10 Sciens autem Jesus, ait illis: Quid molesti estis huic mulieri? Opus enim bonum operata est in me: 11 nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habetis. 12 Mittens enim haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit. 13 Amen dico vobis: Ubicumque praedicatum fuerit hoc Evangelium in toto mundo, dicetur et quod haec fecit in memoriam ejus. 14 Tunc abiit unus etc. *Ante q. 645.*

Mc. 14, 3. Et cum esset Bethaniae, in domo Simonis leprosi, et recumberet: venit mulier habens alabastrum unguenti nardi spicati pretiosi, et fracto alabastro, effudit super caput ejus. 4 Erant autem quidam indigne ferentes intra semetipsos, et dicentes: Ut quid perditio ista unguenti facta est? 5 Poterat enim unguentum istud venundari plus quam trecentis denariis, et dari pauperibus. Et fremebant in eam.

6 Jesus autem dixit: Sinite eam, quid illi molesti estis? Bonum opus operata est in me: 7 semper enim pauperes habetis vobiscum: et quum volueritis, potestis illis benefacere: me autem non semper habetis. 8 Quod habuit haec, fecit: praevenit ungere corpus meum in sepulturam. 9 Amen dico vobis: Ubicumque praedicatum fuerit Evangelium istud in universo mundo, et quod fecit haec, narrabitur in memoriam ejus.

J. 12, 1. Jesus ergo ante sex dies Paschae venit Bethaniam, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitavit Jesus. 2 Fecerunt autem ei coenam ibi: et Martha ministrabat, Lazarus vero unus erat ex discumbentibus cum eo. 3 Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistici, pretiosi, et unxit pedes Jesu, et extersit pedes ejus capillis suis, et domus impleta est ex odore unguenti.

4 Dixit ergo unus ex discipulis ejus, Judas Iscariotes, qui erat eum traditurus: 5 Quare hoc unguentum non veniit trecentis denariis, et datum est egenis? 6 Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur, portabat.

7 Dixit ergo Jesus: Sinite illam, ut in diem sepulturae meae servet illud. 8 Pauperes enim semper habetis vobiscum: me autem non semper habetis.

Q. 638. *Conc. hist.* Unctio illa, de qua hic M., cui pro more concinit Mc., probabiliter eadem est quam narrat J. 12, 1-8, quaeque ingressum triumphalem praecessit, et sex dies ante Pascha contigit. Igitur M. et Mc. factum illud extra temporis seriem posuerunt, certe ut rationem redderent pessimae proditionis Judae, quam statim postea referunt, quaeque causa fuit quare synedristae

contra decretum suum Jesum die festo comprehenderint; vel etiam ut ostenderent Christum scientem et volentem morti obviam ivisse, atque adeo confirmarent praedictionem apud M. v. 2 expressam. Itaque locus praesens M., qui connexionem internam et logicam cum pacto proditoris habet, chronologice pertinet ad cap. 21, 1.

S. autem Chrys. *in M.* 26, 6 censet unctionem, quam describunt hic M. et Mc., eamdem non esse ac illam quam J. 12 memoriae prodit. Putat enim unctionem M. et Mc. eam esse quam L. 7, 36 sq. narrat, quaeque a muliere peccatrice facta est : atqui peccatricem diversam esse a Maria Lazari omnino tenet (l. c. et *Hom. in J.* 11, 1).

Obiter animadverte probabile non esse quod censet s. Chrys. unctionem in convivio apud Simonem Pharisaeum a L. 7, 36 narratam eamdem esse ac illam quam M. hic 26, 6 refert : tempus, enim et locus omnino diversa sunt, quum unctio de qua L. 7, 36 facta fuerit in Galilaea satis diu ante Passionem.

Semel tantum in historia Evangelica mentio fit de *Nardo*, nempe in unctione Bethanica : antequam hanc exponamus quaedam notabimus de *Nardo* tunc adhibito.

Q. 639. Nardum.

Erat unguentum seu aroma pretiosissimum, quo veteres multopere delectabantur. Plin. *N. H.* 12, 21 dicit libram nardi emptam fuisse 400 denariis (plus quam 280 fr.), hic vero in Evang. aestimatur 300 denariis. Certe agitur de nardo genuino, nam saepe adulterabatur per unguentum ex aliis plantis aromaticis (*pseudonardum*), ut testatur Plin. 12, 26.

Nardum autem authenticum veniebat ex India (Plin. 16, 59), unde in emporia Syriae, et e Syria in Europam advehebatur : sic nardum olim praecipue celebratum Tarsi emebatur. De hoc unguento mentio fit Cant. Cant. 4, 13, et juxta Vulg. etiam 1, 12.

Aroma potissimum e radice exprimebatur. Aliquando vino miscebatur, Plin. 14, 19, 5, imo purum bibebatur : ideo plures nardum *pisticum* πιστικη hic apud Mc. intelligunt *potulentum, liquidum*, α πιω πινω *bibo*. Alii autem explicant per *genuinum*, non adulteratum, α πιστις *fides, quod fidem facit*, sic s. Hier. hic ; sed πιστικος non occurrit hoc sensu nisi in graecitate recentiori sec. IV et V. Ideo quidam, ut s. Aug. *in J.*, adjectivum deducunt a nomine alicujus oppidi, a *Pista* in Perside. Vulgata vertit *spicatum* Mc., quasi vox graeca πιστικη sit a latina *spicata* transpositis nempe literis (Erasm. *ad Mc.*), sicut 2 Tim. 4, 13 φαιλονη deducitur a latina *paenula*.

Oleum nardi emebatur in parvis ampullis ex alabastride lapide (hic apud M. et Mc.) ita confectis ut collum haberent longum et angustum, adeo quidem ut quando sigillum aperiebatur aroma guttatim deflueret (atque ideo ampullae istae

vocabantur *gutti*). Quando quis volebat magnam copiam unico tractu effundere, collum frangebat, ut Maria fecit hic ap. Mc.

Nunc ad historiam nostram.

Q. 640. Collatis Evangelistis, unctionem Jesu Bethaniae factam cum omnibus rerum adjunctis enarra. Dico *collatis Evangelistis*, ut J. cum M. et Mc. concilietur.

Praenoto unguentorum usum apud Judaeos frequentem fuisse : cf. not. marg. ad M. 6, 17.

R. Locus : Bethania M. v. **6**, Mc, J. Tempus : sex dies ante Pascha J. Hospes : Simon *Leprosus* M. Mc. : ita certe cognominatus quod olim lepra infectus fuerat, sicut Matthaeus 10, 3 se dicit ὁ τελώνης quia olim *publicanus* fuerat. Martha ministrabat (1), et Lazarus erat unus e convivis J. : « Hoc verae resurrectionis signum « erat, ait s. Chrys. hic *in J.*, quod post multos dies et viveret, « et manducaret. » Mulier v. **7**, quae Jesum unxit, est Maria, soror Lazari et Marthae J. Adhibitum fuit unguentum copiosissimum (*libra* J.) et pretiosissimum *(plus quam 300 denariis* valebat, Mc., J.), quod *nardum spicatum* vocatur (Mc. in Vulg.), puta (Beda) e *spicis* herbae cujusdam, sc. *nardi* collectum (2). In graeco est πιστικη, uti apud J. *unguentum nardi pistici*, i, e. probabiliter *genuini*. Maria illud effudit in *pedes* Jesu eosque exstersit capillis suis J. ; deinde fregit vas Mc., et quod ex unguento supererat, in *caput* Jesu ad mensam recumbentis conspersit M. et Mc. Ita s. Aug. *De cons. Ev.* 2, 79 Evangelistas inter se conciliat. Tanta autem erat unguenti copia et suavitas, ut *domus impleta fuerit ejus odore* J. (3).

Pedes inunctos fuisse apud Judaeos, nullum in s. Scriptura exstat exemplum, praeter illud quod hic agitur, et aliud L. 7, 38. Apud Graecos etiam et Romanos satis rarus fuisse videtur mos ille, et signum erat deliciarum aut luxuriae speciale (vide Baron. ad a. 32, 26 ; nimis tamen absolute hic loquitur). Nihil porro

---

1) Quia *Martha* ancillari Christo solebat (hic, et L. 10, 40), factum est ut apud Belgas quaevis ancilla vocetur *Martha, maarte* : *Byn. post. Drus.

(2) Dico e *spicis collectum*, ut sensum tradam vocis *spicatum*, quam habet Vulg. apud Mc. : sed aroma illud non tam e spicis quam e foliis et praesertim e radice nardi exprimebatur ; ideo etiam vox *spicatum*, qua vertitur πιστικος, minus accurata nonnullis videtur : vide statim dicta in q. praeced.

(3) **Unguentum subtile, non pingue aut oleosum.** Obiter nota duo fuisse unguentorum genera, quorum alterum spissum erat et oleosum, quo quis liniebatur ; alterum vero liquidum, tenue et fluidum (gall. *une sorte d'essence, comme l'eau de rose ou l'eau de Cologne*), quo quis perfundebatur : ultimum hic intelligitur (ut Ps. 132, 2 *unguentum... quod descendit in barbam* etc.), quum secus corpus vestesque fuissent maculata.

mirum est in eo quod recumbentium *nudi* essent pedes, quum veteres ante convivia soleas deponerent, ne lectum vestesque stragulas conspurcarent. Servi hac in re ministrabant invitatis (ad hanc consuetudinem respicitur M. 3, 11 *Non sum dignus calceamenta portare;* Mc. 1, 7). Convivae autem ad mensam non *sedebant*, sed *accumbebant* (cf. q. 654, 2), adeo ut pedes discalceatos post se protenderent : quam ob causam Maria pedes Jesu ita prostrati commode ungere potuit.

Pedes unxit et extersit J. : sed, aiunt quidam, si eos post unxionem exstersit, unguentum simul abstulit ; ideo aliquam verborum trajectionem admittunt : *extersit* pedes (quos, ut putant, Maria antea aqua laverat) *et dein eos unxit.* Hoc autem plane est gratuitum, solo libitu excogitatum, nullaque fultum ratione ; praeterea, alibi etiam legimus membra inuncta mollibus linteis abstersa fuisse. Maria vero capillos suos (quos prolixos et promissos gestare solemne erat mulieribus, 1 Cor. 11, 5) adhibuit, ex singulari quadam in Jesum observantia.

Mulier autem illa pia, post unctos pedes, eam liquoris partem, quae in vasculo suo remanebat, in **caput** Jesu effudit. Obiter nota *caput* fuisse illud corporis membrum, quod in conviviis ungebatur frequentissime : L. 7, 46 *Oleo caput meum non unxisti.* Jam vero, ut omnis liquor, ad ultimam quidem guttulam, effunderetur, Maria *fregit alabastrum* seu ampullam ex allabastrite lapide. Sunt qui putent alabastrum, hoc sensu dici *frangi*, quod sigillum obturamenti perfractum fuerit : quasi *fregit* dictum sit pro *aperuit*, ut Syr. et aeth. ; sed hoc ponitur gratuito : vere *fregit.*

Objicitur fragmenta vasculi in caput Jesu cadere, vel partem unguenti pretiosi in terram deperdi debuisse. Respondetur id vasorum genus fuisse colli longioris et angustioris, ut supra notavi. Maria igitur post pedes unctos, os angustum fregit, quo unguentum, quod in pleniore orbe continebatur, citius largiusque in caput Salvatoris effluueret.

Judas murmurat, v. 8. Quod cum peregisset femina sancta, liberalis et munifica, indignati sunt *discipuli* M. *quidam* Mc., atque irae sensa fremitu aut murmure exterius ostenderunt (*fremebant in eam* Mc.) ; imo in haec proruperunt verba: *Ut quid perditio haec? Potuit enim* v. 9 *istud venumdari multo et dari pauperibus.* Sed, vel

unus Judas ita affectus fuit, ut tradit J. : *dixit Judas... : Quare hoc unguentum non veniit* 300 *denariis et datum est egenis ?* adeo ut apud M. et Mc. pluralis *genericus* sit pro singulari (M. 2, 20) ; vel alii nonnisi post ipsum, et ipso instigante, illud dixerunt, bono certe animo, utpote tales qui pauperum solliciti vere essent. SS. Hier. et Aug. *De cons. Ev.* 2, 79 utramque afferunt conciliandi rationem; ultimam praefero cum Beel. *Gramm.* p. 176.

Fur erat. Rationem autem secretam, quare ita locutus sit Judas, addit Joannes : *Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum,* non quia de ipsis adeo cogitabat, *sed quia fur erat, et loculos habens, ea quae mittebantur,* sc. eleemosynas quae Jesu offerebantur, *portabat :* εβασταζε, quod cum Orig. et Theophyl *in M.* melius sumitur hoc sensu : *auferebat,* surripiebat, germ. *wegtrug* (sicut J. 20, 15 *si tu sustulisti* εβαστασας *abstulisti eum*). Secus esset tautologia; nam si loculos habebat, certe portabat pecuniam : « Ministerio porta- « bat, furto exportabat, » ait lepide s. Aug. *in J.*

Dominus autem, qui mentem Judae avaram furacemque probe cognitam habebat, mulieris causam sibi duxit agendam.

Maria laudatur ob unxionem.

Tria autem rerum capita distinguimus in iis quae ad ejus defensionem dixit :

a/ Significavit eam reprehendendam non esse : M. v. **10** *Quid molesti estis huic mulieri ?* Et specialiter ait proditori J. *Sine eam* (αφες vera lectio, non *sinite* ut Vulg.). Mc. vero habet plur. *sinite,* et, secundum ipsum, Salvator ad omnes loquitur discipulos murmurantes (concinit M.) : Judam tamen specialiter objurgare volebat ; atque ideo J. numerum singularem adhibet *sine.*

b/ Pergens dein Jesus diserte affirmat *opus* ejus *bonum* esse M. et Mc., et propter duplicem quidem causam : nempe

11. *a/ Semper,* ait, *pauperes habetis vobiscum, me autem non semper habetis :* pauperes manent apud vos, ego autem non maneo (1) ; semper habebitis occasionem pauperes adjuvandi, non semper

(1) Non mansit Jesus *in corpore mortali,* sed, ut ait s. Aug. *in J.,* mansit « Secundum majesta- « tem suam, secundum providentiam, secundum ineffabilem et invisibilem gratiam. » Adeo ut nulla sit contradictio inter *Me non semper habetis,* et M. 28, 20 *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.*

occasionem me honorandi : mox e vita discedam et sepeliar. — Ergo laudabile fuit istud mulieris officium, quo ultima vice ostensum fuit Jesum summo honore dignum esse. — Veritas certe generalis est pauperes semper in mundo futuros esse (Deut. 15, 11 *Non deerunt pauperes in terra habitationis tuae*), sed hoc non vult dicere Christus.

12. *b*/ Unctio illa sepulturae meae profutura est : *Mittens enim haec*, ait M., *unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum* (1) *me fecit*. Mc. autem sic : *Quod habuit haec fecit*, i. e. quod potuit, fecit ; oblata occasione usa est. *Praevenit ungere corpus meum in sepulturam*, potius ex graeco, *ad pollincturam*. Verbis autem J. in loco parall. haud parva inest difficultas, quae obiter exponenda est.

Q. 641. Verba nondum plene explicata.

Vera lectio (teste *Tisch. 7ª ed.), cui patrocinatur etiam Sin., sequens videtur : *αφες αυτην, ινα εις την ήμεραν του ενταφιασμου μου τηρηση αυτο*, *sine illam, ut in diem pollincturae meae illud servet*. Hanc lectionem refert etiam Vulg. (excepto verbo *sinite* loco *sine*), atque eatenus haec versio praestat Textui Recepto, de cujus lectione infra dicemus.

Jam vero, sensus verborum secundum illam lectionem probabiliorem admodum difficilis est, neque invenire potui, ingenue fateor, explicationem quae plene satisfaciat.

Sensus obvius est : noli ei molestus esse, sine illam ut unguentum illud conservet usquedum veniat corpus meum a cruce depositum pollingere ; igitur, sine ut illud non vendat in pauperum gratiam, sed mihi dispenset. Verum petitur qua ratione ipsa dicatur servatura unguentum, quod jam effusum erat. Bisping post Rupert. ita : sine ut quod superest de unguento illo conservet ad etc. Verum, unguentum totum effusum fuerat, fracto vase. Beelen : sine eam quietam esse ; oro te, liceat ipsi quod non vendiderit istud unguentum, sed servaverit ad diem pollincturae

(1) Loco *sepeliendum* habetur gr. *ενταφιασαι*. quod proprie significat : ad **pollingendum** corpus meum, ut illud *ad sepulturam componeret* et praepararet. Mos erat in Oriente corpora mortuorum aromatibus condire : cf. J. 19, 40, ubi de pollinctura corporis Jesu. Docte s. Aug. *Locut. de Gen.* 1 : « Ενταφιασται, ait, id agunt quod exhibetur corporibus humandis, vel condiendo « vel siccando, vel involvendo et alligando ; in quo opere maxime Aegyptiorum cura praecellit. »

meae, quem hic et nunc praevenit. Quantopere haec explicatio vim verbis inferat nemo non videt. Satius ducerem admittere lectionem Textus Recepti : *Sine illam, in diem pollincturae meae servavit illud*, quamvis, inspectis et perpensis codicibus et versionibus, haec minus probabilis habenda sit. Sensus tunc facilis redditur : unguentum in gratiam pauperum non vendidit, sed servavit ut nunc me illo pollingeret, atque adeo corpus meum proximo funeri praepararet : quod concinit cum Mc.

De cetero Maria, ut videtur multis, animum ad hunc finem minime intendebat, quippe quae, aiunt, de morte Christi instante nihil cogitaret ; sed rem ita ordinavit divina Providentia, ut actio mulieris insciae huc spectaret. Nihil tamen impedit quominus admittamus cum Bisp. feminam illam, dilectione erga Jesum plenam, ex praedictionibus Jesu (M. 17, 22) certitudinem vel saltem quamdam praesensionem hausisse fore ut ipse non amplius maneret diu in terris ; atque ob hanc rationem voluisse vivo potius quam mortuo hoc pietatis amorisque officium praestare.

c/ Tertium tandem quod Servator in defensionem Mariae dixit, illud est v. **13** : non solum bonum esse opus ejus, sed magna cum laude ubique terrarum illud nuntiatum iri : *Ubicumque praedicatum fuerit hoc Evang.* etc. M. ; pariter Mc. Obiter nota hic iterum, ut fere ubique, cum de morte sua loquatur Christus, triumphi mentionem simul ingeri.

Quod autem attinet ad effectum hujus unctionis, Judas tunc consilium iniit immutabile prodendi Jesum M., v. **14**, et Mc., ut exponemus infra, q. 645.

***Q. 642.** *Pro memoriae exercitatione.* Circa unctionem Jesu, quam sex dies ante mortem ejus fecit Maria, soror Lazari, quaeritur : 1° Quaenam corporis membra delibuta fuerunt ? 2° Quodnam erat unguentum, quod vocatur apud Mc. nardum *spicatum*, apud J. *pisticum ?* Varias hac de re affer sententias, et Mc. cum J. concilia. 3° Quanti pretii erat ? 4° Quinam hac occasione murmurarunt et quare ? 5° Quid respondit Jesus ? — Resp. collige ex dictis.

Quoties unctus fuerit Jesus.

***Q. 643.** Quaestio generalis, qua facta similia *synthetice* recensentur. Quoties, a quibus, et in quibus rerum adjunctis, unctus fuit Jesus ?

R. Saltem bis, et probabilius ter.

1° A peccatrice, inter convivium apud Simonem Pharisaeum, in Galilaea, ineunte vita Christi publica, L 7, 36 sqq.

2° A Maria, sorore Lazari, inter coenam quae Bethaniae in domo Simonis Leprosi facta est (vide q. praeced.). Aliqui (s. Chrys. *in M.* 26, 6) putant unctionem unam eamdemque ac praecedentem fuisse, sed Lucam, cum loqueretur de iis quae in Galilaea evenerunt, anticipasse hanc historiam, quae postea, sex dies ante mortem Christi in Judaea, sc. Bethaniae, contigit. Verumtamen longe probabilior est sententia s. Aug. *De cons. Ev.* 2, 79 et s. Hier., qui eas habent distinctas, propterea quod rerum adjuncta plene sint diversa, ut ex collatis Evangelistis elucet. An fuerit eadem mulier quae duas illas fecerit unctiones, seu num Maria Lazari eadem ac peccatrix fuerit (quod Occidentalium plurimi post s. Greg. M. tenent), inquiremus q. 1179.

3° A Nicodemo et Josepho Arimathaeensi corpus Jesu de cruce depositum unctum fuit in sepulturam, J. 19, 40 (1). Obiter animadverto, mulieres sanctas etiam illud facere voluisse, sed impeditas fuisse cum nonnisi post Jesu resurrectionem ad sepulcrum venerint.

Quarum unctionum mentio fiat in N. T.

***Q. 644.** Hac occasione additur quaestio generalissima: 1° de quibus unctionibus mentio fit in Evang.? 2° De quibus in N. T.?

R. ad 1m. Praeter illas quas in q. praeced. recensuimus, Apostoli, ait Mc. 6, 13, *ungebant oleo multos aegrotos et sanabant*. Nota hic non designari medicamentum, sed signum agnoscendum esse supernaturalis potentiae, quod adhibebatur ut in aegrotis fiducia excitaretur major (2). *Insinuatur* (ait Trid. 14, 1) Sacram. Extremae Unctionis, nempe veluti per typum quemdam. Tandem M, 6, 17 sermo fit de unctione vulgari: *Cum jejunas, unge caput tuum*, ait Salvator.

R. ad. 2m. Insuper s. Jacobus 5, 14 et 15 scribit de unctione infirmorum, per quam Sacram. Extr. Unct. confertur.

§ 3. JUDAS PACTUM INIT TRADENDI JESUM: 26, 14-16.

Praeced vide ante q. 638.

M. 26, 14. Tunc abiit unus de duodecim, qui dicebatur Judas Iscariotes, ad principes sacerdotum: 15 et ait illis: Quid vultis mihi dare, et ego vobis eum tradam? At illi constituerunt ei triginta argenteos. 16 Et exinde quaerebat opportunitatem ut eum traderet. 17 Prima autem die etc. *Ante q. 646.*

Mc. 14, 10. Et Judas Iscariotes, unus de duodecim, abiit ad summos sacerdotes, ut proderet eum illis. 11 Qui audientes gavisi sunt: et promiserunt ei pecuniam se daturos. Et quaerebat quomodo illum opportune traderet.

L. 22, 3. Intravit autem satanas in Judam, qui cognominabatur Iscariotes, unum de duodecim. 4 Et abiit, et locutus est cum principibus sacerdotum, et magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. 5 Et gavisi sunt et pacti sunt pecuniam illi dare. 6 Et spopondit. Et quaerebat opportunitatem ut traderet illum sine turbis.

Q. 645. Quid narratur in Evang. de pacto quo Judas Jesum

(1) Certum non est corpus Jesu tunc vere *unctum* fuisse, nempe *oleo* odorifero *delibutum* fuisse; namque, ut dicemus infra in q. 938, fortassis adhibita fuit mistura aromatum *pulverulenta*.

(2) Simile quid legitur J. 9, 11 ubi Jesus luto *unxit* oculos caeci nati.

tradere promisit ? Distincte refer quosnam proditor adierit, quidque eis proposuerit ; quomodo ejus conditiones acceptae fuerint ; quid miser ille dein fecerit.

Responsum e locis statim recitatis et ex annotationibus exegeticis, quas nunc subjungimus, facile colligetur.

14. Tunc : in sententia quam supra adoptavimus, secundum quam unctio facta fuit sex dies ante Pascha, *tunc* refertur ad v. 3-5, dum Synedrium deliberabat, vel paulo post habitum concilium. Itaque Judas Christum vendidit feria IV, et sequenti die tradidit, quando vespere coenaculo egressus Judaeorum principes adiit, eosque cum caterva armata ad hortum Oliveti conduxit. Propter istud proditionis scelus, vel propter consilium in Synedrio statutum occidendi Jesum, quod eodem die fuit initum (cf. q. 636), ab antiquissimis temporibus feria IV jejunium in Ecclesia observatum fuit : Const. Apost. 8, 24 ; 4, 14.

Jam diximus, secundum plerorumque sententiam, cui adhaeremus, historiam uncti Jesu praeter ordinem temporis a M. et Mc. hic insertam fuisse, ut quae de proditione Judae deinceps narrentur perspicuiora fierent. Probabile enim est Satanam in miserum istum Apostolum *intrasse* L. statim ac Servator proditori dederat monitionem, quam M. in historia illius unctionis refert, M. 26, 10-13. Ipse tamen pessimum consilium aliquamdiu tardavit, ut opportunam quaereret occasionem : hanc autem invenit, cum audivit Synedrium adversus Jesum convocandum fore, vel, quod alii opinantur, jam congregatum fuisse.

Judas sinit se instigari a diabolo.

Quod autem attinet ad verba L. *Intravit Satanas in Judam*, non corporalem indicare videntur possessionem, sed significant Satanam Judae suggessisse consilium hoc vere diabolicum, eumque ad scelus non solum incitasse, sed et induxisse eum ut ei assentiretur. Eodem sensu J. 13, 2 : *Cum diabolus*, ait, *jam misisset in cor ut traderet eum Judas*. S. Aug. *in J.* : « Missio ista spiritualis sug- « gestio est... Fit per cogitationem, ac per hoc non corporaliter « sed spiritualiter. »

Fide carebat iste (cf. q. 717, 3°). Jam diu antea Judas fidem amiserat : namque J. 6, 65 ait Christus *Sunt quidam ex vobis qui non*

credunt, et praesertim indigetat Judam, ut testatur Evangelista addens haec verba *Scibat enim ab initio Jesus qui essent non credentes, et quis traditurus esset eum.* Ideo paulo post affirmate dicit Jesus v. 71 : *Unus ex vobis diabolus est.* Et Joannes notat v. 72 : *Dicebat autem Judam... hic enim erat traditurus eum.* Ergo jam ante annum Judas non credebat in Christum, et in societate ejus manebat solummodo propter temporale commodum.

Ex amore pecuniae egit. ABIIT... JUDAS etc. Causa proxima horrendi criminis, a Juda commissi, videtur fuisse avaritia seu amor pecuniae immoderatus (*Fur erat*, J. 12, 6) : novimus enim verissimum esse quod dixit Sapiens: *Avaro nihil est scelestius*, Eccli. 10, 9. « C'est une honte pour l'humanité, dit Mgr Mislin *Les Lieux S.*, mais tant qu'il y aura quelqu'un pour payer la trahison, il y aura des traîtres. »

Ex ejus exemplo discimus, quousque pravae animi cupiditates, si initio non cohibeantur, hominem perducere possint.

Principiis obsta ; sero medicina paratur,
Cum mala per longas invaluere moras.

Et ex defectu fidei. Addere debemus Judam *fidem* non habuisse, ut statim demonstravimus, et ideo in imam pravitatem facile devenisse, quum fides *radix* sit aliarum virtutum. Deinde quia fidem non habebat, in peccato mansit obduratus, et impoenitens mortuus est : sic quotidiana experientia docet conversionem peccatoris sperandam non esse, quando semel in corde ejus fides est prorsus extincta.

Unus de duodecim: animadverte illud ab omnibus hic additum fuisse ; et non sine causa, quum rei atrocitatem adaugeat ; quasi dicatur : quam perversa mens, quam ingratus animus in eo qui a Jesu specialiter electus fuerat, cuique insigne beneficium continuae ejus praesentiae concessum fuerat ; imo vero, qui post hoc scelestissimum pactum, ad ultimam Christi coenam admissus fuit, ubi etiam (secundum communiorem sententiam) inaestimabile donum ss. Communionis ac simul eximiam dignitatem Ordinis sacerdotalis accepit ! Nonne Christus cum Psalmista exclamare merito potuisset Ps. 54, 13 : *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique :... tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos ; in domo Dei ambulavimus cum consensu...*

AD PRINCIPES SACERDOTUM (adduntur *Scribae* in syr., aeth., arm.), et ad *magistratus* L., στρατηγους i. e. duces militiae templi, ut ait Syrus: cf. L. 22, 52; Act. 4, 1; 5, 24. Intelligendi sunt duces excubiarum, quas Judaei in Templo habebant, quaeque ex Levitis et sacerdotibus compositae erant. Sunt qui putent Judam ad *Synedrium* accessisse, eo ipso tempore quo judices de Jesu dolo capiendo deliberarent: verba tamen *principes sacerdotum* et *magistratus* seu *praefecti templi* summum illud tribunal designare non videntur. Fortasse paulo post habitum concilium proditor ad quosdam Judaeorum magistratus venit. Utcumque haec sunt, nefarius ille, ait Ven. Beda *in Mc.*, « Non a principibus invitatus, « non ulla necessitate constrictus, sed sponte propria sceleratae « mentis iniit consilium. »

15. QUID VULTIS MIHI DARE, ET EGO VOBIS EUM TRADAM? « Infelix Judas, ait s. Hier., damnum quod ex effusione unguenti « se fecisse credebat, vult Magistri pretio compensare. » Sicut miser ille loquuntur peccatores, si non verbis, saltem factis, quum propter rem temporalem, ut triplicem pascant satientque cupiditatem (gall. *concupiscence*), Jesum, per gratiam sanctificantem in corde suo habitantem, indigne produnt.

GAVISI SUNT Mc. et L., quum nihil accidere posset ipsis optatius, quam ut, promovendis conatibus suis, hominem istum e selectiore Jesu grege invenirent opportunum.

An Judas statim accepit nummos?

CONSTITUERUNT EI M.: εστησαν αυτῳ in sensu obvio et consueto, ubi de pecunia, vel mercede adhibetur, sign. *appenderunt* seu *solverunt ei*. Si hunc sensum amplecti velimus, dicere debemus Marcum et L. minus distincte locutos fuisse, et retulisse Pontifices statim paratos fuisse ad pendendam pecuniam, idque pacto constituisse. Cui addit M., eos etiam deinde dedisse quod promisissent. Alii, cum Vulg., syr., et arab., Theophyl., vertunt hic *constituerunt*, *stabiliverunt*, seu *pacti sunt ei dare* (cf. Act. 7, 60), quia hoc diserte dicitur apud Mc. et L.; opinantur autem pecuniam ei traditam fuisse paulo serius, nempe post proditionem peractam: non enim eam fidem habuissent nebuloni, ut in antecessum ei nummos numerassent.

Tringinta argenteos, sc. *siclos*, germ. *30 Silberlingen*, fl. *zilverstukken*, gall. *pièces d'argent* (non *30 deniers*, ut quandoque dicitur). Solus M. pretium proditionis tradit, hic et infra 27, 9, ubi adducit oraculum in quo eadem pecuniae summa indicatur. Multi, post Rabbinos, putant duplicem siclorum speciem apud Judaeos fuisse : siclum (propie שֶׁקֶל *Schekel*) sanctuarii, et siclum communem, quorum posterior nonnisi dimidium prioris fuisset. *Bynaeus *De morte J.* non admittit nisi unum siclum, qui *sanctuarii* vocatur, quia in sanctuario asservabantur exempla ad quae cuncta a sacerdotibus exigebantur (Lev. 27, 25), et quem solum agnoscit Jos. *Ant.* 3, 8, 2 cum dicit : « Siclus Atticas capit drachmas quatuor. »

Pretium servi !

Utut res se habeat, siclus *argenteus*, de quo loquitur M., certo intelligi debet *siclus sanctuarii*, cum pecunia e thesauro Templi esset deprompta. Valebat autem uno statere vel 4 drachmis, seu 4 denariis Romanis, ideoque aestimatur fere fr. 2,80 nostrae monetae, adeo ut totum proditionis pretium summam 84 francorum haud superaret (1). Moyses Ex. 21, 32 statuit 30 siclos in mulctam solvendos esse a domino cujus bos servum vel ancillam cornibus occidisset ; servus seu captivus bellicus redimitur etiam eodem pretio, ap. Jos. *Ant.* 12, 2, 3 (drachmis ait 120, i. e. 30 siclis) : atque tali pretio venumdatus fuit Dominus coeli et terrae ! En quomodo hic semetipse *exinaniverit* et formam *servi* verissime acceperit, Phil. 2, 7. Eheu ! haud raro accidit, ut christiani pro re vilissima Jesum Sanatae tradant, cum pro modico rei terrenae emolumento, aut ad satiandam abjectissimam libidinem, peccato mortali se inquinant !

Obiter nota, Josephum, a fratribus invidis pretio 20 argenteorum venditum, extraneisque traditum Gen. 37, 28, figuram gessisse Christi Domini, a discipulo venditi et a Judaeis invidis in Roma-

(1) Pretinm illud 84 francorum statuitur in supposito quod denarius valeat 0,70 centesimis : sunt qui majorem valorem tribuant denario, et 30 argenteos dicant esse circiter 100 fr. (Fill.). Sed, aiunt quidam, summa illa erat nimis exigua ut agro in vicinitate urbis Jerusalem emendo sufficeret (cf. infra q. 777). Responderi potest agrum non fuisse adeo magnum, ejusque solum forsitan fuisse excavatum a figulis, qui inde lutum desumpserant, atque ideo parvi pretii fuisse. Ceterum, Jeremias legitur 32, 9 agrum quemdam emisse pretio siclorum *septemdecim*.

norum potestatem dediti. Figura tamen perfectior et concinnior esset si Joseph 30, non 20, argenteis venditus fuisset.

§ 4. PASCHA A JESU EJUSQUE APOSTOLIS MANDUCANDUM PRAEPARATUR : 26 17-19.

Praeced. vide ante q. 645.

M. 26, 17. Prima autem die Azymorum, accesserunt discipuli ad Jesum, dicentes : Ubi vis paremus tibi comedere Pascha ? 18 At Jesus dixit : Ite in civitatem ad quemdam, et dicite ei : Magister dicit : Tempus meum prope est, apud te facio Pascha cum discipulis meis. 19 Et fecerunt discipuli sicut constituit illis Jesus, et paraverunt Pascha. 20 Vespere autem facto etc. *Ante q. 653.*

Mc. 14, 12. Et primo die Azymorum quando Pascha immolabant, dicunt ei discipuli : Quo vis eamus et paremus tibi ut manduces Pascha ? 13 Et mittit duos ex discipulis suis, et dicit eis : Ite in civitatem, et occurret vobis homo lagenam aquae bajulans, sequimini eum: 14 et quocumque introierit, dicite domino domus quia magister dicit : Ubi est refectio mea, ubi Pascha cum discipulis meis manducem ? 15 Et ipse vobis demonstrabit coenaculum grande, stratum : et illic parate nobis. 16 Et abierunt discipuli ejus, et venerunt in civitatem : et invenerunt sicut dixerat illis, et paraverunt Pascha.

L. 22, 7. Venit autem dies Azymorum, in qua necesse erat occidi pascha. 8 Et misit Petrum et Joannem, dicens : Euntes parate nobis pascha, ut manducemus. 9 At illi dixerunt : Ubi vis paremus? 10 Et dixit ad eos : Ecce introeuntibus vobis in civitatem, occurret vobis homo quidam amphoram aquae portans : sequimini eum in domum, in quam intrat, 11 et dicetis patrifamilias domus : Dicit tibi Magister : Ubi est diversorium, ubi pascha cum discipulis meis manducem ? 12 Et ipse ostendet vobis coenaculum magnum stratum, et ibi parate. 13 Euntes autem invenerunt sicut dixit illis, et paraverunt pascha.

Antequam verba Evang. exponamus, occasione illius quod dicitur de *ultimo Jesu Paschate* praeparando, inquirimus num Pascha hoc 4^{m}, an vero 3^{m} sit in vita Jesu publica : inde enim definiendum est quantum temporis spatium in ea admittere debeamus.

Q. 646. Num 3, an 4 Paschata in vita Jesu publica ?

R. Quatuor statuunt communiter auctores, adeo ut vita publica fuerit circiter 3 1/2 annorum ; tria tantum admittunt nonnulli, quo casu Jesus nonnisi per 2 1/2 annos praedicasset. De 1° Paschata mentio fit post nuptias Canae, J. 2, 13. Vide q. 169. 2° Cum plerisque auctoribus intelligimus 2^{m} Pascha apud J. 5, 1 ; alii vero putant ibi sermonem esse de *festo Sortium* seu *Purim*. Sed hoc nobis videtur minus probabile : tale non erat festum ut Salvatorem attraheret ; fere totum consistebat in delectationibus mundanis et lascivis, cum maledictionibus contra Aman ; deinde mos non erat ut Judaei ad illud festum ascenderent Hierosolymam. Lectio ἡ ἑορτη cum art., quae indicaret *Pascha,* magnas habet auctoritates. Tertium autem (secundum alios 2^{m}) paulo post priorem panum multiplicationem evenit, J. 6, 4 : huic interesse probabiliter non potuit Jesus, propter vitae periculum

quod Hierosolymis timendum erat. Tandem 4m (vel, ut alii volunt, 3m) illud est in quo Christus interemptus fuit.

Q. 647. 1° Quandonam mandavit Jesus ut Pascha sibi praepararetur ultimum? 2° Quid lex Mosaica praescribebat quod attinet ad agnum paschalem? 3° Quinam ex discipulis jussi sunt praeparationem illam perficere? 4° Quam domum eligere debebant? 5° Explica verba *coenáculum magnum stratum* L.

R. Ut historia illa melius intelligatur, et responsum fiat plane accuratum, universam Evang. narrationem per breve commentarium elucidabo : inde quilibet positam quaestionem facile solvet.

Q. 648. Panis azymus in Paschate.

17. PRIMA DIE AZYMORUM, primo dierum festorum quibus manducandi erant panes azymi : dies autem illi incipiebant 14° mensis Nisan ad occasum solis, quo tempore edendus erat agnus paschalis; per integros septem dies a pane fermentato abstinendum erat; imo vero, per totum illud intervallum vetitum erat panem fermentatum domi habere, idque sub gravi poena *expulsionis e coetu Israel:* Ex. 12, 15 et 19 (suppliciumne capitis, an vero exilium intelligatur non constat).

Haec autem lex, de pane azymo edendo, statuta erat in memoriam illius quod factum fuerat, quando Israelitae ex Aegypto tanta cum festinatione exierunt, ut farinae massam fermentare non possent: Ex. 12, 33, 39; Deut. 16, 3. Ratio etiam mystica latet in hoc quod festo illo tempore, quo figurabatur Pascha christianorum, immolatione Jesu Christi agni Dei (tum in cruce, quum in ss. Eucharistia) consecratum, panis edendus sit purus et sincerus, ab omni fermenti corruptione alienus (cf. 1 Cor. 5, 7). — Errat Tac. *Hist.* 5, 4 cum dicit : « Raptarum frugum argumentum panis Judaicus nullo fermento retinet » : non enim ultra illud septiduum (vel octiduum) azymis utebantur Judaei, illumque morem propter causam longe nobiliorem servabant.

Prima autem die Azymorum : duplici modo intelligi potest : vel 1° tamquam dictio impropria hoc sensu : die illa (sc. 14 Nisan) in cujus vespera incipiebat prima dies Azymorum, seu die illa *in qua* (in cujus 2is vesperis) *necessse erat occidi Pascha* L. Secundum hanc interpretationem verba L. *venit dies Azymorum* significant (s. Chrys.): prope erat, nam vespere incipiebat. 2° Alii vero notant in Thal-

mude *Pesach.* 1 praescribi ut jam 14ª die mensis primi seu Nisan circa meridiem omnes panis fermentati reliquiae e domibus singulari cura auferrentur; atque ideo putant diem istam saepe dici *diem primam Azymorum:* proinde verba *venit dies Azymorum*, et *prima die Azymorum*, sensu obvio et stricto sumunt, cum s. Hier. « Prima azymorum, ait, 14ª dies mensis primi est, quando agnus « immolatur, et luna plenissima est, et fermentum abjicitur. » Hanc interpretationem praefero. Sic Flav. Jos. *octo* Azymorum dies nonnumquam numerat, v. gr. *Ant.* 2, 15, 1.

Igitur Jesus die 14ª Nisan (erat feria 5ª) ante vesperam ad urbem non accessit, neque etiam pridie eo venisse videtur, sed mansit in monte Oliveti (vel, secundum quosdam, Bethaniae, in domo Lazari), in solitudine et silentio biduum transigens, quasi ad mortem se ita praeparare vellet. E monte Oliveti misit (1) duos e discipulis ad Pascha, quod vespere manducandum erat, rite et legitime praeparandum.

Ergo Christus die legali, 14ª Nisan in 2is vesperis, Pascha celebravit, ut tradunt Synoptici: sed J. videtur admittere Jesum praevenisse diem legalem et pridie Pascha fecisse, nempe 13ª Nisan in 2is vesperis, proinde non eodem die quo ceteri Judaei festum illud celebrarint. Quaestionem hanc valde intricatam tractabimus infra q. 1170.

L. *In qua necesse erat occidi Pascha*, i. e. *agnum* Paschalem. Prima occurrit hic in Evang. mentio de agno illo: juvat obiter quaedam de eo notare.

Q. 649. Agnus Paschalis.

Secundum Legem, Ex. 12, agnus ille die 10ª Nisan seligi debebat (agnus nimirum masculus, anniculus, sine macula), et 14ª Nisan in *atrio Templi* mactandus erat: nemini enim licebat in privatis aedibus agnum occidere. *Winer *Rwb.* a. *Pascha* dicit non solum Levitas, sed quoslibet Israelitas, modo immundi non essent (2 Par. 30, 17; *M. Pesach.* 5, 6), agnum immolare potuisse: puta id ab eis factum fuisse in atrio *Israelitarum*, quum soli Levitae in atrium *sacerdotum* intrare possent.

Tempus immolationis statutum erat (Ex. 12, 6; Lev. 23, 5; Num. 9, 3) **inter duas vesperas**, hebr. בֵּין הָעַרְבָּיִם, quod multi sic intelligunt: eo temporis intervallo quod decurrit a priore vespera usque ad finem vesperae posterioris (pendant les 2 soirs): priorem autem vesperam intelligunt a meridie vel ab hora 9ª (nostra 3ª post meridiem) usque ad solis occasum, posterior vero ab occasu

(1) Secundum M. et Mc. ipsimet discipuli de Paschate celebrando loqui incipiunt: L. vero priores partes Jesu tribuit.

solis usque ad tenebras ; ergo agnus immolandus erat toto temporis intervallo quod decurrebat a meridie vel a nostra hora 3ª pomeridiana usque ad horam circiter 7ᵐ. Boch. *Hieroz.* ostendit morem fuisse ut statim post sacrificium vespertinum inciperent immolationes agnorum, i. e. ab hora nostra 1 ½ post meridiem (Corluy), sed opinatur eas continuatas fuisse tantum usque ad solis occasum (non usque ad tenebras). Josephus autem *B. J.* 6, 9, 3 intervallum valde restringit, et dicit agnos mactatos fuisse ab hora 9ª usque ad 11ᵐ ; cf. *M. Pesach.* 5, 1. Imo vero Karaitae tempus adhuc magis coarctant, et verba *inter duas vesperas* explicant de spatio, quod ab occasu solis usque ad tenebras habetur *(de 6 à 7 h. du soir)*, et probabiliter hic erat sensus verus quo in initio sumebatur dictio illa (cui favet Deut. 16, 6 *in occasu solis*) : sed postmodum tempus multum ampliatum fuit propter multitudinem agnorum.

Esus agni. Quoquo modo ista se habeant, *vespere* (M. 26, 20) i. e. aliquamdiu post occasum solis, quando jam erant tenebrae, seu *in ipsa nocte* (Ex. 12, 8), i. e. noctis initio, agnus in verubus torrebatur integer, atque a tota familia edebatur. Quando autem in ea non erant tot convivae ut agno comedendo sufficerent, alii e vicinis adjungebantur (Ex. 12, 3, 4) ; adeo ut saltem 10, et 20 ad maximum, eidem mensae accumberent (Jos. *B. J.* 6, 9, 3) ; et si quid superesset, comburendum erat.

Sed jam redeamus ad narrationem Evang.

De domo in qua Jesus Pascha manducavit.

M. **v. 17.** ACCESSERUNT DICENTES : UBI VIS etc. Novimus ex L., qui rem distinctius exponit, Jesum priorem locutum fuisse de praeparando Paschate : misit Petrum et Joannem ut coenam Paschalem instruerent : tunc illi rogaverunt *Ubi vis paremus* ? Oportebat lectos in coenaculo componere, agnum emere (nempe a sacerdotibus, qui 10ª Nisan magnam agnorum multitudinem separabant, eosque Judaeis ad festum diem adventantibus postea vendebant), eumdemque occidere in Templo, panes azymos herbasque amaras parare etc. Quod autem attinet ad domum eligendam, in *Babyl. Joma* traditur (teste *Lightf. *Hor. hebr. in M.*) domos Jerosolymitanas non mercede conductas fuisse tempore dierum festorum, sed communis juris fuisse.

18. AD QUEMDAM : ita certe locutus non est Jesus, sed Evangelista contrahit verba Salvatoris, qui, ut colligitur ex Mc. et L., dixit, si non totidem verbis, saltem in hunc sensum : Ite in civitatem ad quemdam patrem familias, qui vobis notus fiet per hominem lagenam aquae portantem, quem sequemini.

L. DICETIS PATRIFAMILIAS seu Mc. DOMINO DOMUS. Quis fuerit ille, ignoratur. Virum autem fuisse honestae conditionis, quippe cui domus esset satis instructa et ornata, ex ipsa narrationis serie

colligitur; eumdem etiam Christo probe cognitum, ipsiusque discipulum fuisse, innuere videntur verba illa *Magister dicit,* etc.; imo haec *Tempus meum,* sc. tempus mortis meae, *prope est,* ideoque est ultima petitio quam a quopiam faciam; *apud te facio Pascha*: haec omnia, inquam, verba indicant ipsum Jesu familiarem fuisse, vel saltem Jesum jam antea cum eo locutum fuisse de Paschate in domo ejus edendo.

Quare non nominatur ille pater familias? Bisping opinatur eum non nominari, nec domum ejus palam designari, ne Judas, qui, secundum interpretes illos, ad principes sacerdotum nondum profectus erat, rem denuntiaret; unde accidere potuisset ut Jesus comprehenderetur ante vel inter coenam ultimam, quam tuto et suo commodo perficere volebat.

Sed huic conjecturae obstat M. 26, 14, ubi aperte notatur Judam abiisse antequam Jesus Pascha praeparari jusserit. Ideo auctores isti asserere coguntur ordinem chronologicum apud M. non stricte observari. Malim dicere cum Mald., Christum nomen istius viri non expressisse, ut eum melius et certius rebus praenuntiatis designaret (forsitan eum non cognoscebant Petrus et Joannes, vel saltem ubi habitaret ignorabant), utque simul luculentum divinitatis suae testimonium daret.

APUD TE FACIO PASCHA: in domo tua, non *tecum*, nam singulae familiae debebant manducare agnum, et alii non admittebantur nisi quando familia erat nimis exigua ut agnum consumeret. UBI EST REFECTIO MEA? Mc. *το καταλυμα μου*, *diversorium meum* L., i. e. conclave, *coenaculum mihi destinatum*. Jesus cum hero illo Jerosolymitano jam antea videtur locutus fuisse, ut supra notavi, de mente quam habebat in domo ejus pascha manducandi. Quod quidem prudenter factum fuit, quum tanta Judaeorum multitudo undique ad coenam sacram celebrandam in urbem confluere soleret.

B. Maria V. non adfuit ultimae Coenae.

UBI PASCHA CUM DISCIPULIS MEIS MANDUCEM: ex his verbis colligimus in ultima coena adfuisse tantum duodecim Apostolos cum Christo Domino, non autem matrem ejus B. Mariam V., aut alium quempiam. Isti duodecim erant familia Jesu, quatenus hic cogitatur ut officio Messiae publico fungens, novumque regnum

fundans. Praeterea, aperte dicitur M. 26, 20 *Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis.* Feminae quidem (*Winer, *Rwb.* a. *Pascha ;* *Smith, *Dict.* a. *Passover*) coenae Paschali adesse poterant (1 Reg. 1, 7 de Anna, et L. 2, 41 de Maria : cf. Pesach. 8, 1), sed secundum Gemaram ad hoc faciendum non erant vi legis adstrictae, viri tantum tenebantur (ideo Jos. *B. J.* 6, 9, 3 loquitur solummodo de *viris*) : imo Karaitae nonnisi masculos adultos admittebant.

Q. 650. Coenaculum stratum.

COENACULUM : ἀναγαιον (ex ἀνα et γη, *super terram, au-dessus du sol*), saepius ἀνωγαιον, conclave in superiore parte aedium, idem ac ὑπερωον (ut testatur Hesych. apud *Schleusner), i. e. cubiculum superius seu coenaculum. STRATUM : ἐστρωμενον, *lectis stratum*, in quo habentur lecti jam strati, jam praeparati pro convivio celebrando. Bisp. *ein gepolstertes Obergemach,* id est gall. *une salle en haut, garnie de canapés pour le repas :* minus accurate, *une salle tapissée* (Boss. *Méd. sur l'Ev.*), vel *ornée de tapis* (Foisset *Hist. de J. C.*).

Ubi situm ? Vetus autem traditio refert coenaculum illud in monte Sion, adeoque in parte urbis meridionali, situm fuisse. Nostris diebus extra moenia civitatis est locus ubi aedificium istud exstitisse dicitur *(attenant au tombeau de David, marqué 18 dans le plan de Jérus. qui se trouve en tête de ce commentaire) :* olim erat ibi ecclesia catholica (Allioli, *Alterth.* § 131). Multi opinantur in eodem coenaculo congregatos fuisse Apostolos, quando Christus ad vitam redux se eis bis spectandum obtulit ; ibique contigisse tum electionem Matthiae et descensum Spiritus s., quum concilium Jerosolymitanum.

§ 5. ULTIMA CHRISTI COENA : 26 20-29.

CONSIDERATIONES PRAEVIAE.

Quare coena Paschalis Passionem proxime praecesserit.

Q. 651. Connexio quaedam admirabilis est inter coenam Domini ultimam et Passionem ejus ; adeo ut dicendum sit, non absque Divinae Oeconomiae et Sapientiae ordinatione factum fuisse, ut hanc illa proxime praecesserit : quod quidem sex sequentibus rationibus abunde demonstratur.

1° Decebat enim ut Jesus solemniter, cum singulari amoris affectu, dilectos suos Apostolos in intima convivii festivi amicitia valere juberet, atque in illo

extremo vitae articulo *testamentum* suum conderet : recole praesertim sermonem ejus post coenam J. 14 sq. (1).

2° Congruens erat ut Apostolos ad vehementissimam tentationem, quae ipsis obventura erat in summa magistri ignominia, proxime praepararet ; hoc autem fecit in Coena duplici modo : a/ cum pluries et certo significavit se rerum omnium conscium et volentem passurum esse : « Inter coenandum, ait s. Chrys. *in M.* 26, « 26, de cruce loquitur, praedictionis frequentia passionem suam toleratu facilio- « rem reddens. Nam si post tot res gestas et praedictiones turbati sunt, si nihil « horum audissent, quid non passuri erant ? » b/ Quando cibo corporis sui eorum animam nutrivit et corroboravit.

3° Quemadmodum Passio maximae opus fuit dilectionis (*Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, ait ipsemet Salvator in ultima coena, J. 15, 13), ita etiam in Coena plurima et praeclarissima amoris testimonia dedit Jesus (*cum dilexisset suos, qui erant in mundo,* tunc *in finem* i. e. summopere *dilexit eos,* J. 13, 1; cf. not. marg. ad M. 26, 26), inter quae omnium maximum, nempe institutionem ss. Eucharistiae.

4° Agnus paschalis typus erat perfectissimus Christi in cruce immolandi (cf. q. 929) : « Ubi typus erat, ibi Jesus veritatem constituit (s. Chrys.) » ; eo vel magis quod Messias figuras omnes in rerum veritatem convertere, totumque vetus Test. perficere atque absolvere deberet. « Idcirco non antehac mysterium dedit, sed « cum legalia post haec cessatura essent. Et caput solemnitatum eorum solvit, ad « aliam ipsos transferens mensam (s. Chrys.). »

5° In ss. Eucharistia idem est sacrificium quod in cruce (vide infra q. 663) : recte igitur hoc illi proxime successit.

6° Tandem addit s. Chrys. : « Vespera plenitudinis temporum signum erat, « indicabatque res demum ad finem accedere. »

His praenotatis, jam ea aggredimur tractare quae de ultima Coena narrat M., aliis collatis Evangelistis. A quaestione generali exordimur.

Ordo rerum omnium in Coena.

Q. 652. Paucis indica omnia et singula quae in ultima Coena, secundum ordinem temporis probabiliorem, evenerunt.

R. Primum fit coena *paschalis*, in qua manducatur agnus, et pro more quatuor calices vini in orbe bibuntur. Deinde, juxta conjecturam quorumdam, aliquid adhuc editur pro explenda fame, quasi in coena vulgari cf. q. 653. Circa finem coenae, Jesus surgens a mensa pedes Apostolorum lavat (ante institutam Eucharistiam, secundum sententiam quae mihi videtur verisimilior : q. 659) ; qua

(1) **Mira ars.** Obiter animadvertamus, in narratione Evangelica summa cum arte scenas contrarias saepe conjungi. Gallice dicere liceat : La scène la plus tendre et la plus intime de tout l'Évangile se passe au Cénacle, tandis que la Passion, qui suit immédiatement, nous dépeint les scènes les plus dures, les plus révoltantes, et les plus tumultueuses. Voilà la loi des contraires, l'art des contrastes, à sa plus haute expression.

occasione humilitatem animis Apostolorum inculcat, et quaedam obscure dicit de proditore, J. 13, 1-20.

His peractis, mensae iterum accumbit et ss. Eucharistiam instituit. Postmodum proditionem Judae dedita opera et aperte nuntiat M. 26, 21-25 coll. Mc. et L.; simulque proditorem Joanni indicat; ideo Judas conclave illico egreditur, J. 13, 21-30. Tunc (juxta multorum opinionem) Apostoli inter se contendunt de primatu L. 22, 24-30 (1). Jesus mortem suam proximam esse innuit J. 13, 31-35. Praedicit fore ut Petrus eum neget, ceterique discipuli eum relinquant. Monet gravissimum instare periculum et gladios emendos esse L. 22, 35-38.

Sequitur pulcherrimus sermo, quem post Coenam diu protrahit, quique complectitur quatuor capita J. 14-17.

Tandem, hymno cantato, vel post illum sermonem, vel ante illum, Jesus cum Apostolis proficiscitur in hortum Olivarum.

Argumentum et divisio tractationis nostrae.

Illa rerum capita, quae attingit M. exponemus, additis duobus aliis de quibus dicemus post q. 685; sed in illis narrandis ordinem temporis probabiliorem servabimus, ideoque narrationem M. in quibusdam intervertemus.

Igitur referemus 1° coenam paschalem; 2° ss. Eucharistiae institutionem; 3° proditionis praedictionem, qua occasione proditor ipse detegitur. 4° Deinde, quae de fuga Apostolorum et Petri lapsu Dominus nota fecerit, narrabimus. 5° Tandem verbulum addemus de exitu Jesu in hortum Olivarum. Erunt quinque puncta.

Punct. I. Coena paschalis: 26, 20 et 29.

Praeced. vide ante q. 646.

M. 26, 20. Vespere autem facto, discumbebat cum duodecim discipulis suis. 21 Et edentibus illis etc. *Vide infra ante* q. 676.

Praeced. vide ante q. 658. 29 Dico autem vobis: Non bibam amodo de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei.

30 Et hymno dicto, exierunt etc. *Vide infra post q. 696.*

Mc. 14, 17. Vespere autem facto, venit cum duodecim. 18 Et discumbentibus eis, et manducantibus etc. . . . . 25 Amen dico vobis, quia jam non bibam de hoc genimine vitis, usque in diem illum, cum illud bibam novum in regno Dei. 26 Et hymno dicto etc.

L. 22, 14. Et cum facta esset hora, discubuit, et duodecim Apostoli cum eo. 15 Et ait illis: Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, antequam patiar. 16 Dico enim vobis, quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. 17 Et accepto calice, gratias egit, et dixit: Accipite, et dividite inter vos. 18 Dico enim vobis quod non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat.

(1) Sunt qui putent hanc contentionem factam fuisse vel ante Coenam, vel saltem ante Eucharistiam (quia talia sensa vix probabilia sunt immediate post s. Communionem: cf. not. marg. post q. 685), imo ante lotionem pedum, cui, aiunt isti, humilitatis actui ansam dedit contentio illa. Multi etiam censent Judam non adfuisse Eucharistiae, et proditoris denuntiationem collocant ante institutam Eucharistiam, ut faciunt M. et Mc.: q. 676.

Certum habemus (q. 656) Pascha Judaeorum *legitimum* a Jesu in ultima Coena celebratum fuisse; at vero dubium est utrum eodem vespere quo Judaei id fecerint. Quaestionem hanc ultimam infra exponemus q. 1170.

Q. 653. In ultima Coena quot partes seu coenae distingui debent? Quid in singulis factum est?

R. Sunt qui tres distinguant partes: coenam *paschalem*, *vulgarem* et *Eucharisticam*; putant unum agnum non suffecisse ad explendam famem 13 convivarum, et ideo supponunt coenam vulgarem successisse coenae paschali. Plerique tamen auctores de coena vulgari non loquuntur, et ideo duas tantum partes distinguunt, quarum 1ª **coena paschalis** est, in qua Christus cum Apostolis agnum secundum ritum Judaicum manducavit, sc. cum pane azymo et lactuca silvestri etc.

2° **Coena Eucharistica.** Circa finem coenae, ergo ante institutionem Eucharistiae (secundum sententiam probabiliorem) Christus pedes lavit Apostolorum, ut refert solus J., deindeque mensae rursum accumbens ss. Sacramentum instituit. Postmodum quaedam, inter confabulandum super mensam, ut fit, identidem comesta fuerunt, v. gr. buccellae panis intinctae in condimento acri vel in pulmento *charoseth* (de quibus cf. q. 679). Etenim M. et Mc. dicunt proditorem Judam notum factum fuisse *discumbentibus et manducantibus eis*: atqui probabilius est Judam nonnisi post coenam Eucharisticam detectum fuisse, siquidem statim ut se notatum vidit abiit, dum aliunde satis constat, secundum nostram sententiam, ipsum Eucharistiae participem fuisse: q. 676.

Recumbebant ad mensam. Locus Jesu.

Q. 654. In Ex. 12, 11 praescribitur ut Judaei agnum paschalem manducarent *festinanter*, *lumbis praecincti*, *baculis innixi*, unde concludunt quidam eos fuisse *stantes*; sed Christus in ultima coena ista omnia non observavit, et imprimis cum Apostolis *recubuisse* legitur. 1° Legemne igitur contempsit? 2° Quare non *sedit* ad mensam, ut nos facimus? 3° Expone quo sensu s. Joannes *in sinu* ejus recubuisse dicatur.

R. ad 1ᵐ. Quod in Ex. injungitur, nonnisi ista nocte servandum fuit. Dein ibi non dicitur, stricte loquendo, eos *stetisse*; et olim

jam invaluerat usus ut mensae paschali accumberetur, in signum libertatis jam acceptae (*stantes* comedere servorum erat).

R. ad 2m. Post exilium Babylonicum (1) Judaei, Persarum more, inter convivia ad mensam (quae de cetero minus alta quam nostra erat) recumbere solebant, prostrati in lectulis, gall. *sur des divans, sophas ou canapés, qui avaient un rebord du côté de la table.* (2) Recumbentes illi cubito brachii sinistri innixi erant, adeo quidem ut manum dextram haberent expeditam ad cibos capiendos : cumque ita porrecti jacerent, caput ad mensam convertebant, rejectis ad exteriorem partem pedibus : hi autem, inter coenam, discalceati erant. Inde explicatur quod narratur de muliere L. 7, 38 *stans retro secus pedes Jesu, lacrymis coepit rigare pedes ejus.* Pariter Christus lavit pedes discipulorum, quin ipsi a mensa surgerent : retro enim atque a tergo ad singulos accessit. Cf. Esther 1, 6 ; 7, 8 ; Amos. 6, 4 ; 2, 8 ; M. 9, 10 ; 26, 7.

R. ad 3m. Plerumque tres erant convivae in eodem lecto, adeo ut, qui a dextris esset, *in sinu* medii diceretur recumbere (J. 13, 23 et 21, 20) ; quia, cum caput retrorsum inflectebat, id contra pectus illius deponebat. Locus carorum capitum erat; quem enim maxime amabant, eum a dextris i. e. in sinu collocabant. Multi putant Servatorem ad hunc morem respexisse in verbis L. 16, 22 de *sinu* Abrahae.

In ultima autem coena, sociorum numerus solito major fuit (13 erant, quum in epulis privatis saepe essent tantum 9 ad summum (3)), ideoque quatuor mensae quadrae latera occupabantur singula, nempe a tribus recumbentibus, uno excepto in quo erant quatuor. Saepenumero, apud veteres, unum mensae latus, nempe anticum, vacuum manebat pro faciliore ministrorum accessu : inde vox *triclinium* pro *coenaculum*, quia tres erant lecti κλινοι. Fieri

---

(1) Veteres Hebraei **sedebant** ad mensam : Gen. 27, 19 ; 37, 25 ; 43, 33 ; Ex. 16, 3 ; 32, 6 ; Jud. 19, 6 ; 1 Reg. 20, 5, 24 ; 3 Reg. 13, 20 ; Prov. 23, 1 ; Jer. 16, 8 ; Ezech. 44, 3. Pariter Graeci in tempore heroico : Hom. *Il.* 10, 578 ; *Od.* 1, 144 ; 15, 134. Etiam Romani antiquioris aetatis, teste Virg. *Aen.* 7, 176 ; et prisci Aegyptii, ut constat e sculpturis ap. *Wilkinson : cf. *Smith mox citandus.

(2) Probe nota, in tota hac quaestione de more Judaeorum *recumbendi* ad mensam, sermonem fieri de **conviviis** aliquantulum **solemnioribus** et sumptuosis. Nemo sibi hanc inducat opinionem morem illum *recumbendi* servatum fuisse in quotidiano et familiari usu ciborum, praesertim a communi populo aliisque non divitibus.

(3) Notum est Varronis dictum de numero convivarum : *Non infra Gratias, non ultra Musas*, i. e non minus quam tres, non plus quam novem.

etiam potuit, ut in coena Dominica quinque essent Apostoli in dextro et quinque in sinistro mensae latere, in medio vero lecto duo praeter Jesum.

Porro Servator, tamquam coetus praeses et pater familias, sedem honorabiliorem occupabat : haec autem (pro more Persarum, qui apud Judaeos tunc vigebat) erat locus medius in lecto medio (1) (*Winer. *Rwb., Mahlz.*) : igitur Dominus in lectulo posteriori *(la rangée du fond)* jacebat medius inter Joannem a dextris, et, ut multi putant, Petrum a sinistris. Situm autem illum Petri colligunt ex eo quod hic Apostolus Joanni *innuit*, gestu vultuque petitionem suam exprimens, non vidente Jesu, ut verisimile admodum est, adeo quidem ut post tergum ejus ad Joannem (2) sese convertisse videatur.

Q. 655. Quid in Evang. legitur de coena paschali, quae institutam ss. Eucharistiam praecessit ?

R. Vide loca Evangelistarum supra recitata : quaedam nunc explicabimus.

Imprimis nota verba Jesu de non bibendo amplius calice Paschali a M. et Mc. referri post institutam s. Eucharistiam, sed ordinem Lucae praevalere, quia calix ille intelligi videtur primus ex 4 calicibus in Coena Paschali gustatis : q. 657.

Cum facta esset hora L. : cum advenisset tempus, quo ex legis praescripto agnus comedi debebat, sc. *vespere* M. et Mc. post solis occasum, seu initio noctis (Ex. 12, 8 *in ipsa nocte*).

Desiderio desideravi L., multum, vehementer desideravi : cf. L. 12, 50 *Baptismo* (sc. cruciatuum) *habeo baptizari : et quomodo coarctor usquedum perficiatur !* Christus autem tam avide exoptavit illud pascha cum Apostolis manducare, propter duas praesertim

---

(1) Hoc tamen certum non est, quum alii Antiquitatum scriptores tradant in lectulo, qui a latere dextro mensae stratus erat, fuisse sedem digniorem, et non in medio lecto, sed in parte ejus antica : ita *W. Smith in *A Diction. of the Bible*, art. *Meals*. Forsitan talis erat Graecorum mos, a more Persarum diversus.

(2) Ita multi ; sed secundum sententiam Guillelmi Smith modo indicatam, oporteret rem sic cogitare : in lecto, a latere dextro mensae, primus recumbebat Jesus, secundus s. Joannes (in sinu Jesu), tertius alius ex Apostolis, vel Andreas, vel Jacobus Major. Dein in lecto, qui lateri mensae posteriori appositus erat *(la rangée du fond)*, quartus (seu primus secundae seriei) erat forsitan Petrus, qui, quum a Joanne esset separatus, gestu ipsi innuit. Hac posita sententia, convivarum ultimus, sc. Judas Iscariotes, fuisset tertius in lecto qui a latere mensae sinistro erat : adeoque recubuisset contra Jesum *(vis-à-vis de lui)* ; unde facilé intelligitur, quod infra indicari videtur, Judam in eumdem catinum, quo Jesus uteretur, manum intinxisse.

rationes, quas indicat s. Chrys. *Hom. in M.* 26, 25 : a/ quia id futurum erat ultimum (ideo addit L. *ex hoc non manducabo* etc.) ; nam statim post coenam inchoaturus erat Passionem suam, quam ad homines redimendos noverat necessariam : « Tunc, ait s. Chrys. « l. c., orbis salus futura erat..., tristia per mortem solvenda : sic « illi crux ex voto accidebat. » b/ Quia in hac coena instituturus erat sacrificium corporis et sanguinis sui, quo nempe Foedus novum sanciretur novaque stabiliretur religio : « Tunc mysteria erant tradenda, » ait s. Chrys. l. c.

Q. 656. Omnino certum habemus Pascha legale tunc a Jesu celebratum fuisse.

Hoc pascha manducare : ergo Jesus in ultima coena Pascha Judaicum ritu legali celebravit, atque agnum Paschalem more Judaeorum manducavit, ut aperte significant tres Synoptici ; et haec est opinio in Ecclesia fere universali admissa : sic Conc. Trid. sess. 22, *De sacrif. Missae*, cap. 1 : « Christus, ait, in coena « novissima, qua nocte tradebatur, *celebrato veteri Paschate*, quod « in memoriam exitus de Aegypto multitudo filiorum Israël immo- « labat, novum instituit Pascha. » Cui concinunt hymni nostri liturgici de ss. Sacramento. Dici nequit per *Pascha* quod manducavit Jesus intelligi tantum esum azymorum et lactucarum : nam esus *agni* erat pars essentialis Paschatis, tunc enim *necesse* erat *occidi* Pascha, L. 22, 7.

Aliqui auctores ex Graecis schismaticis, quos commemorant Theophyl. et Euthymius *in Joan.*, immerito illud negarunt (sicut fecerat olim Marcion a s. Epiph. *Haer.* 42 reprehensus), eo quidem fine ut contenderent in instituta ss. Eucharistia panem *azymum* adhibitum non fuisse. Lamy etiam in *Harm.*, et Calmet in *Diss. de Pasch.* non admittunt Christum celebrasse Pascha ; et post istos Sepp et Fouard contendunt Coenam ultimam non factam fuisse die legali, 14° Nisan vespere, sed pridie, neque in ea agnum Paschalem esum fuisse. Sed haec sententia *nimis audax* (teste Ben. XIV mox citando), falsa nobis videtur. Quaestionem hanc longe lateque pertractat Ben. XIV, *De festis*, c. 6, 5-12.

Quod autem attinet ad controversiam illam magnam : utrum Christus tempore Lege statuto Pascha celebraverit, simul cum

aliis Judaeis, an vero diem legitimum anteverterit, vide infra q. 1170.

L. 16. DICO ENIM VOBIS: *enim*, nam statim post illud patiar; hoc ultimum est pascha quod vobiscum in terris agam. EX HOC NON MANDUCABO ILLUD DONEC IMPLEATUR IN REGNO DEI, sc. in coelesti gloria: nam praecedit *antequam patiar*, atqui *oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam* (L. 24, 26). Ibi, ait Jesus, Pascha vobiscum rursum manducabo; non sane terrenum, sed coeleste et inaestimabile, quod pascha Mosaicum imperfecta ratione *(donec impleatur)*, coena autem Eucharistica longe verius, plenius et perfectius figurant atque praeparant.

Cum Jesus de morte sua mentionem facit, plerumque resurrectionem addit, quae hic sub dictione *regnum Dei* includitur: cf. s. Chrys. *in M.* 26, 29.

L. 17. ACCEPTO CALICE, puta, primo calice ex quatuor illis, quos pater familias in epulo paschali sumere solebat, aliisque in orbem bibendos tradebat. Hoc melius intelligetur ex iis quae addam in quaest. seq.

Q. 657. Ritus coenae Paschalis apud Judaeos.

Haud supervacaneum erit, data opportunitate, paucis referre quae secundum Mischna, praes. *Pesach.* 10, in coena Paschali fiebant. Verum quidem est huic ritui seriore tantum aetate vim legis fuisse, teste *Winer; et difficile est discernere quid ex variis illis ritibus tempore Christi observatum fuerit. Notat etiam Knab. ipsos Rabbinos de his parum inter se consentire. Sequimur *Smith, *Dict.* a. *Passover*, qui late diligenterque rem pertractat.

Judaei a calice coenam inchoabant Paschalem; huic autem calici benedicebat pater familias, precationem quamdam recitans super eum (*gratias egit* L. hic). Deinde, panibus azymis distributis, agnus super mensam ponebatur cum lactucis amaris et cum pulmento *Charoseth*, (de quibus q. 679). Tunc secundo calice hausto, filius quaerebat a patre quid ista significarent (Ex. 12, 26). Ritus explicabatur eo fere modo quo Deut. 26, 5 sq. refertur, ac postea prior Hallel pars (Ps. 113 et 114 in hebr.) cantabatur. Jam agnum edebant, deinde tertium et mox quartum bibebant calicem, tandemque alteram Hallel partem absolvebant (Ps. 115 ad 118 in hebr.) Nonnumquam (sed seriore aetate) quintus sumebatur calix, et Psalmi 120-138 (hebr.) canebantur.

Tertius calix vel quartus forsitan ille erat quem Jesus consecravit (L. 22, 20 *postquam coenavit*). Ad ultimam vero partem Hallel referuntur verba M. 26, 30 *Hymno dicto, exierunt in montem Oliveti.*

29. NON BIBAM AMODO DE HOC GENIMINE VITIS: solemnis circumlocutio pro *de vino*. Idem sign. ac verba s. Lucae *ex hoc non*

manducabo illud donec etc. *Non bibam* etc. Ergo, ut supra dixi, hoc sibi vult : nunc ultimum in terris vobiscum edo agnum paschalem calicesque bibo solemnes (1). Jesus non amplius celebrabit Pascha *figurativum*, quum *figura* mox sit convertenda in *veritatem*. Quidquid autem istis ritibus praesignificatur, perficietur in coelis; nam quando iterum veniet ut electos suos assumat, tunc cum eis convivium celebrabit eximium (*novum*), jucundissimum et aeternum ; tunc cum eis vinum coenae paschalis *bibet novum in regno Dei :* sc. nectar laetitiae gloriaeque coelestis. Vult dicere : nunc a vobis recedo, sed aliquando vobiscum iterum ero congregatus, in summa felicitate. *Novum* dicitur pro *novi et alterius generis :* « Novo et inau- « dito modo, non in corpore passibili, sed in immortali (s. Chrys). » Eadem comparatio supernae beatitudinis cum convivio adhibetur L. 22, 29 *Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo.*

M. et Mc. verba illa de vino amplius non bibendo ponunt in fine coenae, quasi sint ultimum vale magistri sui, vale quidem triste, sed simul consolatione plenum. Lucas autem, qui ea refert initio coenae, temporis ordinem accuratius tenuisse videtur.

Nota. Secundum ordinem rerum, quem tenet M., dicendum nunc esset de proditione Judae a Jesu praedicta, quo spectant M. 26, 21-25 : verum, institutionem ss. Eucharistiae praecessisse opinamur, propter rationes infra indicandas ; ideo a M. recedentes, ordinem L. sequimur, et institutionem ss. Eucharistiae referimus.

Punct. II. Instituitur ss. Eucharistia : 26, 26-28. (2)

Praeced. vide ante q. 676.

M. 26, 26. Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et benedixit ac fregit, deditque discipulis et ait : Accipite, et comedite : hoc est corpus meum.

27 Et accipiens calicem gratias egit, et dedit illis, dicens : Bibite ex hoc omnes. 28 Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

29 Dico autem vobis etc. *Vide supra, ante q. 653.*

Mc. 14, 22. Et manducantibus illis, accepit Jesus panem : et benedicens fregit, et dedit eis, et ait : Sumite, hoc est corpus meum.

23 Et accepto calice, gratias agens dedit eis : et biberunt ex illo omnes. 24 Et ait illis : Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur.

L. 22, 19. Et accepto pane gratias egit, et fregit, et dedit eis dicens : Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur : hoc facite in meam commemorationem.

20 Similiter et calicem, postquam coenavit, dicens : Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.

(1) Sensus non est, Jesum non amplius manducaturum aut bibiturum cum illis in hac terra ; nam cum eisdem epulatus est postquam ad vitam redierat ; sed significat hoc esse ultimum Pascha quod cum eis celebraturus sit.

(2) Versiculos 21-25 infra ante q. 676 tractatos invenietis.

Praeter tres Synopticos modo recitatos (1) videsis 1 Cor. 11, 23-25.

Q. 658. Quare Euch. non ante sed post coenam instituitur?

Post cibum terrenum et corporalem coelestis et spiritualis jam traditur, ut in convivio illo ultimo et sacratissimo utraque hominis pars nutriatur. *Panis angelicus fit panis hominum; dat panis coelicus figuris terminum.* Christus, verus agnus paschalis, nunc *mystice* et incruento modo immolatur, mox in cruce *reali* et cruenta ratione mactandus.

Inde eruitur responsio ad hanc quaestionem: Quare Salvator non ante sed post coenam Euch. Sacram. instituit? S. Thom. *in 1 Cor.* 11, 20 tres affert rationes: « 1° Quia ordine congruo figura praecedit veritatem: agnus autem Paschalis erat figura sive umbra hujus Sacramenti. 2° Ut ex hoc Sacramento statim ad Passionem transiret, cujus hoc Sacramentum est memoriale. 3° Ut hoc Sacramentum arctius imprimeretur cordibus discipulorum, quibus ipsum tradidit in ultimo suo recessu. »

Pedes loti fuerunt ante Eucharistiae institutionem.

Q. 659. Num ante institutam ss. Eucharistiam Apostolorum pedes loti fuerunt? (de quo facto lege J. 13, 4-12).

Resp. Res multum est controversa et plena dissensionis inter doctissimos: nam Calmet, Patrizi, De Buck Bollandista in *Passie Boekske*, et Beelen censent Apostolorum pedes nonnisi post institutam Eucharistiam lotos fuisse; altera tamen sententia longe communior est, eamque tenent s. Chrys., Luc. Br., Bened. XIV, Tolet., Mald., Bisp., Corluy etc. Rationes autem, quae a patronis prioris sententiae afferuntur, non tantae sunt ut cogant nos a vulgari opinione recedere. Praecipuae sunt tres sequentes.

---

(1) **Quid Joan. circa Eucharistiam?** Non narrat ejus institutionem, ideo sane quod alii Evangelistae, qui ante ipsum scripserant, hanc satis exposuissent. Sed valde mirum esset, si discipulus dilectionis de maximo illo caritatis opere nihil omnino dixisset: quare retulit ipse, et fuse quidem, promissionem quam olim fecerat Jesus instituendi hoc divinissimum Sacramentum: vide J. 6, 27, et praesertim v. 52b *Panis quem ego dabo caro mea est pro mundi vita* etc., usque ad v. 70. Praeterea sententia probabilior est ad illam institutionem partim spectare verba J. 13, 1 *Ante diem festum Paschae*, nempe vespere ante diem illum in quo mortem subiit, *sciens* Jesus *quia venit hora ejus ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, cum dilexisset suos qui erant in mundo*, **in finem dilexit eos**, i. e. summopere (εις τελος) dilexit eos, seu dedit eis tunc (in illo vespere qui erat ultimus vitae) maxima suae dilectionis et signa et argumenta, nempe lotionem pedum, Eucharistiae institutionem, sermones amore plenos, sollicitudinem paternam in horto etc. Verba εις τελος interpretamur cum s. Cyr. Al., s. Chrys., Theophyl., Euthym., Mald., Beel., *extremo* seu summo *amore*, fl. *ten uiterste*, gall. *extrêmement* pro *beaucoup*, non *usque in finem vitae*, quia τελος non habet regimen; debuisset addi του ἑαυτου βιου: deinde sensus congruus non est in his: *Ante Pascha dilexit suos usque ad finem vitae;* aliqui ponunt hic anacoluthiam: auctor, aiunt, voluit scribere *Ante Pascha lavit pedes discipulorum*, sed abrupit sermonem cogitando eximium istius actionis amorem: sed hoc est valde contortum.

Argumenta contrariae sententiae solvuntur.

1°. Joan. probabiliter obscure indicat Eucharistiae institutionem hisce verbis *Cum dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos:* atqui statim adjungit narrationem lotionis, adhibita quidem particula *et*, scil. *Et coena facta* etc. — Resp. Verba ista non solam Eucharistiam, sed generatim omnia quae Salvator fecit aut dixit in ultima coena et in horto quidem Olivarum, spectant : ideo *et* vim habet explicativam, *nimirum, scilicet*, et annectit ea quae J. de factis et dictis Jesu hoc ultimo vespere, et praesertim sub coena specialiter narrare vult.

2° Abluti fuerunt pedes *coena facta*, secundum lectionem γενομενου quae in pluribus codicibus reperitur. — Resp. Hoc de coena paschali intelligere possumus ; deinde habetur et alia lectio satis probabilis, adoptata a Tischend. cum Sin. BLK et Orig., γινομενου in praes., quae sign. *dum coena fieret.* Praeterea, coenam nondum perfecte absolutam fuisse innuitur J. 13, 12, ubi dicitur Jesum *iterum recubuisse*, et 13, 26 *buccellam porrexisse.* Similiter interpretamur verba *surgit a coena* (1).

3° Post pedes ablutos, in narratione Joannis locus aptus non reperitur ubi inseratur Eucharistiae institutio. — R. Inter v. 20 et 21 capitis 13 possumus moram quamdam cogitare : nam formula *cum haec dixisset* non significat ea quae deinceps narrentur proxime secuta fuisse (cf. M. 19, 1). Haec dicta sunt in sententia nostra Judam adfuisse Eucharistiae: patroni alterius sententiae moram ponunt inter v. 32 et 33. Aliunde nihil improbabile est in hoc quod admittamus Jesum post obscuram quamdam notationem de proditione Judae v. 18 et 19, sermonem hac de re interrupisse per institutionem Eucharistiae, et nonnisi tardius proditorem detexisse, v. 21 sq.

Eo autem libentius sequimur sententiam communem, quod pedum lavatio apte praecedat s. Eucharistiam, ut animae corporisque munditiem ad s. Communionem requisitam significet.

---

(1) **Falsa** est **opinio** eorum qui autumant (*Hengstenb., *Olsh.) pedes ante coenam etiam Paschalem lotos fuisse: namque, etsi verum sit morem fuisse ut ante mensam pedes lavarentur, hic tamen non factum est, propterea quod actus Jesu significationem figuratam haberet, atque adeo insolitus esset. Aperte dicitur *surgit a coena*, ergo haec pedum lotio non erat illa quae solebat coenam praecedere.

Obiter de vestimentis Jesu.

Q. 660. Quaenam vestimenta deposuit Jesus antequam pedes lavit? Inde certam colligimus notitiam de vestimentis, quibus Christus uti soleret, et imprimis quibus inter Passionem indutus fuerit.

R. Deposuit *vestimenta sua, τα ἱματια* : multi hoc plurale intelligunt de duplici vestimento, sc. de pallio et tunica; sed potius dicendum plurale pro singulari adhiberi, ut M. 21 et 27, 30, 7 et 21, 8, ubi de solo pallio dicitur *vestimenta*. Igitur opinamur ante pedum lotionem Jesum deposuisse unicum vestimentum, nempe *tunicam*, quum in accubitu ad mensam pallio certe induti non essent Judaei. Deposuit autem tunicam illam exteriorem, quia, utpote talaris, eum impedivisset. Simile quid factum est Act. 7, 57.

Habitus humillimus, imo servilis. Igitur Salvator noster in habitu humillimo hic conspicitur, sola tectus interula seu subucula linea, vel etiam (Fouard) habens tantum cingulum circa lumbos (cogita involucrum lineum satis latum, a pectore usque ad genua pertingens, sicut famuli solent gestare in India, in Congo etc). Iste habitus erat eorum qui in agro sub aestate laborabant, M. 24, 18, aut piscatui operam dabant J. 21, 8; cf. infra q. 978. Non autem legimus in Evangelio alibi illud a Jesu factum fuisse umquam : voluit certe in actione illa, quae ad ministerium servorum pertinebat, habitum famulorum imo *servorum* in tali casu ordinarium prae se ferre. Quale humilitatis exemplum ! et in isto momento solemnissimo !

Quadruplex narratio de instituta Eucharistia in unam conflatur.

Q. 661. Collatis M., Mc., L., et 1 Cor., institutionem ss. Eucharistiae cum omnibus rerum adjunctis accuratissime refer.

R. M. v. **26**. « Coenantibus autem eis, accepit Jesus panem, et « benedixit (gratias agens 1 *Cor.* 11, 24) ac fregit, deditque « discipulis suis, et ait (L. fregit et dedit eis dicens, *puta, dum « frangeret et daret*) : Accipite et comedite : hoc est corpus meum « (quod pro vobis datur [tradetur 1 *Cor.*] : hoc facite in meam « commemorationem, L. 19). **27**. Et (similiter *L.*) accipiens calicem « (postquam coenavit L., 1 *Cor.*) gratias egit, et dedit illis dicens : « Bibite ex hoc omnes. **28** Hic est enim sanguis meus novi Testa- « menti qui pro multis effundetur (*vel* L. hic est calix novum « Testamentum [hic calix novum Testamentum est 1 *Cor.*] in « sanguine meo qui pro vobis fundetur, L.) in remissionem pecca- « torum. » — 1 *Cor.* « Hoc facite, quotiescumque bibetis, in « meam commemorationem. »

Explicationem istius narrationis prius trademus ; deinde quasdam ponemus quaestiones, quae inde solvi facile poterunt.

A/ Consecratio panis.

Q. 662. Coenantibus : v. **26** εσθιοντων, non in aor., sed in praes., ut M. 26, 21 coll. Mc. 14, 18; nec aliter M. 14, 21 ; 15, 38 ; igitur post coenam quidem Paschalem in qua agnus esus fuit (L. et Paul. *postquam coenavit*), et post lotionem pedum, sed cum Jesus iterum mensae (1) accubuisset, et quaedam adhuc manducabantur inter fabulandum, v. gr. buccellae panis tinctae in acri condimento vel in *Charoseth*.

Panem : nonnulli codices habent art. τον αρτον, i. e. illum panem qui erat in mensa ; verum deest art. in BCDGLZ, atque etiam apud Mc. L. et Paul. : quamobrem videtur delendus ; adeo ut sensus sit gall. *il prit du pain*. Panis autem, quem adhibuit Christus, certo erat **azymus**, quum jam ante coenam paschalem (2) comburendum esset quidquid panis fermentati in domo reperiretur.

Error Graecorum. Graeci schismatici, qui contendunt Christum panem *fermentatum* consecrasse, quique ideo negant coenam Paschalem seu legalem ab ipso habitam fuisse, a vero prorsus aberrant. Nota tamen panem *azymum* non requiri ad hoc ut ratum sit Sacramentum. Quare Conc. Flor. « Definimus, ait, in azymo, « sive fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici ; « sacerdotesque in alterutro ipsum Domini corpus conficere debere, « unumquemque scilicet juxta ecclesiae suae Occidentalis sive « Orientalis consuetudinem. »

---

(1) **An mensa hodiedum exstat ?** Romae, in ecclesia s. Joannis Lateran., custoditur tabula quae dicitur fuisse *mensa* ultimae coenae. De ea scribit Rohault de Fleury *Mém. sur les instr. de la Passion :* « Cette table est en bois de cèdre, à deux panneaux, dont chacun a $1^{m}20$ de longueur sur $0^{m}60$ de largeur. » Si cogitemus binas illas partes unam juxta alteram positas fuisse, fuerit mensa quadrata cujus singula latera haberent metr. 1.20. In tribus autem lateribus tres convivae et in quarto quatuor convivae accubuisse videntur. Sunt tamen qui putent unum mensae latus vacuum mansisse, quo casu in singulis lateribus fuissent 4 convivae, imo 5 in uno ex ipsis : vel, ut dixi q. 654, ad 3^{m}, quinque in bino latere et tres in posteriore mensae parte. Verum, si haec fuisset ipsissima Christi mensa, singuli Apostoli, etiamsi ponamus quatuor mensae latera ab ipsis occupata fuisse, nonnisi spatium metr. 0.40 habuissent (et in uno quidem latere tantum m. 0.30) : quod probabile non videtur. Forsitan ista mensa non est amplius *integra*.

(2) **Azymus** panis, ut supra ad M. 26, 17 notavimus, in celebratione Paschatis requirebatur, tum ob alias rationes (Levit. 2, 11), tum etiam in memoriam celeritatis, qua Hebraei ex Aegypto proficiscentes uti debuerunt, quaeque causa erat quare ipsis injunctum fuerit ut agnum paschalem comederent *festinanter*, Exod. 12, 11. Etenim mora quaedam necessaria erat ad massam farinaream fermentandam : ideo, quando tempus non erat, fiebat panis *azymus*. Ex. 12, 39 *Fecerunt subcinericios panes azymos : neque enim poterant fermentari, cogentibus exire Aegyptiis et nullam facere sinentibus moram*.

Benedictio distincta a consecratione.

BENEDIXIT, idem significat ac v. 27 (ubi de consecratione calicis) *gratias egit;* namque in loco parall. 1 Cor. 11, 24 legitur *gratias agens;* atque in canone Missae additur: *Elevatis oculis in coelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens benedixit* etc. Jam vero, intelligitur, non, ut mihi videtur, consueta oratio, qua Deus benedicitur et laudatur in gratiarum actionem pro beneficio cibi et potus; quum dubium non sit jam antea, initio coenae, Jesum, ut mos erat, benedixisse panem et mensam: sed specialis quaedam benedictio, quae super panem et super calicem seorsum prolata fuit, quaeque Apostolos attentos reddere debebat ad mysterium consecrationis statim perficiendum. Ideo forte Evangelistae omnes de ea loquuntur, cum de consueta mensae benedictione nihil dicant.

Hoc admisso, ulterius quaeritur quaenam fuerit haec **benedictio peculiaris.** S. Th. 3, 78, 1, Mald., et Luc. Brug. opinantur fuisse ipsissimam panis consecrationem, adeoque verbis *Hoc est corpus meum* eam factam fuisse. Sed obstat L. hic in gr. *Et accepto pane, gratiis actis* (εὐχαριστήσας aor.), *fregit et dedit eis, dicens* etc. Pariter 1 Cor. in gr. *accepit panem, et, gratiis actis* (aor.), *fregit et dixit* etc. Inde colligimus actum *benedicendi,* vel *gratias agendi,* distinctum esse ab actu consecrandi, et huic praemissum fuisse. Quod confirmatur ex Trid. 13, 1, ubi dicitur *post* panis vinique *benedictionem* factam fuisse consecrationem. Putamus Jesum statim ante consecrationem preces quasdam super panem et vinum effudisse, quibus Deo Patri gratias egit de potestate accepta panem vinumque consecrandi et hoc Sacram. instituendi.

Panes frangebantur, non secabantur cultro. FREGIT: ab hoc ritu *frangendi panem,* Eucharistiae celebratio vocata fuit **fractio panis.** Animadverte panes apud Hebraeos fuisse planos, duros et tenues in modum placentarum (gallice dicam: *Ils avaient un doigt d'épaisseur, et un empan de diamètre*); ideo *frangebantur* ab edentibus: Lev. 2, 6; Is. 58, 7; Lam. 4, 4; M. 14, 19; 15, 36; Act. 20, 11. Quando autem vetusti erant et procul transportati, facile rumpebantur atque in frusta comminuebantur: Jos. 9, 5, 12.

Frustulum sanctum in manus traditum. DEDITQUE etc.: singulis, ut videtur, dedit in manus frustum panis consecrati; adeo ut quisque sibi in os illud poneret (id notent pictores). Hoc omnino innuunt verba *Accipite et manducate.* Per plurima secula hic modus in s. Communione servatus fuit: cf. Tert. *De Orat.* 14; id. *Ad uxor.* 2, 5; s. Cypr. *De lapsis*, iterum *De bono patientiae*, pariter *De spectac.*; s. Cyrill. Jeros., *Catech.* 5; s. Chrys. *De sacerd.* 3, 4; Ps.-Aug., apud Migne in Append. *Serm.* 292, n. 6. Alias citat. vide ap. Lacerda in *edit. Tert.* not. ad libr. *De orat.* 14. Jesus, juxta communem sententiam (cf. q. 664), unum panis sancti frustulum sibi retinuit et sumpsit: tum ut sacrificium absolveret, tum ut invitaret discipulos, ne forte abhorrerent audientes corpus ipsius esse.

Quo momento facta sit consecratio. ET AIT: HOC EST etc. Non postquam fregerat panem, singulisque dederat, ait *Hoc est* etc.; sed sensus est: quando panem fregit deditque discipulis suis, ait *Hoc est* etc.; adeo ut haec verba pronuntiaverit antequam panem (speciem panis) distribueret, forsitan eo ipso momento quo panem frangeret (quod innuit L. *fregit et dedit eis dicens*, i. e. dum interea diceret *Hoc est* etc.); vel, ut alii opinantur, antequam frangeret. Etenim, per prolata verba HOC EST CORPUS MEUM, non (ut opinatur Innoc. III, *De s. altaris Myst.* 4, 6), per solam benedictionem interiorem, Christus panem consecravit: igitur, eodem momento, quo haec verba dicta sunt, facta est, per vim supernaturalem quam verbis suis tribuit Filius Dei, miraculosa **transsubstantiatio,** seu mutatio totius substantiae panis in substantiam corporis Christi.

Praecipua argumenta, quibus haec doctrina demonstratur, indicavimus in *Comm.* nostro *Epist. Paul.* (6ª ed.), ad 1 Cor. 11, 24. Unum tantum hic attingo.

Est corpus, non **figurat corpus.** Verbum *est* positum non fuit pro *significat,* ut vult Zwingel, nam nullibi dicitur *est* pro *significat:* ne quidem in his Gen. 41, 26 *Septem boves pulchrae septem ubertatis anni sunt,* neque 1 Cor. 10, 4 *Petra autem erat Christus.* In illis enim locis agitur de allegoria et figura, et *est* retinet vim suam nativam: boves istae *sunt* (revera sunt) figura ubertatis; petra *erat* (revera

erat) figura Christi. In nostra narratione de Eucharistia non agitur de figura seu allegoria, nec Christus dicit *hic panis est corpus meum*, sed *hoc est corpus meum*. Praeterea, ex promissione Eucharistiae J. 6, 32, sq., praes. 51 sq., patet panem consecratum non esse *figuram* corporis Christi, sed *esse vere* et realiter *corpus Christi : qui manducat meam carnem* etc., ergo agitur de manducanda *vera* Christi *carne*, non *figura* ejus.

Apostoli turbati non sunt, cum verba ista, adeo mira et vere stupenda *Comedite, hoc est corpus meum*, audirent : quare ? Resp. s. Chrys. : « Quia multa magnaque ea de re jam ipsis dixerat, » nempe, quando institutionem ss. Euch. eis promisit, cap. VI J. Deinde idem, qui mysteria tradebat, mentem eorum fide illustrabat.

Homiliticum. Ad verba *Accipite et comedite* exclamat s. Chrys. : « Quot sunt qui modo dicunt : Vellem Christi formam, typum, « vestimenta, calceamenta videre ! Ecce illum vides, ipsum come- « dis. Et tu quidem vestimenta videre cupis ; ipse vero seipsum « tibi dat, non videndum modo, sed tangendum, comedendum, « intus accipiendum. Nemo itaque nauseans accedat, nemo remis- « sus, omnes ferventes et excitati. »

Quod pro vobis datur, addit L. : haec duplici modo explicantur, nimirum :

1° Interpretatio minus recta.

Quod (corpus meum) pro vobis tradetur in mortem (datur praesens pro futuro *dabitur) :* qui quidem sensus, aiunt patroni prioris sententiae, commendatur, tum ex eo quod in consecratione calicis dicatur *qui (sanguis) pro vobis fundetur*, tum ex loco parall. 1 Cor., ubi secundum lectionem probabiliorem habetur *quod pro vobis frangitur* κλωμενον, cujus sensus, aiunt, videtur esse : quod cruciatibus tormentisque frangetur, quod supplicio tradetur acerbissimo.

At vero istam explicationem censemus derelinquendam esse, propter sequentes rationes :

a/ Gratuito, et pro libitu, absque causa sufficiente, tempus praesens *datur,* διδομενον convertitur in futurum.

b/ Eo vel magis quod, loco futuri *tradetur*, 1 Cor. legatur διδομενον vel κλωμενον, quod participium est praesentis temporis.

c/ Insuper, futurum *fundetur*, quod apud M., Mc. et L. (ubi de consecratione calicis scribunt) legitur in Vulg., in textu primigenio trium Evangelistarum non reperitur, sed constanter scribitur praesens ἐκχυμένον, quod verti debet *funditur*, *effunditur*, nam particip. praes. graecum numquam pro futuro adhibetur (*Winer *Gram.* 45) : non excipitur M. 6, 30 *fenum quod cras in clibanum mittitur* βαλλόμενον, nam non narratur quod cras futurum sit, sed per modum adjectivi gramen describitur.

d/ Tandem, 1 Cor. *quod pro vobis frangitur* κλώμενον (lectio probabilior) in sensu obvio et naturali explicatur de specie panis qui frangitur et distribuitur ; quemadmodum in consecratione calicis sanguis dicitur *effundi*, ratione speciei vini quod e calice effunditur, cum bibitur. Cf. *Comm.* nostr. *in Ep. Paul.* 6ª ed. 1899.

His adducti rationibus, alteram amplectimur sententiam, quam nunc exponemus.

2° Vera interpretatio.

Igitur, alii melius explicant sequenti modo : *quod* (corpus meum) *hic et nunc pro vobis datur, Deo offertur, mystice et incruento modo immolatur* pro vestra salute. *Immolatio* autem seu mors victimae repraesentatur per separationem sanguinis a carne, quae quidem separatio efficitur mystice per distinctam consecrationem panis et vini. Igitur verba *Hoc est corpus meum* significant, non tantum factam fuisse panis consecrationem, sed etiam oblatum fuisse sacrificium proprie dictum (adjuncta nempe consecratione vini). Proinde, vi verborum istorum Christus hinc quidem seipsum vere et in rei natura praesentem reddidit sub specie panis, illinc vero tamquam victimam Deo oblatam se exhibuit. Ita Beelen, Bisp. etc.

Q. 663. Ss. Eucharistia tamquam sacrificium.

Utcumque se habeant illa quae modo diximus, de vera interpretatione verborum *quod pro vobis datur,* aliunde certa et certissima est doctrina hujus posterioris sententiae. Christus enim Eucharistiam instituit, non solum ut verum et proprie dictum novae legis *Sacramentum,* sed etiam tamquam verum et proprie dictum novi Test. *sacrificium*, unum et idem, ad rem quod attinet,

ac sacrificium crucis, sed modo incruento Deo oblatum, nimirum per distinctam panis et vini consecrationem, qua significatur disjunctio carnis et sanguinis, seu sanguinis effusio, i. e. victimae immolatio.

Sacramentum Ordinis.

Jam vero, Christus voluit ut sacrificium illud Eucharisticum perpetuo in Ecclesia celebraretur, atque in hunc finem Apostolos sacerdotes proprie dictos novae legis instituit et consecravit, eisque et successoribus eorum legitimis potestatem dedit supernaturalem consecrandi panem et vinum in ss. Missae sacrificio. Quod quidem perfecit addendo : Hoc, quod ego nunc facio, FACITE IN MEAM COMMEMORATIONEM, i. e. Sacramentum Eucharistiae conficite, sicut ego feci, et sacrificium Missae offerte, sicut ego feci. Hanc enim his verbis inesse vim et significationem, ut dogma fidei definivit conc. Trid., sess. 22, can. 2. Videsis annot. nostr. in 1 Cor. 11, 24 et 25. Ex narratione s. Pauli videmus verba *hoc facite in meam commemorationem* etiam pronuntiata fuisse post consecrationem panis, adeoque apud L. in fine v. 20 supplenda esse.

Ex dictis colligitur, Christum hic instituisse 1° Sacramentum Eucharistiae, 2° Sacrificium Missae, et 3° Sacramentum Ordinis.

Q. 664. An Jesus etiam sumpsit Eucharistiam ?

Communis sententia est, Salvatorem, ut supra jam animadverti, in ultima Coena suum ipsius corpus et sanguinem sumpsisse, et in ratione quidem Sacramenti, quamvis gratiam seu gratiae augmentum non acceperit, quum gratiae plenitudine a primo incarnationis momento frueretur. Ita s. Th. 3, 81, 1. S. Aug. *De doctr. christ.* 2, 3 de Christo dicit « Sacramento corporis et sanguinis sui « praegustato. » S. Chrys. *in M.* 26, 28 « Suum, ait, ipse sanguinem bibit. » S. Hier. *Ep. ad Hebid.* q. 2 : « Christus ipse conviva et convivium, ipse comedens « et qui comeditur. »

Hanc autem sententiam non admittit Knab., quia Evangelistae dicunt Jesum *dedisse Apostolis* panem, *dedisse* calicem, non ipsummet manducasse aut bibisse. Deinde effectus Sacramenti, quos ipse Christus indicavit (*vita*, *manere in Christo* etc.), ipsi non conveniunt. S. Hier., ait idem Knab., potest ita intelligi ut Jesus dicatur cum ipsis coenam Paschalem fecisse ; apud s. Aug. lectio non est certa ; s. Chrys. revera tenet Christum bibisse suum sanguinem, sed ratio quam affert (ne Apostoli horrerent bibere, Christus dedit exemplum) non est firma, quum species

seu externa vini apparentia remaneret, et antea J. 6 de Eucharistia edocti fuissent. Juxta s. Thom. Christus voluit ipse primus observare quae aliis praescripsit, sed hoc non semper fecit, sic baptismum Sacramentalem non suscepit.

Conclusio. Sententia communis magnam habet auctoritatem ex s. Thoma, sed rationes internae favent alteri sententiae.

Sed haec hactenus. Narrationem Evangelicam explicare pergimus, et ad consecrationem calicis jam accedimus.

Q. 665. B/ Calicis consecratio.

M. v. **27.** *Accipiens calicem,* cum vino, quod probabiliter **rubrum** fuit : namque in illa regione, atque in illis rerum adjunctis, vinum plerumque rubrum adhibitum fuit : « Judaei, ait *Buxtorf. *Diss. de coena Dom.* 20, praestantissimum et generosissimum vinum, et hac de causa *rubrum*, communiter comparare jubent ad festi Paschalis celebrationem. » De cetero, notum est vinum dici *uvarum sanguinem*, Gen. 49, 11 ; Deut. 32, 14; Eccli. 39, 31 ubi pro *botrus uvae,* in gr. est αἷμα σταφυλῆς ; ib. 50, 16 ; 1 Mach. 6, 34.

Porro, **vinum,** quo Jesus usus est, probabiliter **aqua mistum** erat : Trid. *Sess.* 22, 7 dicit de aqua vino miscenda in Missae sacrificio, « quod Christum Dominum ita fecisse credatur ». Et merito quidem, namque Hebraei (sicut Graeci et Romani) propter coeli ingenium, quum vina in Oriente generosa sint et calida, aquam admiscere solebant : cf. Prov. 9, 2, 5 ; Apoc. 18, 6 (hic citandus non est Is. 1, 22); cf. etiam in Talmude *Mischna Pesach.* 7, 13, Hodiedum in Oriente aqua simul cum vino (non in vino, ait *Winer *Rwb.*, a. *Wein*) bibitur. Jam aetate s. Justini M. *Apol.* 1, 65 in Missae sacrificio aqua vino miscebatur ; imo s. Cypr. *Ep.* 63 ad *Coecil.* de sacr. Dominici calicis, illud *Dominicam traditionem* vocat.

L. POSTQUAM COENAVIT : haec verba videntur supplenda apud L. post *accepto pane ;* nam calix statim post panem fuit consecratus (Bellarm. tamen *de Euch.*, 1, 4 censet plura intercessisse). Utrumque autem, ut supra dixi, factum est ad finem coenae, mensa nondum ablata. Quare autem L. et s. Paulus verba *postquam coenavit* non apponant, quando de consecratione panis loquuntur, per conjecturam explicare conatus sum in annot. 1 Cor. 11, 25 (6ª ed.).

Calix non injunctus omnibus.

BIBITE EX HOC ([1]) OMNES : mens Jesu haudquaquam fuit ut assereret, ab iis qui ss. Sacram. accipere velint, semper et ubique sumendum esse calicem, quasi illicita sit Communio sub una specie panis (Trid. 21, can. 1 damnat eos qui hoc dicunt) ; sed illud ait, quia uni tantum calicem porrigebat, non omnibus et singulis (ut fecerat cum panem sacrum distribueret), et volebat ut alter alteri calicem in orbem traderet. *Apostolis* tunc dictum fuit *Bibite omnes*, et quando postea sacrificium Missae celebrarunt, semper debuerunt *calicem bibere ;* sed quod ipsis tamquam Christi ministris injunctum fuit non statim referri debet ad *simplices fideles*. Sic Apostolis praeceptum fuit *Ite in mundum universum et praedicate* etc. : an omnes christiani id facere debent ? Ceterum, Ecclesia, quae rem definivit, divina auctoritate judicat.

Formula consecrationis vini.

28. HIC EST SANGUIS MEUS ([2]) : *hic* non adv. est, ut patet ex graeco τουτο εστι ὁ αἱμα μου ; sed adj. quod refertur ad *sanguis*, et ponitur pro *hoc*, quemadmodum dicitur *haec est voluntas Dei*, pro *hoc* est voluntas Dei. Praeferrem sumere τουτο pro substantivo et vertere *hoc* est sanguis meus, sicut in consecratione panis verba sic intelligo : *hoc* quod vobis praebeo *est* corpus meum. Ceterum, sensus non differt, ad rem quod attinet.

SANGUIS MEUS NOVI (voc. *novi* est glossema, ex L. 22 20, et 1 Cor. 11, 25) TESTAMENTI : διαθηκη saepe sign. *foedus*, ut Act. 7, 8 ubi de foedere circumcisionis, aliquando tamen *testamentum*, i. e. voluntatem ultimam, ut Gal. 3, 15. Hic merito vertitur *testamentum*, quia foedus hoc novum, quod sancitum fuit in sacrificio Eucharistico, et proinde *per mortem* Jesu in sacrificio crucis (nam unum et idem est sacrificium, cruentum in cruce, incruentum in Eucha-

(1) Genuae asservatur vas quoddam, sub nomine *Sagro Catino*, quod dicitur ipsemet calix in ultima Coena a Jesu adhibitus. De eo scribit Rohault de Fleury, *Mém. sur les instr. de la passion* : « C'est une grande coupe de verre, de couleur verte émeraude, et de belle forme, ayant 0^m32 de diamètre. »

(2) Mc. v. 24 formulam consecrationis calicis refert postquam dixerat v. 23 *biberunt ex illo omnes* hac in re habetur parva quaedam indiligentia Evangelistae illius.

ristia), et quo *hereditas* nobis advenit, aliquo sensu induit formam *testamenti :* cf. Hebr. 9, 15-17. Sensus est : hoc quod vobis praebeo in calice, est sanguis, quo sancitur foedus Deum inter et homines, proinde quo homines cum Deo reconciliantur, aliis verbis, quo generis humani peccata expiantur : imo vero, quo salus et gratia, per N. T. obtinenda, perficietur : etenim omnis gratia omnisque salus efficiuntur per merita mortis Christi, seu per vim sacrificii crucis.

Habetur hic allusio ad Ex. 24, 8 ubi Moyses, postquam leges foederis cum Deo initi praelegerat, sanguinem victimarum respersit in populum, dicens : *Hic est sanguis foederis quod pepigit Dominus vobiscum ;* quo ritu significavit populum expiatum fuisse, et ad foedus cum Jehova assumptum fuisse. Quod tunc *figurate* cum sanguine victimarum factum fuit, hoc nunc *realiter* perficitur cum sanguine Christi : per hunc sanguinem expiata fuerunt peccata, et Deus novum foedus cum hominibus redemptis conclusit (Hebr. 10, 29 ; 13, 20).

Itaque declaratur in Eucharistia verum esse sacrificium, illudque idem clarius indicatur verbis : *Qui pro multis effunditur* (vera lectio) *in remissionem peccatorum* : ergo hic et nunc effunditur tamquam sacrificium expiatorium peccatorum, ergo in Eucharistia.

Pro multis περὶ πολλῶν, ait, loco *pro omnibus*, propter rationem in annot. nostr. Hebr. 9, 28, traditam : nempe, quia erunt qui sua culpa effectum sacrificii non participabunt: a parte rei tamen, quoad vim sacrificii et quoad intentionem Christi, est *propitiatio pro peccatis totius mundi* 1 Jo. 2, 2. Lucas autem dicit *pro vobis*, ὑπὲρ ὑμῶν, quia Christus loquitur Apostolis ; sed dicere potuit *pro multis*, quia volebat ut idem sacrificium celebraretur usque ad finem mundi (*Hoc facite* etc.). Ideo in canone Missae legitur : *pro vobis et pro multis*.

Illud autem *pro multis* seu *pro vobis*, magis definitur per verba IN REMISSIONEM PECCATORUM : qua dictione clare exprimitur fieri **sacrificium**, namque in Scripturis quando sanguis dicitur *effundi in remissionem peccatorum*, id semper dicitur ratione *oblationis* sanguinis Deo factae. Erat enim in sacrificiis antiquis oblatio *sanguinis* ejusque ad aram effusio pars praecipua *sacrificii*, erat actio *sacrificalis* quae a solo *sacerdote* peragi debebat, Lev. passim et praes. 17, 11. Praeterea, sanguinem *sacrificalem* aperte significat Christus

quando sanguinem suum appellat *sanguinem testamenti*, quo nempe sancitur novum foedus, sicut sanguine dedicatum fuerat vetus foedus, utique per *sacrificium solemnissimum*.

In remissionem peccatorum, et in omnia quae inde sequuntur, sc. in justificationem, adoptionem in filios Dei, gratias connexas, et tandem consecutionem gloriae coelestis.

Q. 666. Considerationes theologicae in ss. Eucharistiam.

Quaedam generalia addimus ex s. Thom. *in 1 Cor.* 11, 23.

Et I° quidem *De* **necessitate** *institutionis*. « Quia corporalia sunt quaedam similitudines spiritualium, oportet Sacramenta proportionari eis quae sunt necessaria ad vitam corporalem: in qua primo invenitur generatio, cui proportionatur Baptismus... Secundo ad vitam corporalem requiritur augmentum..., et huic proportionatur Sacram. Confirmationis... Tertio requiritur alimentum, per quod corpus hominis sustentatur : similiter vita spiritualis per Sacram. Euch. reficitur. Est autem notandum quod generans non conjungitur genito secundum substantiam, sed solum secundum virtutem: sed cibus conjungitur nutrito secundum substantiam. Unde in Sacram. Baptismi, quo Christus regenerat ad salutem, non est ipse Christus secundum suam substantiam, sed solum secundum suam virtutem : sed in Sacram. Euch., quod est spirituale alimentum, Christus est secundum suam substantiam. » **Pulchra sane ratiocinatio.**

II° Quare sub **alia** specie ? « 1° Ne esset horribile fidelibus, si in propria specie carnem hominis ederent et sanguinem biberent. 2° Ne hoc ipsum esset derisibile infidelibus. 3° Ut cresceret meritum fidei, quae consistit in hoc quod creduntur ea quae non videntur. »

III° Quare sub **duplici** specie ? « Propter ejus perfectionem, quia cum sit spiritualis refectio, debet habere spiritualem cibum et spiritualem potum. Nam et corporalis refectio non perficitur sine potu et cibo. Secundo propter ejus significationem. Est enim memoriale Dominicae passionis, per quam sanguis Christus fuit separatus a corpore : et ideo in hoc Sacramento seorsum offertur sanguis a corpore. » Etc.

IV° Quare sub specie **panis** et **vini ?** « 1° Quia pane et vino communiter utuntur homines ad suam refectionem... 2° Propter virtutem hujus Sacramenti : nam panis *confirmat* cor hominis, vinum vero *laetificat*. 3° Quia panis qui ex multis granis fit, et vinum ex multis uvis. significant Ecclesiae *unitatem*, quae constituitur ex multis fidelibus. Est autem haec Eucharistia specialiter *Sacramentum unitatis et charitatis*, ut dicit Aug. super Joannem. »

Pro alumnorum exercitatione quasdam subjungimus quaestiones ex dictis solvendas.

Q. 667. M. affirmat ss. Eucharistiam institutam fuisse *coenantibus eis* (Jesu et Apostolis) : L. vero et s. Paulus *postquam coenavit* Jesus. Qua ratione isti inter se conciliantur ?

Q. 668. Panem, quem Christus in instituenda Eucharistia adhibuit, fuisse 1° azymum, 2° planum tenuemque in modum placentae, paucis demonstra.

Q. 669. Christus, cum ss. Eucharistiam instituerat, *benedixit* panem, antequam eum fregit deditque discipulis; quid intelligis per *benedixit?* an idem est ac *consecravit?* Proba consecrationem factam fuisse per verba *Hoc est corpus meum, hic est sanguis* etc., ea explicando.

Q. 670. Quomodo Christus in ultima coena distribuit s. Communionem?

R. Sub duplici specie panis et vini. Quod autem attinet ad panem, singulis, ut videtur, dedit in manus fragmentum panis consecrati; calicem vero cum vino consecrato tradidit uni ex Apostolis, ut ipse biberet et dein vicino praeberet, qui vicissim alii porrigeret, donec omnes in orbem accepissent.

Q. 671. Quo temporis momento Jesus in ultima coena panem in corpus suum transsubstantiavit?

Q. 672. Explica secundum duplicem sententiam verba L. *Hoc est corpus meum quod pro vobis datur.* Quaenam sententia probabilior est et quare?

Q. 673. Ostende Christum, cum instituerat Sacram. Euch., sacrificium novae legis et Sacram. Ordinis simul instituisse.

Q. 674. Quibus verbis usus est Christus in consecratione calicis? Ea interpretare.

Figurae ss. Eucharistiae.

***Q. 675.** Indica praecipuas ss. Eucharistiae figuras, quae in divinis Literis reperiuntur.

R. 1ª **Manna** est: J. 6, 31 sqq. S. Aug. *Serm.* 352, n. 3, ap. Migne.

2ª **Agnus paschalis,** cujus immolatio significat Eucharistiam ut sacrificium, dum comestio ejus Eucharistiam ut Sacramentum praefigurat.

3ª Pariter **victimae sacrificales,** quae post immolationem in Templo factam ab offerentibus edebantur.

4ª **Panis subcinericius** cum vase aquae ab Angelo Eliae oblatus in loco deserto, 3 Reg. 19, 5 sqq., de quo scribitur: *Ambulavit* (Elias) *in fortitudine cibi illius usque ad montem Dei.*

5ª **Arca Foederis,** quam Deus in V. T. mirabili sua illustrabat praesentia, Tabernaculi Eucharistici aptissimam referebat imaginem: quemadmodum Tentorium sanctum et Templum Jerosolym., in quibus Arca Dei custodiebatur, insignem nostrarum ecclesiarum figuram exhibet.

6ª **Lignum** (arbor) **vitae,** Gen. 2, 9. Cf. Apoc. 22, 2, ubi videt s. Joannes in *civitate sancta Jerusalem* scil. coelesti, cujus figura est Ecclesia in terris, *lignum vitae in medio plateae* ejus, ideoque omnibus civibus expositum atque ultro oblatum; plantatum *ex utraque parte fluminis,* quod *de sede Dei et Agni procedit,* quodque *splendidum* est *tamquam crystallum,* utpote *aqua vitae* repletum. Eucharistia enim vim et efficientiam omnem inde accipit, quod in ea fluat Divinae Gratiae copia, quodque fons gratiarum omnium, fons uberrimus et inexhaustus, Jesus-Christus, in ea praesens sit. Porro lignum istud vitae, tanta aquae copia irriguum, fructum affert abundantissimum, imo continuum atque indeficientem: etenim *per menses singulos reddit fructum suum,* non per annos singulos ut solet. Nec tantum ex fructu prodest illud lignum, sed *folia* quidem ipsa sunt *ad sanitatem gentium.* Quod si utrumque ss. Eucharistiae accommodemus, dicemus ex ea vires accipi, tum ad *sanitatem*

animae nostrae, ut haec a concupiscentia et peccato curetur, quum praesertim ad eam *nutriendam fructibus sanctitatis*. Cf. Gaume, *Cat. de persévér.*

7ª **Panes propositionis.** Cf. Gaume, ib.

8ª **Sacrificium Melchisedech,** qui panem et vinum Altissimo obtulit, praesignificat Sacrificium Missae: cf. s. Cypr. *Epist. ad Caecil.* (in Brev. Rom. infra Oct. Corp. Chr., fer. 3ª). Infra, q. 1001, in nota margin. ostendemus contra Protestantes Melchisedechum vere *sacrificium* obtulisse *in pane et vino*. De hoc tamen non loquitur s. Paul. Hebr. 7, 1-10, ubi exponit Christum esse sacerdotem *secundum ordinem* seu similitudinem *Melchisedech:* omissio illa explicatur in *Comm.* nostro *Epist. Paul.* 6ª ed. 1899.

9ª **Sacrificia Abelis,** quae Deus benigno vultu respexit, Gen. 4, 4.

Conversio autem aquae in vinum, in nuptiis Canae, quoddam Transsubstantiationis exemplar haberi potest. Cf. s. Cyr. Jeros. *Cat. myst.* 4 (in Brev. Rom., die octava Corp. Ch.).

Panes a Jesu bis multiplicati etiam aliquam similitudinem cum miraculo Eucharistico prae se ferunt.

Juvat addere emblema Boschii: os leonis, in quo Samson examen apum favumque mellis invenit, et de quo posuit aenigma: *De comedente exivit cibus, et de forti egressa est dulcedo* Jud. 14, 14. Huic autem imagini Boschius sequens addidit epigramma: « Morte unius tot millia vivunt. »

Obiter notamus **Pelicanum** (de quo pluries mentio fit in Script., v. gr. Ps. 101, 7, pariter in hebr. Is. 34, 11 et Soph. 2, 14 etc.) in iconographia christiana haberi ut signum (gall. *symbole*) Christi Eucharistici: quod quidem signum ortum est ex veterum fabula, secundum quam avis illa pectus rostro lacerat ut pullos suo nutriat sanguine. Opinio autem illa videtur inde nata, quod pelicanus rostro suo comprimat bursam quamdam magnam *(une espèce de sac œsophagien ou de jabot)* sub collo pendentem, ut alimenta congesta ex ea foras prodire faciat, quibus pullos nutriat. S. Aug. *in Ps.* 101, 7 fabulam paulo aliter refert, eamque etiam ad Christum accommodat. Cf. magnum *Comm.* nostr. *in Psalm.* 3ª edit., ad Ps. cit.

Nota.

M., postquam ss. Eucharistiae institutionem narravit, refert verba Christi de vino non amplius in terris bibendo, v. 29: haec autem antea prolata fuisse videntur: ideo ea explicavi supra post q. 657.

Versus autem 30 *Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti,* secundum ordinem temporis sequi deberet versiculum 35: haec est enim sententia probabilior, ut infra dicemus.

Punct. III. Judae proditio praedicitur et proditor detegitur: 26, 21-25.

Praeced. vide supra ante q. 653.

M. 26, 21. Et edentibus illis dixit: Amen dico vobis, quia unus vestrum me traditurus est. 22 Et contristati valde,

Mc. 14, 18. Et discumbentibus eis et manducantibus, ait Jesus: Amen dico vobis, quia unus ex vobis tradet

coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine? [23] At ipse respondens ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet. [24] Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo: vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille. [25] Respondens autem Judas qui tradidit eum dixit: Numquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. [26] Coenantibus autem eis etc. *Vide supra ante q. 658.*

L. 22, 21. Verumtamen ecce manus tradentis me, mecum est in mensa. [22] Et quidem Filius hominis, secundum quod definitum est, vadit: verumtamen vae homini illi, per quem tradetur. [23] Et ipsi coeperunt quaerere inter se, quis esset ex eis qui hoc facturus esset.

me, qui manducat mecum. [19] At illi coeperunt contristari, et dicere ei singulatim: Numquid ego? [20] Qui ait illis: Unus ex duodecim, qui intingit mecum manum in catino. [21] Et Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de eo: vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei, si non esset natus homo ille.

J. 13, 21. Cum haec dixisset Jesus, turbatus est spiritu: et protestatus est, et dixit: Amen, amen, dico vobis: Quia unus ex vobis tradet me. 22 Aspiciebant ergo ad invicem discipuli, haesitantes de quo diceret.

23 Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu. 24 Innuit ergo huic Simon Petrus: et dixit ei: Quis est, de quo dicit? 25 Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine quis est? 26 Respondit Jesus: Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae. 27 Et post buccellam, introivit in eum satanas. Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.

28 Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei. 29 Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea, quae opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret.

30 Cum ergo accepisset ille buccellam, exivit continuo. Erat autem nox.

Q. 676. Proditor Eucharistiae institutioni adfuit.

Concordia historica. Judae proditoris notationem praecesserunt probabiliter tum lotio pedum humilitatisque commendatio, J. 13, 1-20, tum etiam institutio ss. Sacramenti (vide supra q. 659), adeo quidem ut, secundum sententiam nostram, Judas sacrilegam fecerit Communionem et sacerdotio insignitus fuerit. Quaestio haec multum disputatur, et auctores praeclari in utramque partem adducuntur.

Pro sententia affirmante.

Ita censent Orig. *in M.*; Vict. Antioch. *in Mc.*; s. Cyr. Hier. *Catech.* 13; s. Cyr. Alex. *in J.*; s. Chrys. *in M.* 26, 26; Theodor. *ad 1 Cor.* 11, 23; imper. Justinian. in *Edicto de fide christ.*; Nicephor. 1, 14. Pariter in Occid. Ps.-Cypr. in tr. *De card. operib. Chr.*, sc. in *tr. de Coena Dom.* (Append. oper. s. Cypr.); s. Hier. *Adv. Jovin.* 2; s. Aug. *in Ps.* 10, 4; *Ep.* 44, 10 ap. Migne; *Contra Fulgent.* 6; *in J.* tr. 50 et 59; s. Leo M., *De Pass.* s. 3 etc. Est

sententia communis (cf. Ben. XIV, *De festis* VI, 43, 44), cui favet Ecclesia, cum canit : « Panis vivus et vitalis hodie proponitur, quem in sacrae mensa Coenae, turbae fratrum *duodenae* datum non ambigitur. » (cf. s. Thom. 3, 81, 2). Dico *favet*, nam locutio *turba duodena* posset intelligi de collegio Apostolorum, etiamsi undecim tantum adfuissent.

Pro sententia negante.

Alteram tenent sententiam Const. Apost. 5, 16 ; aliquos ita sentire dicunt Vict. Antioch. *in Mc.*, et Theophyl. *in M.* : eam quoque admittunt s. Hil. *cap.* 30 *in M.* ; s. Cyr. Alex. ed. M. 9, 1065 ; Rupert. *in M.* et *in J.* ; Innoc. III *De myst. Missae* 4, 13 ; Salmeron *Tr. de Serm. in Coena ;* Mald. (saltem non improbat) ; Barrad. *Conc. Ev.* ; Lamy *Harm. Ev.* ; Schegg ; Langen ; Corluy ; Knab. et plerique recentiores.

Rationes pro sent. negativa.

Christus dixit *Bibite omnes :* an voluisset adeo explicite invitare Judam ad horrendum sacrilegium ? An voluisset ipsi tam indigno dicere *Hoc facite in meam commem.*, et munus sacerdotale, quod pro ministerio Ecclesiae ordinavit, conferre tali personae a qua nihil jam obsequii exspectandum esset ?

M. (quem pro more sequitur Mc.), qui Coenae adfuit, refert notationem proditoris ante Eucharistiam, et proinde supponit Judam exiisse ante Sacramenti institutionem : minus enim probabile est Christum bis eodem modo declarasse proditorem.

L. quidem 22, 21 aliam sententiam videtur indicare, ut statim dicemus : sed respondetur ipsum res in Coena gestas cognovisse tantum ex relatione alterius, adeoque potuisse in ordine rerum quamdam inversionem admisisse. Vel supponi potest ipsum, ut narrationem de Coena compleret, quaedam addidisse quae ante eam vel inter eam accidissent. Sic addit etiam contentionem *quis videretur major*, quae certe locum non habuit immediate post Eucharistiam : talia sensa Apostolorum tunc parum probabilia sunt ; potius dicendum hujusmodi contentionem ortam fuisse ante pedum lotionem, vel ante mensam. Neque ideo L. ab ordine temporis generatim spectato recedit ; nam servata serie eventuum

majorum, potest fieri ut quaedam adjuncta eventus majoris in fine narrationis suppleantur.

Sententiam affirmativam tenemus.

Rationes illae non tantae sunt ut nos a sententia communi abducant. Christus, pro infinita sua bonitate, voluit forte hoc ultimum amoris testimonium adhibere ut cor miseri istius emolliret.

Itaque opinamur verum ordinem servari a L., qui proditorem detectum fuisse narrat post institutam ss. Eucharistiam, a M. autem et Mc., qui hoc ante institutionem ss. Sacramenti referunt, rem paulisper anticipari. Lucam sequimur, ut solemus, quia peculiare ipsius consilium fuit omnia *ex ordine* scribere (L. 1, 3); dein, cum post M. librum exaraverit, ordinem hujus Evangelistae dedita opera immutasse videtur.

Sunt qui putent Christum praeter obscuram mentionem, quam de Judae proditione fecit J. 13, 10, 11, 18, 19, eamdem disertis verbis bis praedixisse (1), videlicet : semel ante institutam ss. Eucharistiam, ut narrant M. et Mc., et iterum post eam, ut dicit L., et huic ultimo adjungunt Joannem. Verum, quae L. habet plane eadem sunt ac ea quae reperiuntur apud M. et Mc.: atqui probabile non est eadem a Salvatore bis prolata fuisse. Ideo verba M. et Mc. cum narratione L. conjungimus, et censemus istorum expositionem complendam esse per ea quae apud J. 13, 21 sqq. legantur.

His positis, utile erit primum intercalare verba quaedam antea prolata, sc. J. 13, 10 sq., ubi Jesus statim post lotionem pedum *obscuram* quamdam *mentionem* fecit de proditore, deinde ad argumentum hujus puncti III de *diserta et aperta notatione proditoris* transibimus.

Q. 677. Obscura proditoris notatio obiter interjecta (ex. J.).

J. 13, 10... *Vos mundi estis, sed non omnes.* [11] *Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum : propterea dixit : Non estis mundi omnes...* [18] *Non de omnibus vobis dico : ego scio quos elegerim : sed ut impleatur*

(1) Ita Ben. XIV *De festis*, c. 6, 33, qui trinam Christi de Judae proditione distinguit praedictionem, primam initio coenae M. 26, 20, 21 ; alteram post lotos pedes J 13, 10, 19 (haec obscura indicatio est, potius quam diserta praedictio, quum proditor distincte non designetur) ; tertiam vero post Eucharistiae institutionem, L. 22, 21 et J. 13, 21 sqq.

Scriptura : Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum. [19] *Amodo dico vobis, priusquam fiat : ut cum factum fuerit, credatis quia ego sum.*

Sensus est : NON DE OMNIBUS VOBIS DICO, sc. vos futuros esse beatos per mei imitationem (v. 17); unus enim vestrum miser erit. Non tamen deceptus fui, quando eum in Apostolorum collegium cooptavi (nota connexionem) : SCIO enim QUOS ELEGERIM, sciebam eum fore malum ; SED nihilomenus eum elegi, tum ob alios fines, tum UT ADIMPLEATUR SCRIPTURA : QUI MANDUCAT MECUM PANEM, LEVABIT (in hebraeo *levavit* in praet.) etc.

Citatur Ps. 40, 10 libere, ad sensum. Hoc sibi vult Psalmista : amicus meus familiaris, socius meus et convictor, ipse mihi adversabitur, meque opprimere conabitur. *Levare calcaneum* aut *calcem contra aliquem,* dictio est translata, ab equis, qui pedibus jam percussuri sunt, deducta. Vulgata in Psalmis sic habet ex 70 Interpr. : *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem,* i. e. valde me supplantavit, seu conatus est me prorsus supplantare, me in terram dejicere pedibusque calcare : imago petitur ab athletis inter se luctantibus. Sensus, ad rem quod attinet, non differt ad hebraeo. Nunc autem, in Ps. 40 David loquitur de inimicis suis, et v. 10 singillatim de uno ex ipsis, qui olim intimus fuerat amicus, nimirum, ut videtur, de Achitopele 2 Reg. 15, 31 sqq. David autem typus fuit Messiae, ideoque Achitopel Judae proditoris : inde concludimus verba Psalmistae in sensu tantum mystico praedictionem continere.

AMODO DICO VOBIS PRIUSQUAM FIAT, UT CREDATIS QUIA EGO SUM, nempe Christus Filius Dei. Si Jesus rem non praedixisset, Apostoli forsitan putassent eam ipsi ignotam fuisse, ob eamque causam de ejus omniscientia dubitassent. Aliam addit rationem s. Hier., hanc nempe : ut Judas, videns consilia sua nota esse, ad meliorem frugem rediret veniamque peteret.

Omnia autem, quae ad *disertam apertamque* notationem Judae proditoris in ultima coena spectant, sequenti modo ordinamus.

Q. 678. Ordo rerum quoad **distinctam designationem Judae proditoris** in ultima Coena.

J. 13, 21 *Cum haec dixisset Jesus.* Quae jam narraturus est Joannes, non evenerunt statim postquam Salvator protulerat verba

quae ibi praecedunt, sed aliquamdiu serius, nempe post institutam ss. Eucharistiam, quando mensae cum suis adhuc accumbebat, et quaedam identidem manducabat, v, gr. panis buccellas in condimento acri vel in pulmento *charoseth* intinctas. Ideo dicit Mc. *discumbentibus eis et manducantibus*, et M. **21** *edentibus illis.* Pergit autem J.: *Turbatus est spiritu*, per amarissimam cogitationem de scelere Judae proditoris, *et protestatus est et dixit: Amen, Amen, dico vobis quia unus ex vobis tradet me.* Nempe *unus ex vobis qui manducat mecum*, Mc.; aliis verbis *Manus tradentis me mecum est in mensa*, L.

J. 22 *Aspiciebant ergo ad invicem discipuli haesitantes de quo diceret.* L. 23 *Et ipsi coeperunt quaerere inter se quis esset ex eis qui hoc facturus esset.* Non solum inter se quaerebant, sed etiam Jesum interpellabant; namque M. **22** *Et contristati valde, coeperunt singuli dicere: Numquid ego sum, Domine?* **23** *At ipse respondens, ait: Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* Per haec verba jam propius definiebatur quis esset iste.

M. **24** *Filius quidem hominis vadit, sicut scriptum est de illo,* in eo est ut mortem subeat, sicut praedictum fuit: *vae autem homini illi per quem Filius hominis tradetur! Bonum* (melius) *erat ei, si natus non fuisset homo ille.* **25** *Respondens autem Judas, qui tradidit eum, dixit: Numquid ego sum, Rabbi? Ait illi* submissa voce, adeo ut alii non audirent: *Tu dixisti.*

J. 23 *Erat ergo recumbens unus ex discipulis ejus in sinu Jesu, quem diligebat Jesus.* 24 *Innuit ergo huic Simon Petrus, et dixit ei: Quis est de quo dicit?* 25 *Itaque cum recubuisset ille supra pectus Jesu, dicit ei: Domine, quis est?* 26 *Respondit Jesus: Ille est cui ego intinctum panem porrexero. Et cum intinxisset panem, dedit Judae Simonis Iscariotae.* 26 *Et post buccellam introivit in eum Satanas*, ut plenius eum possideret.

J. *Et dixit ei Jesus: Quod facis, fac citius.* 28 *Hoc autem nemo scivit discumbentium ad quid dixerit ei:* ipsemet Joannes, qui jam noverat quis esset proditor, videtur non plane intellexisse quid praecise Jesus sibi vellet per ista verba satis obscura. 29 *Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quod dixisset ei Jesus: Eme ea quae opus sunt nobis ad diem festum*, ut Pascha postridie solemniter laeteque transigeretur: *aut* praecepisse *egenis ut aliquid daret.*

J. 30 *Cum ergo accepisset ille buccellam*, et verba Jesu audisset, *exivit continuo. Erat autem nox!*

Q. 679. Exegetica explicatio narrationis Evangelicae.

Ad pleniorem illius narrationis intelligentiam annotationes quasdam subjungemus.

M. 26, **21.** UNUS VESTRUM : non nominavit proditorem, ut ipsi parceret : « Ut ipsi latenti, ait s. Chrys., poenitendi facultatem « daret ; maluitque omnes terrere, ut hunc salvum faceret. » **22.** COEPERUNT SINGULI DICERE etc. : etiam de se ipsi inquirunt, ex vera humilitate. « Certe, ait s. Hier., noverant quod nihil tale « contra Dominum cogitarent ; sed plus credunt Magistro quam « sibi. Pertimescentes fragilitatem suam, tristes interrogant de « peccato cujus conscientiam non habebant. » NUMQUID EGO SUM? μητι εγω ειμι ; ipsa interrogandi forma indicat responsum negativum ab eis exspectari. Bisp. *Doch nicht etwa ich bin es ?* Gall. *Ce n'est pas moi, n'est-ce pas ?*

M. **23.** QUI INTINGIT, ὁ εμβαψας *qui intinxit* (in praeter.) MECUM MANUM IN PAROPSIDE, qui in hac coena eodem quo ego usus est catino. Marcus autem ait ὁ εμβαπτομενος in praesenti medio, *qui intingit ;* quod notat actum adhuc continuatum.

Quaenam paropsis ? Praeter agnum assum panesque azymos, ad coenam paschalem spectabant lactucae agrestes *(amaritudines* i. e. herbae amarae, Ex. 12, 8) cum acri condimento (gall. *avec une sauce piquante) ;* hae autem edebantur in memoriam amaritudinum quas Israelitae olim in exilio Aegyptiaco perpessi fuerant. Deinde mensae etiam imponebatur pulmentum quoddam densum et dulce (proprie *aigre-doux*), nomine חֲרֹסֶת **Charoseth,** ex palmis (gall. *des dattes*),amygdalis, ficubus etc. confectum acetoque commistum, quod colorem et formam longiorem laterum habebat, et in animum revocabat durum laborem quem subierunt patres in Aegypto, quando lateres fabricabantur: Ex. 1, 14. Igitur, *qui intinxit mecum manum in paropside* intelligitur ille qui carnem aut panem intinxit in catinum cum lactucis et condimento ; vel, ut opinantur alii, ille qui in pulmentum *Charoseth* panem intinxit. Verisimile admodum est in mensa plures fuisse catinos, et Judam haud procul a Jesu recubuisse, adeo quidem ut miser ille apostolus in eumdem catinum ac magister manum intingeret.

Proditor prope indicatur. Istis autem Christi verbis proditor

non certo distincteque designabatur, nam et alii praeter ipsum eodem utebantur catino ; attamen voluit Jesus eum propius indicare quam antea fecerat, quando dicebat *unus ex vobis :* nimirum ostendit quemdam esse sibi propinquum. Quia Judas non movebatur, illum nunc magis perstringit (s. Chrys). Ex dictis colligitur, verba *qui intinxit mecum manum in paropside* plus significare quam putant nonnulli interpretes, qui haec ita explicant : qui mecum manducavit. Lucas in loco parallelo scribit : *Manus tradentis me mecum est in mensa* : hoc autem eodem sensu ac M. *intinxit mecum manum in paropside* intelligo ; igitur verba ista L. majorem habent vim, quam si dictum fuisset : proditor mecum hic coenavit et adhuc mensae accumbit.

Cum s. Hier. miremur hic patientiam Domini, qui jam dixerat *Unus vestrum*, et proditorem in malo perseverantem videt, nec tamen nomen ipsius designat.

24. VADIT : M. et Mc. ὑπαγει, L. πορευεται, omnino significat mortem quam subiturus est : ut patet ex seq. *sicut scriptum est* M. et Mc., vel *secundum quod definitum est* L. Praesens autem de eo quod mox futurum est adhibetur : Beel. *Gram.* p. 280. *Vadit* indicat se non vi expelli e mundo, sed sua sponte exire.

SCRIPTUM EST, v. gr. Is. 53, 7 *Oblatus est quia ipse voluit* etc. : cf. etiam ib. v. 10. Dan. 9,26 *Post hebdomades sexaginta duas* (puta, quae sequentur septem alias v. praeced. jam indicatas) *occidetur Christus*. Cf. Act. 2, 23 ; 3, 18 ; 1 Petr. 1, 11. Knab. refert *scriptum est* ad facinus Judae per quod Jesus mortem voluit subire, et citat Ps. 40, 10, ad quem locum etiam spectat J. 13, 18, *qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum.*

Vae Judae ! VAE (1) AUTEM HOMINI ILLI M. et Mc., vel VERUMTAMEN VAE etc. L. : definita quidem ac praedicta erat mors Christi, Judas tamen crimen suum libere commisit ; nam non fecit quia praedictum erat, sed a Deo, qui omnia novit, etiam futura libera, praedictum erat, quia scivit Judam libere id facturum : ergo non impunus erit. Ideo addit Jesus : BONUM ERAT EI, i. e. per hebraismum *melius erat ei*, SI NATUS NON FUISSET HOMO ILLE.

(1) *Vae* istud terribilius videbitur, si inquiramus quoties et contra quos a Jesu *vae* prolatum fuerit ; vide supra q. 372.

Quo sensu melius est non esse ? Haec verba sumenda sunt tamquam effatum populare, quo maxima significatur miseria. Certe melius est esse quam non esse, si rerum universitatem spectemus ; adeoque ipsum esse hominum ad inferni supplicia damnatorum, habet quid boni et nihilo praestat, quatenus funesta istorum existentia Dei justitiam demonstrat ; sed ratione habita ipsius hominis damnati, quod attinet ad bonum ejus proprium, nihilum absolutum melius optabiliusque esset quam aeterna inferorum supplicia. Ideo Christus ait *Bonum erat* EI, non *bonum erat* generatim. « Poena, ait s. Hier., praedicitur, ut quem pudor non vicerat, « corrigant denuntiata supplicia. »

Judae impudentia retunditur.

25. JUDAS DIXIT etc. : « Quia ceteri interrogaverant, ne tacendo « se prodere videretur, ipse similiter interrogat (s. Hier.). » Eadem utitur formula, sed certe non eodem animo interrogat ; fingit se pariter timore quodam pio et purae conscientiae testimonio commotum, hypocrita !

Tu dixisti : non sign. quod vult s. Aug. *De cons. Ev.* 3, 1 : Tu dixisti, non ego dixi ; quasi rem in medio relinqueret, et sensus esset : Tu scire debes. Etenim, secundum modum loquendi Judaeorum, est formula concedentis et affirmantis, *recte, verum est.* Ergo hic sign. **tu es :** quod certissime constat ex M. 26, 64 coll. Mc. 14, 62 : cf. etiam M. 27, 11, ubi Jesus Pilato respondet *Tu dicis*, vel L. *Vos dicitis quia ego sum.* Sic in talm. Hier. *Dixerunt ipsi : Num mortuus est Rabbi ? Respondet ille : Vos dixistis.*

Ne autem haec aperta affirmatio pugnet cum J. 13, 23-26 (ubi narratur Joannem, innuente Petro, secreto petiisse quis esset proditor), admittere oportet (teste s. Aug. l. c.) verba illa *tu dicis* demissa voce, adeo ut nemo praeter Judam audierit, dicta fuisse : Judas certe prope Jesum accumbebat, quum, ut supra vidimus, eodem catino uteretur.

Lenitas Jesu. Miremur hic, cum s. Chrys., Jesu *lenitatem ;* quippe qui respondere potuisset : Quid, sceleste ? tanto tempore crimen parturis, jam iniisti pactum diabolicum, et audes adhuc interrogare ? Sed nihil horum ait, sic nobis terminos regulasque

injuriae ferendae statuens. « Non aspera, inquit s. Leo *De pass.* 7, « nec aperta impium increpatione confundit, sed leni ac tacita « admonitione convenit ; ut facilius corrigeret poenitudo, quem « nulla deformasset abjectio. Cur, infelix Juda, tanta benignitate « non uteris ? etc. »

Joannes primus novit quis sit proditor. J. 13, 23 sq. Petrus, ardenti impatientique indoli suae morem gerens, scire vult cum certitudine quis demum sit nequam ille : ideo nutu gestuque excitat Joannem, qui ad dextram Jesu, adeoque *in sinu ejus* recumbebat (cf. q. 654, ad 3), ut secreto, nemine audiente, proditoris nomen roget. Ipse Petrus, vel prope Dominum non accumbebat, vel saltem (si ad sinistram ejus esset, ut plures putant) eum interrogare non audebat, satiusque ducebat discipulum singulariter dilectum interponere. Si a latere Jesu sinistro esset, facile potuit, se paululum sublevando, non vidente Jesu signum facere Joanni a dextris Salvatoris recumbenti. Joannes autem statim annuit, et *cum recubuisset supra pectus Jesu* (Vulg.), seu potius *cum cecidisset sic* (illico) *in pectus ejus*, επιπεσων ουτως εις το στηθος, i. e. cum subito in pectus ejus se projecisset (ουτως indicat animum vehementem petituri), *dicit ei* etc. Jesus ei submissa voce respondit : *Ille est cui* buccellam *panis* in condimentum lactucarum vel in pulmentum Charoseth *intinctam* (vide supra ad M. 26, 23) *porrexero.*

Satanas plenius intrat in Judam. Miser ille Apostolus cum buccellam acciperet, sine dubio animadvertit Joannem, et forte Petrum, torvis oculis aspicientes ; unde concluserit proditionem suam, quam sciebat jam Jesu notam esse (quippe quum paulo ante ex ore ejus audiisset *tu dixisti*, i. e. utique proditor es tu), etiam aliis discipulis detegi : quamobrem se totum irae et ultioni tradidit, adeo ut J. v. 27 dicatur *Post buccellam introivit in eum Satanas*, puta penitius quam antea (cf. ipsemet J. 13, 2 ; et L. 22, 3), i. e. plene perfecteque in eum diabolus dominatus est, ut s. Chrys. et s. Aug. *in J.* explicant.

Quod facis, fac citius !

Jesus, videns Judae pertinaciam, jam addit : *Quod facis*, quod facere immutabiliter statuisti, quod facere cogitas, quod facere vis, *fac citius*, citius quam perficere moliris. Certe Judas usque in finem

coenae remanere cupiebat, ut pravum absconderet consilium suum, sperans fore ut, quando Jesus e coenaculo ad montem Oliveti egrederetur, ipse posset insciis Apostolis ad Judaeos recedere, et, secundum pactum cum istis antea initum, magistrum suum tradere. Cum autem Christus dicat *Fac citius*, specialem vocis sonum in verbo *citius* ponit : merito igitur s. Aug. *In Joan.* 13, 27 : « Non « praecepit facinus, ait, sed praedixit,... non tam in perniciem perfidi « saeviendo, quam ad salutem fidelium festinando, » i e. desiderans cito mori pro hominum salute. Adhuc melius s. Chrys. *in J.* : « Neque praecipientis est, ait, neque consulentis, sed exprobrantis » : utique *exprobantis*, non simpliciter *permittentis* ; cf. Ezech. 3, 27 *Qui quiescit quiescat*, i. e. qui omiserit audire, omittat !

Nemo ex discumbentibus, ne Joannes quidem (quod tamen censent aliqui post s. Chrys.), probe intellexit quid Dominus verbis illis obscuris *Quod facis, fac citius* significaret. Quidam enim putabant nonnulla ad diei festi celebrationem requisita, a Juda, qui loculos habebat, emenda esse ; aut egenis aliquid dandum esse. *Emere* autem in ipsa diei festi vespera licitum fuisse videtur, quando Pascha in diem sabbati non incidebat : cf. Ex. 12, 16.

Sed petitur quomodo dicatur emenda esse *ea quae ad diem festum opus essent*, quum coena Paschalis jam peracta fuisset. Responderi potest emenda esse quae ad reliquos dies festos (per 7 enim dies celebrabatur Pascha) solemniter transigendos forent necessaria, v. g. victimas. Quod porro dandum esset pauperibus, non certo cogitari debet adhibendum esse pro *coena Paschali* egenorum. Deinde, ut infra dicemus, sunt qui opinentur Hierosolymitanos nonnisi vespere diei sequentis agnum manducasse.

Exit Judas.

Judas autem, cum verba illa Jesu audisset, *continuo exiit*, J. Quo abierit non dicitur : probabiliter ad Pontifices, aliosque. Judaeorum proceres, in domo Caiphae vel Annae congregatos. Addit J. **Erat** *autem* **nox !** quibus verbis, quamvis brevissimis, terribile quid, quod animos legentium vehementer percellit, continetur : *nox erat*, opportuna proditioni, adeoque aptissimum tanti sceleris tempus ; *nox erat* etiam in animo miseri Apostoli, perversitatis summae tenebris obvoluto ; qui enim a Jesu discedit, *ambulat in tenebris* nec

lumen vitae in se amplius *habet*, J. 8, 12. *Nox erat*, quia jam dominabatur *potestas tenebrarum* (L. 22, 53), cui Judas Filium hominis tradebat.

Ad rerum memoriam refricandam quasdam subjiciemus quaestiones.

***Q. 680.** Quomodo Jesus in ultima coena proditionem Judae praedixit, ostenditque proditorem sibi perfecte notum esse?

R. Ante celebratam ss. Eucharistiam, in iis rerum adjunctis quae supra explicavi, obscuram mentionem de Judae scelere obiter fecit. Sed dedita opera eum designavit post institutum ss. Sacram., primo quando eum omnibus imperfecte indicavit, dein quando Judae aperte, etsi suppressa voce, dixit ipsum esse proditorem; tandem eumdem directe et nominatim notum fecit s. Joanni in sinu suo recumbenti.

***Q. 681.** *Qui manducat mecum panem, levabit contra me calcaneum suum* 1° In quibus rerum adjunctis Jesus verbis illis Psalmi 40 usus est? 2° Explica sensum eorum litteralem et 3° typicum. — Resp. ex dictis eruas.

***Q. 682.** *Qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet.* 1° Quis et de quo dixit haec verba? 2° Qua occasione? 3° Ex eis quae Judaei in esu agni Paschalis facere solebant, explica de qua *intinctione* et de qua *paropside* sermo habeatur. 4° An verbis illis proditor certo nominatimque notus factus est? — Resp. collige ex praec.

***Q. 683.** Quamnam Jesus exsecrationem pronuntiavit contra Judam proditorem? verba ejus explica. — R. *Vae homini illi per quem Filius hominis tradetur: bonum erat ei si natus non* etc. Vide supra.

***Q. 684.** Cum Judas rogasset a Jesu *Numquid ego sum, Rabbi?* quid respondit ille? 2° An istud responsum non pugnat cum J. qui narrat. se, in sinu Servatoris recumbentem, petiisse quis esset proditor? — Recole not. traditas, ac facile solvetur quaestio.

***Q. 685.** Quid tandem Judam impulit ut e coenaculo egrederetur ad prodendum Jesum? In responso varia describe rerum adjuncta quae ad egressum istum spectant.

Punct. IV. Jesus Apostolorum fugam et negationes Petri praedicit. 26, 31-35.

Concordia hist. Ante hoc punctum IV, ut dixi supra q. 652, venire deberent quaedam alia facta quae M. non attingit : nempe a/ Apostolorum contentio de primatu (1), L. 22, 24-30; b/ colloquium

(1) Haec est altera eorum contentio in Evang. expresse narrata: de priore vide supra q. 508. Ut ibidem dixi, quaedam etiam contentio significatur, quando filii Zebedaei tacite primas sedes petierunt, Si hanc connumeremus, fateri debemus contentionem in ultima coena habitam, fuisse 3ᵐ. In hoc nulla difficultas: sed dubium magnum oritur circa momentum quo in Coena facta fuerit illa contentio: an talia sensa ostenderunt Apostoli immediate post acceptam s. Eucharistiam? An non potius dicendum Lucam, qui solus de contentione loquitur, id adjecisse tamquam complementum quoddam eorum quae de Coena narraverat? sicut multi putant idem dicendum esse de iis quae refert quoad proditionem Judae, q. 765. Quo posito, contentio illa cogitari potest accidisse jam ante mensam, vel saltem ante pedum lotionem.

Jesu cum Petro : *Confirma fratres tuos*, L. 22, 31 et 32 ; c/ mors Jesu iterum praedicta, J. 13, 31-35 ; d/ Petrus interrogat *Domine quo vadis ?* J. 13, 36 et 37.

Utile duxi obiter inserere et explicare duo ex 4 illis factis, nempe ea quae spectant ad Petrum, quia ita complebuntur quae hactenus in Comment. dixi de Apostolorum principe, cujus quidem persona tantum habet momentum in Evangelio.

(Punctum insiticium).

COLLOQUIA JESUM INTER ET PETRUM.

L. 22, 31. Ait autem Dominus : Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum. 32 Ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua : et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

J. 13, 36. Dicit ei Simon Petrus : Domine, quo vadis ? Respondit Jesus : Quo ego vado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea. 37 Dicit ei Petrus ? Quare non possum te sequi modo ? animam meam etc.

Q. 686. Memoriter recita celeberrima Christi verba ad Petrum : *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit* etc., eaque interpretare. R. Christus respicit ad Job. I, 7 sqq., ubi diabolus a Deo petit ut Jobum per calamitates et miserias ad peccatum sollicitare possit. Sic etiam daemon conatus est Petrum, ceterosque Apostolos (*vos*), in peccatum, praesertim contra fidem, pertrahere. *Cribrare sicut triticum*, dictio translata quae significat : voluit vobiscum agere sicut agricola facit cum tritico, quando illud cribrat in eum finem ut paleas glumasque a bono grano separet et rejiciat ; sic experiri voluit utrum quidam ex vobis similes futuri essent paleis et glumis, adeoque tales qui a Deo essent rejiciendi tamquam peccatores ; i. e. simpliciter, utrum quosdam e vobis peccatores reddere posset.

ROGAVI PRO TE. Nota numerum singularem *te*, qui sequitur post pluralem *vos* (*expetivit vos*) : Christus imprimis pro Petro oravit, quia princeps erat Apostolorum totiusque fundamentum Ecclesiae, atque ideo fidei judex supremus, tutus, fidelis et nulli obnoxius errori. UT NON DEFICIAT FIDES TUA. Et re quidem vera, **Petri fides numquam defecit :** etenim, quando suum negavit magistrum, fidem interiorem non amiserat, sed brevi cessit infirmitati et ignaviae.

Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.

Q. 687. A quo et ad quem dictum fuit : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos.* Da duplicem sensum, et demonstra quis ex ambobus sit verus.

1ª Explic. Mald. ita : quemadmodum ego precibus meis obtinui ut non deficeret fides tua, sic etiam tu vicissim (*conversus,* hebraismus pro *vicissim*, *rursus* (1)) in fide confirma fratres tuos. Haec autem explicatio dedita opera propugnatur in miscell. *Etudes relig. Paris,* 1868.

2ª Explic. melior, quae est sententia communis : docet haec ad lapsum Petri referenda esse, hoc sensu : Tu aliquando conversus a peccato tuo (in quod incides, quando me negabis), confirma fratres tuos. Haec sententia nititur duplici argum. 1° Ista significatio verbi *conversus* pro *rursum* idiomati novi Test. contraria est : επιστρεφειν potius sign. *ad bonam frugem reducere, revocare,* sicut Jac. 5, 19 *Si converterit quis errantem,* επιστρεφῃ; vel intransitive *ad bonam frugem redire, resipiscere,* μετανοειν, sicut M. 13, 15, *ne quando convertantur* επιστρεφωσιν, i. e. *resipiscant.* Alia ex. dat *Sleusner *Lex.* 2° Etiamsi admittatur hebraismus, sensus non est *tu vicissim confirma,* sed *tu rursum confirma* : istud autem *rursum* indicat tempus intercessisse in quo Petrus non, ut antea, confirmabat fratres suos in fide, seu in quo eis non amplius dabat bonum fidei exemplum, quando nempe negavit Jesum. Ergo, etiam posito hebraismo, sententia communis praevalet.

Officium *confirmandi fratres in fide* cum *primatu* optime congruit : tamquam caput Ecclesiae Petrus erit Doctor infallibilis et judex in rebus fidei supremus, qui omnes fideles in fide recta servabit et firmabit.

Q. 688. In quibus rerum adjunctis Petrus ait Jesu : *Domine quo vadis ?* Quid Salvator ei respondit ? explicando.

Petrus verba Jesu J. 13, 33 *Quo ego vado, vos non potestis venire* non plene intellexerat ; putabat magnum periculum a magistro suo subeundum tacite indicatum fuisse : « Hoc autem dicebat, ait s.

---

(1) Gesen. *Lex.* notat שׁוּב sequente alio verbo *rediit et fecit,* vel *rediit ad* (aliquid) *faciendum* idem esse ac *iterum fecit.* Sic 4 Reg. 1, 11 et 13 ubi Vulg. vertit *rursum, iterum misit,* in hebr est *rediit et misit.* Sic etiam Ps. 77, 41 *Et conversi sunt* (וַיָּשׁוּבוּ *et reversi sunt*) *et tentaverunt Deum,* iterum tentaverunt Deum

« Chrys. *in J.*, non tam discendi quam sequendi illum desiderio. » Et hac occasione s. ille Doctor ferventissimum Petri amorem admiratur. — NON POTES, nondum idoneus es, quum infirmitati humanae nimis obnoxius sis ; oportet ut antea per virtutem ex alto, cum Spiritum s. acceperis, confirmeris. — SEQUERIS POSTEA : vaticinatio de martyrio s. Petri : cf. J. 21, 18, 19 ; vide infra, q. 982.

QUARE NON POSSUM TE SEQUI MODO ? Nondum rem mente percipit ; sed quum suspicetur gravissimum instare periculum, testatur sese ad omnia, etiam ad mortem, esse paratum. Pulcherrima sane Petri sensa, sed ex quadam animi ardentis inconsiderantia, nimiaque in viribus humanis fiducia, elicita fuerunt. « Experimento « disces, Petre, dilectionem tuam sine superna gratia nihil esse « (s. Chrys. *in J.*). » Ideo Jesus ejus arrogantiam retundit (J. v. 38) : *Animam tuam*, ait, *pro me pones ?* interrogatio vim habet vehementis negationis. *Amen, amen, dico tibi : Non cantabit gallus donec ter me neges.*

Nunc redimus ad M. 26, 31.

A. APOSTOLORUM FUGA PRAEDICITUR.

Praeced. vide ante q. 696.

M. 26, 30. Et hymno dicto exierunt in montem Oliveti (1). 31 Tunc dicit illis Jesus : Omnes vos scandalum patiemini in me, in ista nocte. Scriptum est enim : Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis. 32 Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.

Mc. 14, 27. Et ait eis Jesus : Omnes scandalizabimini in me in nocte ista : quia scriptum est : Percutiam pastorem, et dispergentur oves. 28 Sed postquam resurrexero, praecedam vos in Galilaeam.

Q. 689. An Jesus fugam Apostolorum et negationes Petri praedixit inter Coenam ? An vero in itinere ad hortum ? An semel tantum ista a Jesu praedicta fuerunt ? Hanc praedictionem M. et Mc. narrant, postquam scripserant Jesum cum Apostolis e coenaculo in montem Oliveti exiisse : L. vero et J. eam sub coena ultima ponunt. Ideo P. Patrizi duplicem lapsus Petri praedictionem admittit, unam inter coenam, alteram in itinere ad montem Oliveti. Hoc etiam Knabenb. probabile dicit, quia durius ipsi videtur versum 30 apud M. habere tamquam interpositum : obstat, ait, *tunc* 31. Imo vero s. Aug. *De cons. Ev.* 3. 2 opinatur Jesum de futuris Petri negationibus ter locutum fuisse, semel ap. M. et Mc. iterum ap. L., et

(1) Hic v. 30 poni debuisset inter v. 35 ubi de negatione Petri, et v. 36 *tunc venit Jesus cum illis in villam* etc. Atque ideo v. 30 recitabo infra, q. 696.

tertio ap. J. Verum probabilius mihi videtur **semel** tantum hac de re sermonem institutum fuisse, et **in coena** quidem ; a M. autem et Mc. ordinem temporis ideo fuisse immutatum, quia ista Jesu verba adducunt in eum finem ut agendi rationem Apostolorum in horto Oliv. (v. 36-43), et praesertim Petri (v. 69-75), quam statim postea narrant, explicent.

M. 26, **31.** TUNC : secundum nostram sententiam (q. 689), istud *tunc* respicit tempus quo Jesus cum Apostolis, in ultima coena, mensae adhuc accumbebat. SCANDALUM PATIEMINI IN ME : quod mihi accidet in hac nocte, erit vobis *scandalum*, occasio lapsus seu culpae quam committetis fugiendo et me relinquendo. SCRIPTUM EST ENIM : PERCUTIAM etc. : de hac prophetia specialem ponimus quaest. seq.

Q. 690. Zachariae oraculum. *Percutiam pastorem et dispergentur oves.* Explica. — Resp. Locus ille libere et summatim desumptus est ex Zach. 13, 7. Ibi Jehovah, loquens ad gladium suum, dicit : *Framea, suscitare super pastorem meum, et* (nimirum) *super virum cohoerentem mihi*, mihi acceptum, mihi propinquum, arctis vinculis mihi conjunctum; *percute* (percuties ([1])) *pastorem* illum, *et dispergentur oves : et* (sed) *convertam manum meam ad parvulos* illos, qui sicut oves dispergentur. Sensus est : Pastor meus, i. e. pastor, quem gregi meo (populo meo) praeposui, vir ille sanctus, qui mihi conjunctissimus est et amicissimus, gladio percutietur, i. e. occidetur, et oves dispergentur, i. e. discipuli ejus fugient : sed eos non deseram; namque *convertam manum ad eos*, et e periculo eos liberabo. Pastor autem ille, de quo loquitur propheta, est *Pastor bonus* (J. 10, 1 sqq.), Christus Messias, de quo scripsit Zach. c. 11, et cui populos ingratus mortem intulit. Loco verborum *et convertam manum meam ad parvulos*, Jesus idem dicit, ad rem quod attinet, cum addit **32** *Postquam autem resurrexero, praecedam vos in Galilaeam*, i. e. dispergemini quidem, sed non pro multo tempore; in Galilaea vos iterum mecum congregabo; post resurrectionem meam vos eo praecedam, illuc venite.

Nota Christum non dicere se *statim* post resurrectionem visum

(1) Vulgata hic M. 26, 31 vertit *percutiam* in 1ª persona ; sensus non differt, quia Deus dicitur ipse facere quod gladius ejus facturus est. Nota etiam morem esse prophetarum ut Deo adscribant id quod Deus permittit tantum : igitur quando Jehovah ait *Percutiam pastorem*, vult significare : permittam ut occidatur.

iri in Galilaea, aut ibi *tantum*, aut *priusquam* alibi. Igitur, haec promissio, quae ab Angelo M. 28, 7, et a Jesu ad vitam reduce M. 28, 10 renovata fuit, et quae legitur exsoluta M. 28, 16 et 17, nequaquam impedivit quominus Jesus pluries antea Jerosolymis et in vicinia spectandum se offerret.

B. Petrus Jesum ter negabit.

M. 26, 33. Respondens autem Petrus, ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor. 34 Ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis. 35 Ait illi Petrus : Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter et omnes discipuli dixerunt. 36 Tunc venit Jesus cum illis in villam etc., *infra ante q. 702.*

Mc. 14, 29. Petrus autem ait illi : Et si omnes scandalizati fuerint in te, sed non ego. 30 Et ait illi Jesus : Amen dico tibi, quia tu hodie in nocte hac, priusquam gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus. 31 At ille amplius loquebatur : Et si oportuerit me simul commori tibi, non te negabo. Similiter autem et omnes dicebant.

L. 22, 33. Qui dixit ei : Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire. 34 At ille dixit : Dico tibi, Petre, non cantabit hodie gallus, donec ter abneges nosse me. Et dixit eis : 35 Quando misi vos sine sacculo etc.

J. 13, 37.... animam meam pro te ponam. 38 Respondit ei Jesus : Animam tuam pro me pones? Amen, amen dico tibi : Non cantabit gallus, donec ter me neges.

Q. 691. *Antequam gallus cantet, ter me negabis* M., L. (1), et J. ; sed Mc. *Antequam gallus bis vocem dederit :* quomodo omnes inter se conciliantur ?

R. Probabilior sententia est M., L. et J. loqui de cantu galli circa auroram, haud diu post initium 4ae vigiliae noctis ; qui est galli cantus vulgo et proprie sic vocatus, quique intelligitur quoties simpliciter nominatur *galli cantus*, ut patet ex Mc. 13, 35 *Nescitis quando dominus veniat : sero, an media nocte, an galli cantu, an mane.* Marcus autem, quum de duplici galli cantu mentionem faciat, per priorem designat illum qui fit aliquantulum post mediam noctem, et per alterum intelligit eum qui ad auroram auditur.

Q. 692. In quibus rerum adjunctis Jesus affirmavit fore ut Petrus ter eum negaret ?

R. Postquam Jesus recitavit prophetiam Zachariae de qua in

(1) L. ait accurate : *donec ter abneges nosse me* : fidem non amittet, sed omittet professionem fidei; timore perculsus, coram aliis negabit se esse Christi discipulum, eumque sibi esse notum. — Hic apud L Jesus compellat Petrum nomine *Petri* : hoc fecit semel tantum in toto Evang.

q. 690, Petrus semper ardens et animosus exclamat **33** : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor.* Tunc Jesus magna cum vi retundit ejus jactantiam. Petrus dixerat *numquam*, et Jesus respondet *in hac nocte ; non scandalizabor*, ait Petrus, et Jesus respondet : non tantum scandalizaberis fugiendo et me derelinquendo, sed *me negabis,* et *ter* quidem. **34** *Amen dico tibi quia in hac nocte antequam gallus cantet, ter* (1) *me negabis.*

Q. 693. Quid Petrus respondit quando Jesus ei dixerat fore ut ter eum negaret ?

R. M. **35.** *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo ; L. Domine, tecum paratus sum et in carcerem et in mortem ire.* Pulcherrima sane Petri sensa, ex sincero cordis affectu et ardentissimo amoris aestu elicita, sed cum quadam arrogantia et nimia confidentia prolata. Teste s. Chrys., Apostolus addere debuisset : « Si gratia tua fruar : » verum, nondum satis noverat *spiritum* quidem *promptum* esse, *carnem* vero *infirmam*. « Petrus, inquit s. Aug. *De gr. et* « *lib. arb.* 17, putabat se *posse*, quod se *velle* sentiebat ; » et s. Chrys.: « Magnum hic, ait, dogma accipimus, non sufficere hominis fervo- « rem, nisi superna adsit gratia ». Quemadmodum Judae exemplum ostendit, nihil nos a superna gratia juvari, nisi voluntatis studium adjungatur : iste namque multo fultus auxilio, nihil hinc fructus percepit, quia noluit, nec sua contulit. Ex his duobus (ex gratia et bona voluntate) virtus contexitur (Ita fere s. Chrys.).

Similiter et omnes discipuli dixerunt, Petri exemplo animosiores facti, et bene conscii amoris ardentis quem erga magistrum suum sentiebant. Notat A Lap. eos verba Christi non sumpsisse tamquam praedictionem, sed tamquam probationem propositi sui et amoris ; ideoque, cum arbitrarentur Christum solum explorare animos, tam animose affectum suum demonstrasse.

Ceterum, per hanc praedictionem nullo modo laeditur liberum arbitrium, nam fuga fiet non quia Jesus eam praedixit, sed eam praedixit quia praevidit eam libere ineundam esse. — Jesus autem opportunum non duxit se eis opponere ulterius, quia eorum mens nimium concitata idonea non erat quae monita rite perpenderet.

---

(1) **Ter** negabit, sed *ter* amorem testabitur ; Christus *ter* in horto orabit etc. : vis est in numero **tres** ut perfectionem seu plenitudinem notet, sicut *septem*. Vide ad calc. in App. IV q. 1156

Q. 694 (pro repetitione). Quomodo s. Petrus verba Jesu, quibus praenuntiavit fore ut Apostoli omnes magistrum suum relinquerent, accepit?

R. 1° Vehementer negavit id futurum esse, saltem quod ad se attineret: *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor!* M. 2° Imo vero paratum se dixit *cum Jesu ire et in carcerem et in mortem*, L. 3° Et quod magis est, simul ac Dominus asseruit se ter a Petro negandum esse, et post paucas quidem horas (*in hac nocte, antequam gallus cantet*), Apostolus iste affirmationem suam iteravit: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo*, M. Dico *post paucas horas*, quia tunc jam intempesta nox erat; attamen nondum 2ª vigilia praeterierat, secundum s. Chrys. *in J.*

Ut rerum series habeatur completa, hic inserimus quaedam e s. Luca.

Ematur gladius (ex Luca).

L. 22, 35. Quando misi vos sine sacculo, et pera, et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis? 36 At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet sacculum, tollat similiter et peram: et qui non habet, vendat tunicam suam, et emat gladium. 37 Dico enim vobis: quoniam adhuc hoc quod scriptum est, oportet impleri in me: Et cum iniquis deputatus est. Etenim ea quae sunt de me finem habent. 38 At illi dixerunt: Domine, ecce duo gladii hic. At ille dixit eis: Satis est. 39 Et egressus ibat etc. *ante q. 696.*

Q. 695. Igitur Christus sermone figurato docet Apostolos suos deinceps exponendos esse hominum hostilitati, adeoque eos versaturos esse in magna rerum penuria, imo vero in vitae ipsius periculo. Si humana providentia nitendum esset, deberent secum afferre non solum ordinaria vitae subsidia (*saccum* cum pecunia, et *peram* cum cibis), sed etiam arma (*gladium*) ad vim repellendam: imo significat tam magna fore pericula, ut pro emendis armis vendendae essent ipsaemet vestes, etiam maxime necessariae, sc. *pallium* (ita in textu originali: Vulgata minus recte *tunica*). S. Chrys. *in M.* 26, 51: « Dixit illis *Emat gladium*, non ut armarentur, absit; « sed ut per hoc proditionem indicaret », i. e. non ut arma haberent, quibus de facto se et magistrum suum defenderent (nam Jesus noluit vim vi repellere), quam ut significaret summa instare pericula, et humana auxilia eis deinceps defutura.

Apostoli verba magistri rite non intellexerunt, nam responderunt: *Domine*, **ecce duo gladii** *hic*; neque opportunum judicavit Salvator mentem suam ulterius explicare: *Satis est*, ait. Hoc autem dupliciter intelligitur: vel *satis est* hac de re, de hoc non amplius loquamur (cf. Deut. 3, 26): ita Bisping. Vel *satis est* habere duos

gladios, *sufficiunt* (Syr. et ar.) duo : ita s. Cyr., s. Chrys. *in M.* 26, 51 ; Schegg.

Jesus permittit ut gladii isti afferantur, quemadmodum permittet postea ut Petrus uno istorum gladiorum utatur, quia inde manifestius fiet se potuisse vim vi repellere si voluisset, adeoque se libere et sponte passum mortuumque fuisse.

Dominus, postquam haec dixisset, non statim reliquit Coenaculum ut exiret in hortum Olivarum : vide q. seq.

Punct. V. Jesus exit in hortum Olivarum.

Praeced. vide ante q. 656.

M. 26, 30. Et hymno dicto, exierunt in montem Oliveti. 31 Tunc dicit illis Jesus etc. *supra ante q.* 689.

L. 22, 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum. Secuti sunt autem eum discipuli. 40 Et cum pervenisset ad locum etc.

Mc. 14, 26. Et hymno dicto, exierunt in montem olivarum.

J. 18, 1. Haec cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse etc.

Q. 696. Quid fecit Jesus in fine Coenae ?

R. Cum Apostolis cantavit *hymnum*, sc. ultimam partem Hallel, sicut Judaei facere solebant post coenam Paschalem (q. 657). Probabiliter illos Psalmos cecinit post sermonem qui refertur J. 14. Finito hymno dixit *surgite, eamus hinc*, J. 14, 31, et omnes surrexerunt a mensa, quasi profecturi ad hortum : sed, ut dicemus q. 702, probabiliter Jesus adhuc pronuntiavit stando totum illum sermonem pulcherrimum qui in extenso legitur J. 15-17 ; et illo absoluto (*cum haec dixisset* J.), coenaculum tunc tandem reliquit, et *egressus est trans torrentem Cedron* J. ad hortum Olivarum. Probabiliter exivit per portam Sionis meridionalem, et iter fecit per vallem Cedron, ut dicemus q. 702.

Ex. 12, 22 praescribitur ut post coenam Paschalem nemo domo exeat usque mane : sed hoc valuit tantum pro illa vice ; domi manere tunc oportebat, quia *Dominus percutiens Aegyptios transiturus erat.*

Ad verba *hymno dicto* notat s. Hier. : « Juxta hoc exemplum, « qui Salvatoris pane saturatus et calice inebriatus fuerit, potest « laudare Dominum et conscendere in montem Oliveti. » Sic martyres ante supplicium ss. Eucharistia corroborabantur.

Verba Evangelii statim recitata ad Dominicae initium Passionis nos perducunt.

SECTIO 2ª.

PASSIO JESU.

A GETHSEMANE AD GOLGOTHA.
26, 36 — 27, 50.

Si nescis speculari alta et coelestia, requiesce in Passione Christi, et in sacris vulneribus ejus libenter habita.
IMIT. II, 1.

Introductio contemplativa et considerationes praeviae.

Q. 697. CONSPECTUS GENERALIS. A *Gethsemane* ad *Golgotha !* Quantos cogitationum et affectuum fluctus in mente nostra commovent duo ista verba ! In tam exiguo et locorum et temporum spatio, quam multa, quam magna, quamque terribilia simul, contigere Jesu facta et fata !

Oppositio inter Gethsemane et Golgotha.

In *Gethsemane* advenit Jesus aetate florens, perfecto fruens corporis vigore, suisque stipatus discipulis : in *Golgotha* autem viribus exhaustis animam jam agit, mediaque morte tenetur. *Gethsemane* petit, tota potestatis suae divinae vi et plenitudine indutus, vix egressus e coenaculo, ubi summum muneris mysterium peregerat, divinissimumque instituerat Sacramentum : in *Golgotha* autem infami ligno suspenditur atque atroci conficitur supplicio, a cunctis fere discipulis derelictus, sed magna circumdatus multitudine inimicorum, prae laetitia vociferantium eique insultantium ; imo vero, quod omnia superat, quasi ipsi Deo Patri exsecratus ac detestabilis !

Quanta igitur **rerum mutatio !** Quam amara sortis vicissitudo ! Atque hujus quidem sortis tam diversae signa quaedam et imagines, a rebus externis et locorum adjunctis petita, recolere juvat.

A monte Olivarum acerbissimam doloris viam pergit Jesus, usquedum ad Calvariam perveniat ; quasi a viridi olea ad aridum crucis lignum transeat. Ab oriente in occidentem iter properat Sol

ille veritatis ! A nocte naturali et ordinaria, cui praelucet luna plena, vergimus ad tenebras illas inauditas et horrendas, quae medio die solem obscurant et quasi extinguunt ! Initium est angor animi gravissimus, tamquam viri angustiis extremis oppressi ; finis autem summos corporis cruciatus ad mortem usque ingravescentes demonstrat. Sed, quod animadvertendum est, in utroque limite pia *precatio* patientem confirmat, ejusque dolores consecrat et illustrat : *Mi Pater, fiat voluntas tua !* en praeclarum animae Deo devotae ad tormenta sese praeparantis exordium ! jam vero *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* merito exclamat Salvator post consummata omnia, atque illud est suspirium animae sanctae ultimum !

Praestantia argumenti. Inter duos illos terminos palaestrae divinae tam admirabile nobis offertur spectaculum, ut dicere audeat s. Leo *De pass.* 11 : « Quid autem inter omnia opera Dei, in « quibus humanae admirationis fatigatur intentio, ita contempla- « tionem mentis nostrae et oblectat et superat, sicut passio Salva- « toris ? » Et s. Aug. *Ep.* 140 n. 36, ap. M. : « Christi cor est « Scriptura, ubi ejus latebat consilium, quod tunc apertum est, « cum ea quae de illo prophetata fuerunt, *passus* implevit. » S. Hier. *Comm. in Eph.* 1, 10 : « In cruce Domini, ait, et in passione ejus « recapitulata sunt omnia... Universa mysteria et omnis dispensa- « tio vetustatis, non solum quae in terris, sed etiam quae in « coelis gesta est, in Christi passione completur. »

Consilium ad usum et actum utile.

Studium nostrum fiat hic contemplatio. Hisce autem praenotatis, quae singularis argumenti dignitas ejusque praecipua excellentia ex animis nostris, vero amoris affectu commotis, elicere debuit ; antequam Evangelii narrationem aggrediar, notatu dignum puto, optimum esse ut in legenda ac meditanda Christi patientis historia per vim excogitandi imaginem vivam rei gestae in mente nostra describere adnitamur, eamque quasi oculis nostris contemplemur. « Religiosis et piis cordibus, ait s. Leo M. *De pass.* « *D.* serm. 1, non aliud sit audisse quae lecta sunt, quam *vidisse* « quae gesta sunt. » Igitur sensa induamus, quae in hac stropha

hymni ecclesiastici (*Brev. Rom.*, off. ss. Sindonis) tam venuste exprimuntur :

Jesu, dulcis amor meus,
Ac si praesens sis accedo;
Te *contemplor* cum *affectu*,
Tuorum memor vulnerum.

Fructus. Quod si ita animati simus, fructum ex diligenti Passionis meditatione consequemur maximum, nos sacerdotes, nec minorem populo christiano, per praedicationes nostras, impertiemus. S. Bonav. *Stimul. div. am.* I, I : « Devota, ait, meditatio « passionis Jesu, a malis te servabit, bona singula tibi dabit, in « praesenti Dei gratia te ditabit, in futuro sua gloria te dotabit. » **Verba sensu plena !**

Jam vero, quum meditationes in Christum patientem et morientem, quae tempore quadragesimali in quibusdam locis proponi solent fidelibus, plerumque, ut par est, ab angore Jesu in horto incipiant, utile duxi quasdam tractationes in acerbissimos Servatoris nostri cruciatus universe et summatim spectatos tradere generales, quae aptam **introductionis** materiam concionatoribus sacris subministrare possint (1). Eas autem ad calcem operis nostri ponemus, in Append. IV q. 1156.

Nota bene.

Schemata volui tradere *plurima*, eaque cum peculiari diligentia elaboravi, quia ex iis quae statim dixi de *praestantia* argumenti et de *fructu* ejus, consequitur inter omnes materias quae in sacra cathedra tractandae sint, nullam esse majoris momenti et utilitatis quam Christi Passionem ; nullam igitur quae saepius exponenda sit fidelibus. Concionatores sacri imitentur s. Paulum, praedicationis Evangelicae longe principem, qui I Cor. I, I scripsit : *Et ego, cum venissem ad vos..., non judicavi me scire aliquid inter vos nisi Jesum Christum, et hunc crucifixum.* **Quale exemplum !**

(1) Boss., 2e serm. pour le dim. des Ram., sur la nécessité des souff. ; quatre sermons pour le Vendr s. sur la passion de N. S. — Bardaloue, sur la Passion.

Historia Jesu patientis et morientis drama est divinum in 4 actus divisum.

His igitur, quae ad Christi cruciatus generatim spectatos pertinent, pro concionatorum sacrorum utilitate magnaque argumenti excellentia notatis, explicationem eorum omnium quae narrant Evangelistae, ab ingressu Jesu in hortum Olivarum usque ad mortem ejus in cruce, jam aggredimur.

Imprimis oportet universam illam historiam in sectiones quasdam majores distribuere. Quadripartita divisio commode statui posse videtur, adeo ut, tamquam in sublimi quadam et divina *tragoedia*, quatuor discernantur *Actus*, quorum singulis suae sint *scenae* diversae. Verumtamen, ne nostra rei tractandae ratio, pro libitu et arbitrio excogitata habeatur, necesse est 1° breviter demonstrare acta et fata, quae ad Jesum patientem et morientem spectant, tamquam *drama* quoddam nobile et eximium considerari posse; 2° per compendiariam rerum indicationem ostendere in illo dramate quatuor actus cum scenis suis recte distingui.

Q. 698. 1° Ostende historiam Passionis Dominicae esse *drama* quoddam admirabile, 2° in quo *quatuor actus* cum scenis suis apte distinguuntur.

1° Res gestae veram dramatis indolem referunt.

Drama esse tragicum, quo majus et terribilius in seculorum cursu, seu potius in generis humani fatis, antea non accidit neque eveniet umquam, ex omnibus ejus partibus et rerum adjunctis attente inspectis abunde colligitur. Nimirum

1° Ex ejus *materia* seu **argumento**; nihil grandius excogitari potest quam Mors vicaria Dei-hominis.

2° Ex **fine** et **efficientia** ejus (*son but et son résultat*), nempe victoria in Satanam, in peccatum et in mortem; et per illam victoriam Redemptio generis humani, quod opus est mirabilius quam Creatio coeli et terrae.

3° Ex **personis actorum**, qui hinc quidem supremum justitiae, sanctitatis et heroicae virtutis gradum, illinc vero universos, ab imo usque ad summum, nequitiae et perversitatis progressus nobis exhibent. Recordemur ex una parte inimicos Jesu, eosque omnes

et singulos, qui sceleris participes fuerunt, perlustremus, a synedristis deicidis, Judaeisque plebeiis consentientibus, usque ad Judam proditorem, Pilatum iniquissimum judicem, Herodem irrisorem impium, milites protervos, latronem conviciantem, Petrum perjurum, Apostolosque ignavos etc. Ex altera vero parte, recogitemus virum illum divinum, qui in dramate primarum partium personam gessit; addamus B. M. Virginem et s. Joannem, mulieres plangentes, bonum latronem, centurionem ad credendum motum, Josephum et Nicodemum in Jesu sepeliendo observantissimos etc.

4° Ex adjunctis **loci:** namque drama gestum est in *Palaestina*, quae mundi antiqui quasi centrum erat, utpote media Orientem inter et Occidentem; seu potius in *Terra Sancta*, quae ante Christi adventum, omnibus retro seculis, sola inter cunctas mundi regiones cultum veri Dei cognovit, cujusque populus inter omnes alios a Deo fuit electus. Imo vero drama gestum est in urbe principe istius regionis praedestinatae, in *Civitate* illa *sancta Jerusalem*, in qua templum erat veri Dei, unicum in mundo, quaeque adeo caput erat verae religionis. Animadvertendum enim est omnes et singulos dramatis actus ibi evenisse; nempe 1^{s} actus ad latus Urbis orientale contigit, 2^{s} vero et 3^{s} intra moenia, et 4^{s} tandem ad latus occidentale.

En **theatrum** singulare et **spendidissimum** tragoediae istius divinae.

5° Ex ratione **temporis:** aderat jam plenitudo temporis, et medio cursu pendebant seculorum spatia; praeterea, ea erat anni tempestas, qua terra post hiemem revirescit; ipsum Paschatis solemne, quo majus ante Christum non erat in orbe, celebrabatur, qua occasione Hierosolymae innumera repletae erant multitudine. Dies ille, secundum multorum opinionem, incidebat in eumdem hebdomadis diem, quo mundi creatio perfecta fuerat, et quo primitus conditus fuerat homo; ipsemet ille homo, qui, in imam pravitatis voraginem prolapsus, mirabilius renovandus et redimendus nunc est. Animadverte etiam, singulas hujusce magni diei partes in evolvendo dramate insumptas fuisse, quippe quum 1^{s} et 2^{s} actus noctem, 3^{s} matutinum et 4^{s} pomeridianum tempus occupaverint: tenebrae erant in exordio; tenebrae quoque, et terribiliores quidem, in ejus consummatione: opus enim erat *potestatis tenebrarum!*

6° Tandem ex **modo** et **auxiliis**, quae ad drama absolvendum adhibita fuerunt. Omnes cordis humani motus pravaeque cupiditates, quae in narratione facti cujusdam aut facinoris mentem allicere possint reique gestae magnitudinem augere, adversus Christum colluctantur et certatim vim exserunt funestam. A prima scena ad ultimam, sine ulla intermissione et ex ordine, increscit dramatis illecebra. *Crisis* seu exitus fatalis praeparatur in 1° actu, in 2° vero et 3° exponitur, ac tandem absolvitur et perficitur in 4°. Statim ab initio vox auditur : *Tristis est anima mea usque ad mortem* ; in medio strepunt saevi clamores tum Synedrii *Blasphemavit, reus est mortis*, quum populi universi *Crucifigatur* ; denique in fine, Jesus, divini heros dramatis, ait : *Consummatum est.*

2° Quomodo drama dividatur et subdividatur.

Ut statim praemonui, quatuor distingui possunt actus, quorum primus ab horto Olivarum usque ad palatium Caiphae, secundus vero a tribunali Caiphae usque ad praetorium Pilati progreditur ; tertius autem a praetorio usque ad iter in Calvariam ; quartus tandem ab itinere in Calvariam usque ad mortem Jesu pertingit.

Igitur, si loca attendamus, in quibus res praecipuae gestae fuerunt, singuli actus uno verbo designari posse videntur :

Act. I **Gethsemane ;**
Act. II **Palatium Caiphae ;**
Act. III **Praetorium ;**
Act. IV **Golgotha.**

Verum oportet seriem seu contextum dramatis, et continuum ejus per partes ratione dispositas incrementum, paucis describere.

Actus I. Drama ejusque fatalis exitus *praeparatur :* 1° per precationem Jesu angore plenam, et 2° per ejus comprehensionem. Unde **scenae duae.**

Actus II. Drama ejusque conclusio *primum et ratione inchoata exponitur*, per ea quae facta sunt coram Synedrio, ubi Jesus reus capitis declaratus fuit.

1ª **Scena :** examen et damnatio Jesu in Synedrio nocte habito ;

2ª **Scena :** contumeliae Jesu illatae in domo Caiphae ;

3ª **Scena,** in qua refertur factum secundarium *(un épisode) :* negationes et conversio Petri.

Actus III. Drama ejusque exitus *plenius et propius exponitur*, per narrationem eorum quae coram Pilato, qui solus potuit litem immutabili judicio decernere sententiamque perficere, acciderunt. Huc spectant **tres** Pilati actiones :

1° Reum ad normam juridicam interrogat, tum seorsum, tum coram accusatoribus. Annectitur factum quoddam secundarium *(un épisode)*, quod ad solvendum dramatis nodum parum vel nihil confert : sc. Jesus coram Herode sistitur.

2° Pilatus acerrime luctatur contra Synedristas, ut a condemnando reo falso accusato se subducat : in hac luctatione duo sunt momenta *(deux phases)*, a/ Judaeis permittit ut vel Barabbam vel Jesum ad liberationem petant, b/ Jesum crudelissime flagellis caesum populo ostendit.

3° Pilatus Servatorem iterum interrogat, et ultimum exerit levem quamdam voluntatem ipsum liberandi : sed hac facile extincta, mox sententiam fert.

Unde rursum **tres scenae.**

Actus IV : drama ejusque luctuosa vis *absolvitur* per sententiae exsecutionem. Quod **triplici** exponitur **scena :**

In 1ª describitur *via doloris*, seu iter ad supplicii locum,

In 2ª ipsum supplicium,

Et **in 3ª** mors Jesu ejusque adjuncta.

Ad singula nunc devenimus, eaque fusius et plenissime, ut rei praestantia postulat, pertractanda suscipimus.

PRIMA PASSIONIS PARS,

SEU I^{s} SACRI DRAMATIS ACTUS.

JESUS IN HORTO OLIVARUM: 26, 36–57^{a}.

Q. 699. Ordo rerum et connexio.

Argumentum hujus dramatis, ut supra diximus, mors est Jesu : quae quidem in 1° actu *praeparatur*, in 2° *decernitur*, praevio modo coram tribunali Judaeorum, et in 3° definitive et irrevocabiliter per sententiam Procuratoris Romani ; in 4° tandem *infertur* seu opere *consummatur*.

Mors illa a solo Procuratore Romano legitime irrogari poterat ; sed Synedristae, ut finem suum certius tutiusque obtineant, ipsimet causam in judicio decernunt, sperantes fore ut Pilatus sententiam jam latam simpliciter approbet, poenamque statutam a damnato repetat. Ideo actus 2^{s}, de judicio Synedrii, actum 3^{m}, de judicio Pilati fatali et decretorio, praecedit.

Verum, ut Synedristae Jesum coram suo tribunali sistant, oportet ut ipsum prius **comprehendant** : quod cum palam facere non audeant, nocte per proditionem peragunt. Salvator autem, istius consilii conscius, et mori volens, sponte petit locum ubi capiendus est, atque in eo ad luctuosam sortem se praeparat per **precationem** sanctam : ut autem preces perfectiores et efficaciores sint, utque simul externis corporis cruciatibus per internam suimetipsius immolationem proludat, incredibili **animi angori** inter orandum ultro se tradit.

Igitur, in 1° actu duae scenae meditationi nostrae piae sese offerent, quae ambae hortum Olivarum ut theatrum habebunt : 1^{a} **angor** et **precatio Jesu** in horto, 2^{a} ejusdem **comprehensio.**

SCENA I.

Angor et precatio Jesu in Gethsemane: M. 26, 36-46.

Q. 700. Contemplatio generalis hujus scenae. Haec prima crudelis tragoediae scena tota est tristitiae, ut decet ; ideoque omnia moerorem spirant, tenebrae et silentium noctis, locus solitarius, vallis angusta, profunda et umbrosa, torrens admurmurans,

pallidum lunae lumen, quod inter arbores jam frondosas tremulentum spargitur (res moestitiae parens), quodque insuper vertice montis Olivarum partim intercipitur (cf. statim dicenda q. 702), Jesus tacita mentis meditatione mersus, atque Apostoli summa animi aegritudine oppressi, secum reputantes amaras illas praedictiones quas de proditione et de periculis imminentibus statim antea in ultima coena audierant !

Dumque ita Jesus atris turbidisque circumdatur rerum adjunctis, haud procul ab eo, ultra muros Urbis vicinos, innumera populi turba laetitia gestit, strepunt plateae tumultu diei festi, et lumina in domibus splendent usquequaque : quanta rerum locorumque dissimilitudo !

Tres Jesu actiones in hac scena. Hanc autem scenam primam *tres* Jesu actiones replent : patitur, preces fundit et monet ; imo Deum orat *ter*, *ter* afflictioni tristitiaeque sese tradit, *ter* discipulos monet : inter patiendum precatur, ante et inter preces monet ; atque in hoc quod monita ingeminare debeat, magis tristatur : sed quo magis increscit moestitia, eo ferventius Deum implorat ; donec tandem, post summam angoris luctationem, post sudorem sanguineum, per miraculosum Angeli interventum solatium roburque de coelo accipiat.

Sed tempus est ut narrationes quatuor Evangelistarum his de rebus consideremus, easque inter se comparemus.

Q. 701. 1° Quomodo Evangelistae de Jesu in horto scribentes ad concordiam revocantur ? 2° Refuta Rationalistas qui contendunt Joannem hic cum Synopticis non convenire.

Evangelistae inter se comparantur.

R. ad 1^m^ Ut videre est in locis infra recitandis, tres Synoptici referunt quae ad angorem et precationem Jesu in horto Gethsemane spectant, eorumque narrationes se mutuo complent et elucidant. S. Lucas locum non nominat, sed eum satis indicat ; nullam facit mentionem de tribus Apostolis a ceteris separatis ; de trina Jesu precatione distincte non loquitur ; verum quaedam addit ab aliis omissa, imprimis sudorem sanguineum et Angelum de coelo descendentem. S. Joannes autem, quamvis unus sit e tribus Apostolis, qui Jesum in interiorem hortum comitati sint, totam hanc praeter-

mittit historiam : ideo sane quod eam a Synopticis plene expositam videat. Locum tamen, in quem Christus post ultimam coenam venit, et ubi comprehensus fuit, nominatim indicat. Ipse solus loquitur de *horto*, M. autem et Mc. dicunt fuisse *villam* seu *praedium :* puta in hac villa fuisse hortum quemdam muro circumdatum.

Contra Rationalistas.

Resp. ad 2^m^. Rationalistae plurimi contendunt Joannem, qui Jesum in ultima coena pacato serenoque animo coram Apostolis fuse disserentem demonstrat, conciliari non posse cum Synopticis, qui terribilissimam Jesu luctationem summumque ejus angorem in horto describunt. Quomodo, aiunt, tam pauco tempore postquam dixerat J. 16, 33 *Confidite, ego vici mundum* poterat exclamare M. 26, 38 *Tristis est anima mea usque ad mortem* ?

Respondemus Jesum cruciatus suos suscepisse tamquam hominem, cum omnibus sensuum commutationibus quas homines experiuntur in tali casu. Sic sponte obviam ivit inimicis in horto, intrepidus stetit coram Pilato, imo jam in cruce elevatus pacato animo oravit pro tortoribus suis, et in plena conscientia suae potentiae divinae paradisum promisit latroni, quum tamen paulo post exclamaverit *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* Ad pleniorem hujus rei intelligentiam haud inutile erit quaedam indicasse loca *Joannis*, in quibus narratur Salvatorem nostrum a communibus humanae naturae affectibus, a metu et anxietate etc., haud alienum fuisse.

Jesus humanos affectus pati voluit. J. 11, 33, ut vidit Mariam plorantem ob mortem Lazari, *infremuit spiritu et turbavit seipsum... et lacrymatus est.* Quando in ultima coena de Judae proditione locutus est (1) J. 13, 21, *turbatus est spiritu* etc. Est et alius locus, qui cum iis quae Synoptici scribunt, de moerore et timore Servatoris in horto, magnam habet similitudinem, sc. J. 12, 27. Quemadmodum M. ait *Tristis est anima mea usque ad mortem*, J. dicit *Nunc anima mea turbata est.* Apud Mc. Patrem rogat *ut si fieri possit transeat ab eo hora :* apud J. *Pater,* inquit, *salvifica me ex hac hora.*

(1) Cf. L. 19, 41 ubi flevit super Jerusalem. Saepius irae sanctae et indignationis sensa manifestavit, ipse tamen mitissimus et pacatissimus hominum.

Apud Mc. pacem animae sibi reddit, dicendo *Sed non quod ego volo, sed quod tu :* pariter ap. J. sedatur per verba *Sed propterea veni in horam hanc.* Tandem L. *Angelus apparet eum confortans*, et J. venit *vox de coelo* quae consolatur eum ; et talis quidem vox, ut astantes exclament: *Angelus ei locutus est.*

Atque his considerationibus solvitur objectio Rationalistarum.

Scena 1ª in varias subdividitur particulas.

Nunc autem narrationem Evangelicam, quae ad hanc 1ᵐ scenam pertinet, pro majore historiae luciditate et ordine in quaedam subdividere oportet rerum capita. Jam vero, omnia quae spectant ad exordia cruciatuum in horto Gethsemane, ab adventu Jesu in eum locum usque ad subitam inimicorum irruptionem, ad sequentes narrationis partes revocari possunt.

Divisio in quinque puncta.

P. I **Accessus** Jesu **ad hortum ;**

P. II **Tristitia** ejus et **monitio** Apostolis data ;

P. III **Precatio** ejus, bis interrupta per monita Apostolis rursum tradita ;

P. IV **Sudor sanguineus** et **solatium ab Angelo** acceptum ;

P. V **Ultimus accessus ad Apostolos.**

Singula autem ista facta deinceps exponemus.

P. I. Accessus Jesu ad hortum.

Praeced. vide ante q. 688.

M. 26, 36. Tunc venit Jesus cum illis in villam, quae dicitur Gethsemani, et dixit discipulis suis : Sedete hic, donec vadam illuc et orem. 37 Et assumpto Petro, et duobus filiis Zebedaei, coepit contristari etc. *Post q. 703.*

Praeced. vide ante q. 695.

L. 22, 39. Et egressus ibat secundum consuetudinem in Montem Olivarum. Secuti sunt autem illum et discipuli. 40 Et cum pervenisset ad locum, dixit illis : Orate ne intretis in tentationem. 41 Et ipse avulsus etc. *Ante q. 705.*

Praeced. vide ante q. 691.

Mc. 14, 32. Et veniunt in praedium, cui nomen Gethsemani. Et ait discipulis suis : Sedete hic donec orem. 33 Et assumit Petrum, et Jacobum, et Joannem secum : et coepit pavere etc. *Post q. 703.*

Praecedit oratio post Coenam.

J. 18. 1. Haec cum dixisset Jesus, egressus est cum discipulis suis trans torrentem Cedron, ubi erat hortus, in quem introivit ipse et discipuli ejus. 2 Sciebat autem et Judas etc. *Post q. 710.*

Evang. verba plene elucidabuntur solvendo 4 membra quaestionis seq.

Q. 702. 1° Locum, quo Jesus acerbissimam dolorum ac cruciatuum perpessionem inchoavit, paucis describe. 2° Quo tempore, et undenam illuc venerat? 3° Quem in finem eo se recepit? 4° Quomodo et quare tres Apostoli prae ceteris electi fuerunt?

Gethsemane.

R. ad 1m. Ad orientem Hierosolymae situs est mons Olivarum, qui inter omnes montes in circuitu urbis assurgentes altissimus est (1), quique ab ea separatur per vallem valde angustam, nunc nominatam *vallem Josaphat* (2), ubi fluit torrens Cedron (3). Nomen *Cedron* קִדְרוֹן *Kidron* (a קָדַר *turbidus fuit*) sign. *turbidum, obscurum, nigrum:* torrens ille ita vocatus fuisse videtur, quia valde *turbidae* erant aquae propter glareas quas secum trahebant, vel quia in tanta profunditate fluebant, ut lux solis immam vallis partem nonnisi per paucas diei horas penetraret (4). Jam vero, ad pedes montis Oliv. erat villa (χωριον, *praedium*, gall. *métairie*, *ferme*) nomine *Gethsemani* (vera lectio est Γεθσημανη, seu ut pauciores Γεθσημανει, latine **Gethsemane**), i. e. *torcular olei*, גַּת שְׁמָנֵא, ad quam pertinebat hortus, olivis consitus, quarum octo supersunt nostris diebus (5).

---

(1) Vide descriptionem montis Olivarum q. 1152.

(2) De signif. nominis cf. q. 628. Vallem **Josaphat,** qualis hodie conspicitur, praeclare describit F. Liévin, *Guide:* « Aucun lieu sur la terre n'évoque de plus solennelles pensées. C'est **la vallée des larmes, du recueillement et de la mort.** Rien d'animé ne distrait celui qui vient méditer dans cette triste solitude. Une ville ensevelie dans ses malheurs, châtiment de son déicide, un torrent sans eau, partout des monuments funèbres, des rochers nus, quelques arbres rachitiques, très-peu de verdure, des montagnes arides, des tombes brisées, le souvenir des Prophètes et des martyrs, l'agonie du Fils de Dieu, et puis sa venue à la fin des siècles pour juger le monde : voilà ce qui saisit l'âme en la remplissant d'émotions de tristesse et d'effroi. »

(3) **Torrens Cedron** a moeniis Urbis 150 m. distat, orientem versus; ac 50 m. ad occidentem horti Gethsemane (qui ab a. 1848 muro clausus est) fluit. Per majorem anni partem nullas habet aquas (χειμαρρος, a χειμα *hiems*, et ῥεω *fluo*, torrens *hieme fluens*), hodie praesertim, ideo quod alveus ejus altior factus sit, propter rudera saepe in eum conjecta, imprimis circa latus (*à l'angle sud-est*) Templi.

(4) Olim major erat vallis profunditas quam nunc, ut ex nota praeced. colligitur.

(5) *Erat hortus*: ex illo imperfecto *erat* concludere voluit Sepp (olim catholicus), tempore quo scripsit Joannes hortum illum non amplius extitisse, eumque in expugnatione Jerosolymitana destructum fuisse. At vero non valet ista illatio, ut patet ex J. 3, 23; 4, 6.

Octo olivae. Solvitur objectio.

Secundum traditionem non spernendam, olivae hodiernae eaedem sunt quae tempore Christi ibi erant. Objicitur quidem Jos. *B. J.* 6, 1, 1 : « Romani, ait, attonderant circa urbem regionem per 90 stadia [circ. 4 leucas] in circuitu totam », et *B. J.* 5, 12, 2 dicit totam urbem a Romanis fuisse muro inclusam. Sed haec videntur ita intelligenda, ut arbores caesae fuerint in quantum necesse esset ad murum exstruendum quo fuga ex urbe impediretur, et in uno tantum latere *omnia* fuerint *rasa et solo aequata*, nempe in parte occidentali-septentrionali, quia ibi Romani urbem aggressi sunt, quando montem *Scopum* reliquerant ut ad moenia accederent. Cf. Misl. t. 2, Append.

Omnes arbores *in valle Cedron* caesae non fuerunt, quia Titus numquam cogitavit de oppugnanda urbe a latere orientali : haec enim pars erat maxime inaccessa et inexpugnabilis. Ideo etiam, milites 10ae legionis, qui initio obsidionis super montem Olivarum collocati fuerant speculandi causa, postmodum se adjunxerunt ceteris copiis, ut cum eis a latere occidentali-septentrionali urbem invaderent. Ergo isti in vallem Cedron non descenderunt, proinde numquam venerunt usque in Gethsemane, eo vel magis quod ibi in loco adeo moeniis propinquo telis Judaeorum nimis expositi fuissent. Quod autem attinet ad murum circumvallationis, ille erat certe in declivitate montis Olivarum, ergo magis remotus a moeniis quam situs Gethsemane.

Quidquid sit, hoc saltem concedendum est hodiernas oleas crevisse, et olim jam, multis retro seculis, ex surculis eorumdem stipitum qui aetate Christi ibi stabant.

En igitur locum, omni veneratione dignum, quo Christus primos admisit dolores suae Passionis. Hortus ille, ad orientem urbis, facile habetur (s. Cyr. *in Joan.* 18, 1) tamquam anti-typus horti illius (*paradisi) ad orientem* siti (Gen. 2, 8 ex hebr.), in quo protoparentes se suosque posteros per peccatum misere perdiderunt. Cf. Brev. Rom. Offic. *De or. Dom.*, fer. 3 post. Septuag.

R. ad 2m. Feria 5a, quum multa jam esset vespera, post coenam Paschalem et Eucharisticam, Christus pro more Judaeorum *hymnum dixit* M. 26, 30, sc. cantavit cum Apostolis Psalmos quosdam, nempe ultimam partem του Hallel (1) ; deinde a mensa surgens dixit *surgite, eamus hinc,* J. 14, 31 ; sed ibi non additur eos tunc reipsa profectos fuisse ; contra, J. 18, 1 aperte dicitur eos nonnisi tardius egressos fuisse : ergo, antea Jesus stans pronuntiavit adhuc orationem J. 15-17.

Non in itinere ad hortum, sed in Coenaculo habita fuit oratio post Coenam. Aliqui interpretes, v. gr. P. Corluy *in Jo.*, autumant praeclaram illam orationem in coenaculo inchoatam

(1) Per *Hallel* ntelliguntur sex Psalmi, nempe 113-118, secundum Vulg. 112-117 : quorum duo priores inter coenam paschalem, et quatuor ultimi in fine cantabantur.

tantum fuisse, continuatam vero et absolutam in itinere ad hortum Olivarum. Nituntur verbis J. 14, 31 : *Surgite*, ait Salvator ad Apostolos, in media illa oratione, *eamus hinc*. Sed verba haec intelligi possunt de actu surgendi a mensa et sese accingendi ad profectionem ; ideoque non impediunt quominus putemus Dominum stantem inter discipulos adhuc plurima verba ad eos ante egressum e coenaculo dixisse. De cetero, verisimile non est orationem, qualem refert J. XV-XVII, inter incedendum, praesertim si per plateas urbis tunc multa plebe strepentes transiissent, habitam fuisse. Atqui isti auctores verba J. 18, 1 *haec cum dixisset Jesus egressus est trans torrentem Cedron* sic intelligunt ut Jesus ultima orationis verba protulerit cum ad portam urbis pervenisset: ergo supponunt Jesum, e coenaculo egressum, urbem nocte illa Paschatis populo refertam transiisse, dum interea sublimem orationem sacerdotalem J. 17 pronuntiaret. Quis hoc, cedo, crediderit umquam ?

Hypothesis Fouard relinquitur. Jesus, ait, post verba *Surgite, eamus hinc* reliquit coenaculum, et urbem egressus est per portam Sionis meridionalem, adeoque transiit per vallem Cedron, ubi nullus erat turbae strepitus, et ubi potuit tranquille proferre sermonem J. 15-17. Isti opinioni omnino repugnant verba J. 18, 1 sensu obvio et naturali sumpta, sc. *haec cum dixisset Jesus, egressus est trans torrentem Cedron*. Ergo nonnisi post absolutum longum sermonem J. 15-17 *egressus est*, sc. ex urbe, vel e domo ubi Coenam habuerat.

Jesus tendit ad Gethsemane.

Circa horam decimam noctis, exivit e domo ubi sacram peregerat coenam, progrediens ad montem Oliveti (1), ut singulis vesperis solebat facere a nonnullis diebus (L. 21, 37, 38). Obiter animad-

(1) **Non per mediam urbem ad hortum ivit Jesus.** A coenaculo, quod in monte Sion erat, prope sepulcrum Davidis, duplex via in Gethsemane ducere poterat : vel extra urbem circuibant muros, et vallem Cedron transibant, in ponte contra Absalomi sepulcrum ; vel per mediam civitatem petebant portam Probaticam (nunc portam s. Stephani), unde in vallem descendebant. Priorem viam Jesus probabiliter elegit, ut extra tumultum esset : hoc omnino admitto cum Fouard, sed opinor iter factum fuisse post absolutos sermones J. 15-17. Quod autem praedictio de fuga Apostolorum et de negationibus Petri factae non fuerint inter eundum (quamvis M. et Mc. videantur id supponere), jam notavi ad M. 26, 30. Distantia autem itineris erat circiter 1,200 m., leucae quadrans. Portas civitatis tota nocte mansisse apertas, propter diem festum Paschatis, nemo sane mirabitur.

verte, pridem jam, in uno ex diebus festis Scenopegiae, ipsum vespere in eumdem locum recessisse, Joan. 8, 1. Hortus in quem nunc intravit, et quo *frequenter convenerat* J., vel erat publicus, vel potius ejus dominus erat amicus Jesu.

Moestus vero et silens transivit torrentem Cedron, **quemadmodum David,** hac in re, sicut et in multis aliis, Christi typus, olim fecit, cum Absalomum tristis fugeret, parva sociorum turma stipatus, sicut Jesus undecim discipulis circumdatus erat. Certe absentia Achitopelis, necessarii amici et consiliarii dilectissimi, Davidi specialem inferebat moerorem, quemadmodum Judae proditio moestitiam Jesu crudeliter adaugebat : cf. 2 Reg. 15, 30 et 31. Lege Ps. 3. qui a Davide compositus fuit cum a facie Absalomi fugeret : videsis magnum *Comm.* nostr. *in libr Psalm.* 3ª ed.

Quare locum illum solitarium petit ?

R. ad 3m. Salvator autem ad hortum villae Gethsemane cum undecim Apostolis (duodecimus, Judas, inter inimicos jam stabat miser) perrexit, **non ut fugeret** sicut David, neque ut se absconderet, siquidem eo venire solebat ultimis vitae diebus, quod aperte dicit L. 22, 39 *Ibat secundum consuetudinem in montem Olivarum*, coll. L. 21, 37 *Erat diebus docens in Templo, noctibus vero exiens morabatur in monte qui vocatur Oliveti* (1) ; sed eo contendit ut facilius inveniretur, quum testetur J. 18, 2 locum illum a Juda proditore bene notum fuisse. Porro locum illum solitarium apte elegerat **ut in solitudine** per preces Deo oblatas ad cruciatus mortemque **se praepararet ;** sicut vita publica ineunte in desertum secesserat ut jejunaret (certe etiam ut piae precationi vacaret), et adversus daemonis tentationes dimicaret.

Ultima Jesu tentatio. Tunc quidem *prima* fuit Jesu tentatio : nunc vero (hoc die fatali) accidet *ultima,* ea nempe qua diabolus in perpetuum et perfecte vincetur. Ad hanc certe respicit L. 4, 13, ubi de tentatione in deserto scribit : *Et consummata omni tentatione, diabolus recessit ab illo usque ad tempus.* In utraque tentatione, vicit Christus per perfectam submissionem voluntatis suae voluntati

(1) Aliquando pergebat usque Bethaniam : Mc. 11, 11 *Exiit in Bethaniam cum duodecim,* et paulo infra v. 19 *cum vespera facta esset, egrediebatur de civitate.* vel in hortum vel usque Bethaniam.

Patris sui, et in fine utriusque Angelus venit ipsum confortare. Voluit igitur Salvator luctam terribilissimam *in animo* subire, antequam *in corpore* acerbissimos cruciatus sustineret.

R. ad 4m. Jesus, hortum vix ingressus, jubet ut Apostoli sistant M. v. **36**: *Sedete hic*, ait, *donec vadam illuc et orem*. Et cum dicit *illuc*, locum aliquantulum remotum manu ostendit. Deinde (secundum multorum sententiam, quam sequimur) addit L. **Orate ne intretis in tentationem,** ut moneat eos quid interim facere debeant: scil. vult ut suum imitantes exemplum, precibus operam dent, et causam Deum precandi adjungit gravissimam : *ne intretis* etc. ; quibus verbis innuit magna quaedam eis imminere pericula. Sunt qui putent verba *Orate* etc. nonnisi postea dicta fuisse : L. autem, qui totam rei narrationem contrahit, non certo definit quo momento ista pronuntiata fuerint.

Tres Apostoli pro ceteris electi. Utut ista sint, probabile est quosdam ex Apostolis, vel forsitan omnes, petiisse ut magistrum, quem ista nocte solum relinquere non audent, comitari possint. M. v. **37** Jesus autem tribus discipulis animosioribus et prae ceteris dilectis, Petro binisque Zebedaei filiis, Jacobo et Joanni, qui omnes postea habendi erant ut *Ecclesiae columnae* (Gal. 2, 9), id permittit. Ceteros vero remanere jubet, ne, infirmiores cum sunt (Orig.), metu et angore suo conturbentur aut scandalizentur. Eosdem illos tres etiam secum assumpserat solos, quando filiam Jaïri ad vitam revocavit, et quando in monte transfiguratus est. Voluit igitur, ait s. Chrys., ut qui testes fuerant gloriae suae, etiam humilitatis essent.

Antitheton. Quod ut plenius intelligatur, notandum est scenam Gethsemanensem transfigurationis spectaculo prorsus contrariam fuisse : iidem quidem sunt testes, idem quoque actor principalis ; sed tunc gloria et felicitas undique redundabant, nunc vero nihil aliud cernitur quam angor et metus, luctatio atque ignominia, tum pro Jesu quum pro Apostolis.

Q. 703. Annotatio homilitica.

Obiter animadvertamus, Apostolos omnes, qui illo digni erant nomine (Judas enim *Apostolus* amplius non erat, sed *proditor* exsecrabilis), Jesum comitatos fuisse in villam Gethsemane, i. e. usque ad Passionis exordia : tres autem ex illis, ceteris

meliores et fortiores, ipsum longius secutos esse, nempe usque ad hortum interiorem, atque adeo testes fuisse angoris ejus summi : unum vero in Calvariam venisse et ad pedem crucis stare ausum fuisse, sc. Joannem, discipulum dilectionis. Tria christianorum genera his apte figurantur: 1a incipientium, 2a progredientium et 3a perfectorum ; caritas autem sola perfectos facit.

Dum autem Jesus cum tribus illis progreditur, incipit *contristari* etc. De hac ejus moestitia nunc est disserendum.

P. II. Trististia et monitio.

Praeced. vide ante q. 702.

M. 26, 37... Coepit contristari et moestus esse. 38 Tunc ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic, et vigilate mecum. 39 Et progressus etc. *Ante q. 705.*

Praeced. vide ante q. 702.

Mc. 14, 33... Coepit pavere et taedere. 34 Et ait illis : Tristis est anima mea usque ad mortem : sustinete hic et vigilate. 35 Et cum processisset etc. *Ante q. 705.*

Ordo disputationis nostrae. Quatuor distinguemus puncta, ut videre est in q. seq., quorum primum est Scripturisticum ; 2m dogmaticum, 3m homiliticum. Tandem 4° verbulum addemus de monito tribus Apostolis tradito.

Q. 704. 1° Quinam fuerunt primi cruciatus Jesu in horto ? 2° Explica quomodo dolores isti in Deum-hominem cadere potuerint. 3° Ex quibus praesertim causis oriebantur ? 4° Quodnam monitum dedit Jesus tribus Apostolis ?

I. Tristitia, angor, et terror.

R. ad 1m. Dum Salvator in hortum cum tribus electis progreditur, incipit *contristari et moestus esse* (M.); imo vero, quod magis est, *pavere et taedere* Mc., εκθαμβεισθαι και αδημονειν, *metu stupere summoque corripi angore.* Quo longius procedit, eo majores vehementioresque fiunt ejus moestitia, angor et terror. Quare ait illis : *Tristis est* (περιλυπος M. et Mc., tristitia undique cincta, valde tristis) *anima mea usque ad mortem,* i. e. corde intimo tam magnam patior tristitiam, ut sit usque ad mortem, ut cruciatus ille vim habeat mortem mihi inferendi (germ. *sehr betrübt bis zum sterben*, fl. *ik ben overdroevig tot stervens toe*) ; sensus non est illum patior animi angorem, qui in mortis articulo sentiri solet.

Tunc cupit solus esse, ut statim dicemus ad 4m, ubi rerum seriem continuabimus ; sed, ut angores Jesu complete describantur,

addendum est, per totum tempus, quo precatio ejus in horto protracta fuit, animi dolores pedetentim increvisse, adeo quidem ut tandem *factus* sit *in agonia* terribilissima et sanguinem sudaverit: cf. q. 710 sq. Probabile est ad illas animi angustias in horto spectare haec Hebr. 5, 7 *Cum clamore valido et lacrymis* etc.

II. Explicatio theologica istorum affectuum in Deo-Homine.

Ante notandum tristitiam illam a Jesu sponte et libere assumptam fuisse, quemadmodum eam Servator paulo post volens deposuit, angelica consolatione hunc in finem adhibita.

R. ad 2m. Christus, secundum nonnullos auctores (v. gr. Melch. Can., cit. apud Ben. XIV, *De festis* 7, 73), exiguo temporis spatio divinitatem suam cohibuit ne humanam naturam firmaret et adjuvaret, adeoque hanc infirmitati suae sponte et libere reliquit. Praefero dicere cum Ben. XIV l. c: « animam Christi in superiore parte summum semper fruitionis gaudium (propter divinitatem unitam) percepisse, etiam inter acerbissimos dolores : ita tamen ut neque illud gaudium ad inferiorem partem, neque dolores illi ad superiorem pertingerent, evidenti sane miraculo ; quemadmodum miraculum etiam illud fuit, quod viator aeque Christus et comprehensor esset, et de gloria animae nihil ad corpus derivaretur. » *Mysterium* est, ut dicemus q. 885 not. in marg.

Utcumque ista se habeant, angores illi et terrores, quum libera voluntate a Jesu assumpti fuerint, in ipso erant potius *propassiones* quam *passiones* (ut loquuntur theologi), propterea quod omnes ejus potentiae inferiores animo perfecte subditae essent. S. Joan. Damasc. *De orthod. fide* 3, 20 al. 23 : « Permittebat, ait, carnem « pati propria... Volens enim esuriit, volens sitivit, volens timuit, « et volens mortuus est. »

Ut autem melius intelligamus quomodo humana Christi natura motibus hujusmodi, tristitiae, angoris etc. affici potuerit, notamus cum s. Thoma 3, 15, 4 : « Passiones aliter fuisse in Christo quam « in nobis, quantum ad tria. Primo quidem quantum ad objectum, « quia in nobis plerumque feruntur ad illicita, quod in Christo non « fuit. Secundo quantum ad principium, quia frequenter in nobis « praeveniunt judicium rationis ; sed in Christo omnes motus sen-

« sensitivi appetitus oriebantur secundum dispositionem rationis... « Tertio quantum ad effectum, quia in nobis quandoque non sistunt « in appetitu sensitivo, sed trahunt rationem, quod in Christo non « fuit, etc. »

III. Causae tristitiae et terroris.

R. ad 3m. Passio incepit a profundissima *tristitia*, quia natum est fieri ut qui sentit se a Deo derelictum, primum incidat in magnam animi tristitiam : atqui, ut statim dicemus, Christus hic est onustus omnibus peccatis, et qua talis a Patre direlictus et repulsus.

Sed haec causa praecipua tristitiae, mox crescentis usque ad *angorem* et *terrorem*, ulterius est explicanda. Deinde addenda est 2a causa, quae praesertim ad terrorem pertinet.

1a Causa. Igitur maxima tristitiae causa erat onus omnium iniquitatum universi generis humani. S. Thom. 3, 46, 6, ad 4m : « Christus non solum doluit pro amissione vitae corporalis « propriae, sed etiam pro peccatis omnium aliorum. » Potius dicamus : sed *praesertim* pro peccatis omnium aliorum ; ut s. Ambr. *in L.* 22, 42 : « Doles, Domine, non tua, sed mea vulnera ; « non tuam mortem, sed nostram infirmitatem. » Porro 1a haec causa duo continet : a/ peccata omnia in se susceperat, eaque expiare ipsemet debebat ; igitur, non solum ea recogitat et videt, sed eorum amaritudinem patitur, eorumque pondere premitur et quasi conteritur. Quamobrem, cum oculos a terra, ubi tot videt tormenta, ad coelum attollit, nullum invenit solamen : *factus pro nobis maledictum* (Gal. 3, 13) a Patre repellitur (1). b/ Mente secum reputat animum ingratum tot hominum, quibus cruciatus sui omnes forent inutiles : novit enim pauciores salvandos, plures vero perituros esse.

Altera causa, quae praesertim ad timorem spectat, erant a/ instantes cruciatus, qui tam *terribiles* et *acerbi* futuri erant, ut cum nullis aliis, ab hominibus umquam toleratis, comparari possint (cf. q. 1156, 2°). Quod jam concludi potest ex 1a causa (expiatio adaequata omnium iniquitatum) ; imprimis ipsa mors, quae nobis est naturalis, pro Christo erat contra naturam.

(1) *Repellitur* sc. in quantum peccatis hominum est onustus, ergo in quantum *maledictum* in se susceperat.

Adde b/ cruciatus istos *distincte* et *plenissime* a Christo, cui praecognita erant omnia, apprehensos fuisse, et c/ tamquam tales qui *a populo suo*, admodum a se *dilecto*, inferrentur (crudelior certe poena, quae a viro caro irrogatur), ac tandem d/ eos *mox* subeundos esse. Incredibilem plane timorem, ex aversante et repugnante natura exortum, in parte animae inferiore sentire debuit Salvator, quando oculis divinae praescientiae omnia et singula tormenta, hac ipsa nocte et die sequenti sufferenda, luculentissime aspiciebat ; quando videbat crucem, flagella, spineam coronam etc. ; quando convicia et blasphemias etc. audiebat.

Finis autem praecipuus, in quem Jesus animum intendit, cum terrores extremos hominis moritis periculo expositi sustinere voluit, fuit ut, vicem nostram suscipiens, nos a nimio mortis horrore eximeret. S. Chrysol. *Serm.* 150 : « Venit nostras suscipere infirmitates, suasque nobis conferre virtutes. »

IV. Monitum ad tres Apostolos.

R. ad 4m. Vixdum Jesus tribus Apostolis, quibus permiserat ut secum in hortum progrederentur, dixerat v. **38** *Tristis est anima mea usque ad mortem*, cum cupit esse solus, ut mos est hominum ingenti moestitia afflictorum ; ita tamen ut sciat amicos quosdam adesse et vigilare secum, haud procul a se remotos. Certe solitudinem quaerit, ut piae precationi perfectius se tradat, atque adeo apud Deum solum inveniat solatium. Ideo subjungit : *Sustinete* (μεινατε, *manete*, exspectate) *hic, et vigilate mecum*.

Difficile quid eis non imponit, cum nihil amplius exigat quam quod ipse facturus sit (*mecum*) ; deinde gratum ipsis esse debet *cum* magistro suo et *pro* ejus custodia posse vigilare. Inter vigilandum autem *orare* praecipit, ut aliis Apostolis modo dixerat L. *Orate ne intretis in tentationem ;* idque aliunde satis significabat per exemplum suum, quum illuc vaderet *ut oraret* M. v. 36.

De hac Jesu precatione, quae monitione bis interrupta fuit, nunc dicemus.

P. III. Precatio Jesu ejusque monitiones.

Praeced. vide ante q. 704.

M. 26, 39. Et progressus pusillum, procidit in faciem suam, orans. et

Praeced. vide ante q. 704.

Mc. 14, 35. Ut cum processisset paululum, procidit super terram : et

dicens : Pater mi, si possibile est, transeat a me calix iste : verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu.

40 Et venit ad discipulos suos, et invenit eos dormientes, et dicit Petro : Sic non potuistis una hora vigilare mecum ? 41 Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

42 Iterum secundo abiit, et oravit, dicens : Pater mi, si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

43 Et venit iterum, et invenit eos dormientes : erant enim oculi eorum gravati.

44 Et relictis illis, iterum abiit, et oravit tertio, eumdem sermonem dicens.

45 Tunc venit etc. *Ante q. 715.*

orabat, ut si fieri posset, transiret ab eo hora : 36 et dixit : Abba pater, omnia tibi possibilia sunt, transfer calicem hunc a me, sed non quod ego volo, sed quod tu.

37 Et venit, et invenit eos dormientes. Et ait Petro : Simon, dormis ? non potuisti una hora vigilare ? 38 Vigilate, et orate ut non intretis in tentationem. Spiritus quidem promptus est, caro vero infirma.

39 Et iterum abiens oravit, eumdem sermonem dicens.

40 Et reversus, denuo invenit eos dormientes, (erant enim oculi eorum gravati) et ignorabant quid responderent ei. 41 Et venit tertio etc. *Ante q. 715.*

S. Lucas summatim.

Praeced. vide ante q. 702.

L. 22, 41. Et ipse avulsus est ab eis quantum jactus est lapidis : et positis genibus orabat, 42 dicens : Pater si vis, transfer calicem istum a me : verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat. 43 Apparuit autem illi Angelus etc... (*ante q. 710*). Et factus in agonia prolixius orabat. 44 Et factus est sudor etc... (*ante q. 710*). 45 Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes prae tristitia. 46 Et ait illis : Quid dormitis ? Surgite, orate, ne intretis in tentationem. 47 Adhuc eo loquente, ecce turba etc. *post q. 716.*

Ordo rei tractandae. 1° Narrationem Evangelicam exponam, 2° de precatione Jesu disseram fusius, et 3° quaestionem dogmaticam de duplici in Christo voluntate, cujus praecipua demonstratio in verbis Jesu supplicantis reperitur, subjungam.

N. I. Series narrationis exponitur.

Q. 705. Seriem enarra eorum omnium quae evenerunt quando Jesus in horto precationi sanctae se tradebat et interdum Apostolos monebat.

Resp. Postea quam Jesus tribus illis Apostolis, quos in interiorem

horti partem secum introduxerat, jussisset ut sisterent et vigilarent, solus *progreditur* M. V. **39,** Mc., seu potius *avellitur ab eis* L., puta, vix et quasi invitus ab amicissimis illis discedit (ἀποσπάζομαι, cf. Act. 21, 1). Procedit autem *pusillum* M., nempe *quantum jactus est lapidis* L., i. e. circiter 50 vel 60 passus, et venit in locum ubi secundum traditionem erat spelunca, quae hodiedum ostenditur (1). Ibi *genuflectit* L., ut majore cum humilitate precibus se tradat; interdum vero, crescente animi fervore, *procidit in faciem suam* M., *super terram* nudam Mc., dicens : *Abba pater* Mc. (*Abba* אַבָּא aram. pro hebr. אָב *pater*), vel M. *Pater mi, si possibile est,* et *omnia tibi possibilia sunt* Mc., proinde *si vis* L., *transfer calicem hunc a me; sed non quod ego volo, sed quod tu* Mc.

Aliquamdiu in illa precatione permansit : quamdiu ? Per *unam horam* dicunt multi, et hoc eruere volunt ex *sic non potuistis una hora vigilare mecum* ? Alii tamen sumunt hoc indefinite, tamquam popularem loquendi modum pro *per modicum tempus.* Quidquid sit, post illam precationem ad Apostolos rediit (2), non tam ut consolationem quaereret, quam ut videret quid facerent, et, si opus esset, eos moneret. Et re quidem vera, reprehensione digni erant; namque *invenit eos dormientes.*

Ideo Petrum, Apostolorum principem, prius compellans, tantam socordiam tantumque teporem miratur, et tristis exclamat: **Simon, dormis !** Tu, qui paucis abhinc horis tanta cum fiducia et audacia asserebas te paratum esse mecum ire et in carcerem et in mortem, nunc jam dormis, meque inimicorum insidiis inermem exponis ! Dormis, nullumque levamen ac solatium meae affers tristitiae ! Forte etiam insinuat Christus Petrum, tamquam caput Apostolorum, debuisse sociis dare exemplum vigilantiae.

Deinde ad omnes : *Quid dormitis ?* ait : *Sic non potuistis una hora*

---

(1) **Spelunca Agoniae** videtur tunc fuisse in parte horti interiore ; nunc autem extra hortum est, distans ab eo circiter 80 metris, septentrionem versus, inter hortum et sepulcrum B. M. Virginis. F. Liévin (*Guide*) : Cette grotte existe intégralement dans son état naturel et dans sa forme irrégulière. Elle a 10 à 12 m. de long sur 7 à 8 de large, et reçoit le jour par une ouverture pratiquée dans le haut. » Non certo constat Jesum ibi mansisse per totum tempus, quo precationi et animi angoribus sese tradidit : potuit fieri ut eo recesserit tunc tantum cum, post bis monitos Apostolos, tertio et ultimum preces fuderit.

(2) Probabiliter rediit, non solum ad tres illos quos secum in interiorem horti partem adduxerat, sed etiam ad octo alios qui prope ingressum horti relicti fuerant (Beel.).

i. e. pauco tempore *vigilare mecum ?* Quae quidem verba amaram continent reprehensionem ; et vox *mecum* incredibilem vim habet ad animos discipulorum pungendos.

Verum pergit Jesus : *Surgite, vigilate, et orate ut non intretis in tentationem*, quasi dicere velit : Si mea vos non movent pericula, vestra saltem excitent. *Ut* indicat objectum orationis, juxta Luc. Brug. et Beel. : petite a Deo non intrare in tentationem. Juxta alios *ut* indicat finem in quem orare debeant : orate, eo fine ut, per orationem roborati, non intretis in tentationem.

Non intrare in tentationem duo complectitur : graviori tentationi non exponi, atque etiam, si talis oriatur, ei non succumbere. Multi putant solummodo significari orandum esse ut tentatio superetur (ita s. Hier.) : sed, secundum Mald., verba Jesu hanc habent vim ut, conscii infirmitatis nostrae, petamus non solum ut pericula vincamus, sed etiam ne in discrimen vocemur : vide supra M. 6, 13 *Ne nos inducas in tentationem.*

Jesus intelligit tentationem de qua supra locutus fuerat v. 31 *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte.* Duo adversus tentationem subsidia, ad quae reducuntur alia omnia, indicat : humanum, *vigilare* et cavere, divinum vero, *orare.*

Quare vigilandum et orandum.

Addit jam rationem quare Apostoli id facere debeant : **spiritus quidem promptus est,** i. e., secundum s. Hil., scio spiritum *vestrum* promptum esse, ut pote sanctificatum, et in bono confirmatum per orationem meam, per Eucharistiam nuper acceptam etc. Ergo scio voluntatem vestram bonam esse, idque satis mihi significastis (M. 26, 35) ; *caro autem infirma* est, appetitus sensitivus infirmus est, et ad lapsum in tentationem facile vos pertraheret, praesertim nunc cum hora sit decretoria et fatalis, gravissimaque pericula mox oritura sint.

Sunt qui verba *Spiritus quidem promptus* etc. sumant tamquam sententiam generalem, hoc sensu : homo, divina adjutus gratia, qui agit secundum *spiritum*, secundum motum impulsumque partis animae superioris (quod non nisi ope gratiae divinae fieri potest), fortis est et *promptus* ad bonum : sed homo sibi relictus, qui *carnis*

seu partis inferioris (ad malum proclivis) impetum sequitur, *infirmus* est ac debilis ; atque ideo facile in peccatum fertur. Ita s. Hier. : « Quantum de ardore mentis confidimus, tantum de « carnis fragilitate timeamus. »

Haec est igitur 2ª Christi ad Apostolos admonitio, qua jubet eos orare ne in tentationem cadant. Ad Petrum praesertim spectabat, ut rerum eventus mox demonstrabit. Idem ille Apostolus, misera doctus experientia, simile monitum christianis omnibus quondam tradet in scriptis suis, scil. 1 Petr. 4, 7 ; 5, 8.

Posthaec Jesus iterum abit *(iterum secundo* M., pleonasmus), eamdemque petitionem, quam Deo Patri statim antea obtulerat, repetit, et cum crescente quidem submissione suae voluntatis : primum dixerat *si possibile est transeat ;* nunc sentit id possibile non esse, et ideo ait : *Si non potest transire fiat* etc. Paulatim redit clara rerum visio, et divina voluntas jam magis penetrat animam Jesu humanam, donec in 3ª oratione perfecte triumphet.

Deinde ad Apostolos reversus, rursum invenit eos dormientes ex lassitudine et somno *(erant enim oculi eorum gravati*, M. et Mc.), et simul etiam ex *tristitia*, ut ait Lucas infra v. 45 (hic tamquam medicus novit moerorem graviorem sensus consopire solere). Ista Apostolorum somniculosa incuria moerorem Jesu haud mediocriter certe adauxit : unde ipsi merito accommodantur haec Ps. 68, 21 *Sustinui qui simul contristaretur, et non fuit ; et qui consolaretur, et non inveni.* Haud dubium est quin eos iterum reprehenderit (contra s. Chrys.) ; nam Mc. dicit : *ignorabant quid responderent ei.* En **tertiam** Christi admonitionem. Tunc *relictis illis, iterum abiit, et oravit* **tertio,** *eumdem sermonem dicens.*

***Q. 706.** Pro repetitione. Quoties, et in quibus rerum adjunctis, Christus in horto Oliv. Apostolos monuit ? Quam attulit rationem ut eorum animis monitionem fortius inculcaret ?

Tanti autem momenti sunt ea quae de *precibus* Christi in horto narrantur, tamque praeclarum precationis sanctae *exemplar* nobis traditur, ut operae pretium sit fusius et diligentius ea exponere. Ante notamus ad factum illud respici Hebr. 5, 7 : cf. *Comm.* nostr. *in ep. Paul.* 6ª ed. — Cf. s. Thom. 3, 21, ubi de oratione Christi dedita opera disputatur.

N. II. De precatione Jesu in horto plenius tractatur.

Praeclarissimam Jesu precationem duplici ratione examinabimus: primum, in se ipsa; deinde, quatenus ad nos nostramque imitationem referatur.

A. Precatio ejus in se considerata.

Compendium. Inquiremus istius precationis 1° argumentum, 2° conditionem appositam, 3° orantis habitum, 4° dolores conjunctos, 5° signum quo Deus Pater eam sibi acceptam fuisse testatus est. Inde 5 membra quaestionis seq.

Q. 707. 1° Quid Christus petiit? explicando. 2° Quamnam precibus suis apposuit conditionem? 3° Quis fuit corporis habitus inter precandum? 4° Quomodo per acerbissimum dolorem, patienter toleratum, vota sua Patri commendavit? 5° Quo signo ostendit Pater orationem ejus gratam fuisse et acceptam?

R. ad 1m. Petiit (sed non simpliciter et praecise, ut patebit ex resp. ad 2m) ut *transiret a se calix iste* M., sc. cruciatuum et mortis (imago desumpta a convivio, in quo olim omnes eodem calice utebantur, adeo ut qui bibere non vellet, sineret transire calicem); aliis verbis, petiit L. ut Pater coelestis ab ipso *transferret calicem istum;* seu Mc. ut *transiret ab eo hora*, nempe fatalis, i. e. ut a tormentis et a supplicio mortis instantis liberaretur. Metaphora de *calice bibendo,* qua significantur dolores et miseriae, in s. Scriptura saepius occurrit, v. gr. M. 20, 22, ubi et alia indicavi loca.

R. ad 2m. Prima conditio *si possibile est*; sed, quum apud Mc. addat *omnia tibi possibilia sunt*, haec non est vera conditio, quippe quae resolvatur in illam alteram, quam refert L. *si vis;* ergo, *si possibile est*, non secundum Dei omnipotentiam, sed secundum Dei sapientiam, vel secundum decretum voluntatis ejus. Ideo etiam statim subjungit *Verumtamen* **non mea voluntas, sed tua fiat.** Igitur, ad rem quod attinet nihil aliud petit quam ut Dei Patris voluntas cumulate perficiatur: ideoque mox dicet, quando Petrus ipsum armis defendet: *Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum?*

Sed quare conditionem (*si vis, si possibile est*), quam a parte rei sciebat non subsistere, addere voluit? Nostri causa, ut doceret

nos talem adhibere formulam, cum temporale quid vel corporale a Deo poscimus.

R. ad 3m. *Positis genibus orabat,* L.; imo identidem *procidit super terram* Mc. *in faciem suam* M.

R. ad 4m. Inter precandum tam vehementem timoris et mœroris passus est impetum, ut affirmarit *animam* suam *tristem esse usque ad mortem* (cf. supra ad M. 26, 37 et 38); imo vero, quo magis increscebat fervor animi supplicantis, eo vehementiores acerbioresque facti sunt angores et terrores ejus; adeo quidem ut tunc *prolixius* et *instantius* oraverit, quando *factus est in* **agonia,** i. e. cum gravissimo angore oppressus fuit ex metu instantis periculi.

Vox agonia hic male intellecta.

Αγωνια, sicut αγων, significat proprie *certamen* praesertim gymnicum, inde angorem qui certamen praecedit, inde generatim angorem gravissimum qualem praesentissimum mortis periculum excitare solet. Igitur interpretes quidam non omnino accurate per *agoniam* intelligunt *angorem animi cum morte luctantis* seu cruciatus hominis in articulo mortis constituti, gall. *agonie, affres de la mort,* flandr. *doodstrijd:* hanc enim emphasim vocis αγωνια ignorat lingua graeca. Vertendum est *angoisses mortelles, doodelijke of uiterste angst.* Itaque, juxta vim propriam verborum, Jesus dicitur passus fuisse angorem vehementissimum, qualem sentiunt communiter qui se vident instanti mortis periculo expositos. Gall. *son état n'était pas précisément celui d'un homme à l'agonie, mais il était en proie à des angoisses mortelles.*

Ille autem angor Christi tantopere increvit, ut *factus* sit *sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram:* cf. q. 711.

R. ad 5m. Venit Angelus de coelo eum corroborans L., ut infra explicabimus.

B. Precatio Jesu quatenus ad nos referatur, seu quatenus a nobis imitanda sit.

(Homiliticum).

Q. 708. Quasnam **dotes** habere debent preces nostrae, ut exemplum Christi in horto orantis rite imitemur? Aliis verbis, Christi precatio in horto qualis fuit?

R. a/ Fuit humilis et magna cum reverentia facta; quod patet vel ex solo corporis habitu (1).

b/ Fervens, assidua et perseverans: *prolixius orabat.* Graecum εκτενεστερον duo significat: vel enixius, instantius, vehementius; vel *diutius*, perseverantius, *prolixius*, ut in Vulg. Christi exemplo docemur, crescente tentatione Dei opem rogandam esse intentius. Domini precantis fervor et perseverantia colliguntur etiam ex eo quod **tribus** vicibus distinctis piae supplicationi sese totum tradiderit, *eumdem sermonem dicens* (2). **Ter** perfectionem indicat actionis: cf. ad calcem in Appendice IV q. 1156, ubi per modum dissertationis exposui vim numeri **tres.**

c/ Cum fide, spe (3), et caritate erat Deo oblata; quod ex verbis *pater mi*, et *omnia tibi possibilia sunt* satis concludimus.

d/ Petentis voluntas voluntati Dei perfecte consentanea erat: *non mea voluntas, sed tua fiat.* Tunc tantum, cum ita affectus est animus, vere sancta Deoque accepta erunt vota. Exemplum Christi hac in re omnino attendendum est: « Haec vox « capitis *(Non mea voluntas* etc.), inquit s. Leo M. *Serm. 7 de Pass.*, salus est totius « corporis: haec vox omnes fideles instruxit, omnes confessores accendit, omnes « martyres coronavit... Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiae filii;... et « cum adversitas violentae alicujus tentationis incubuerit, praesidio potentissimae « orationis utantur: ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam pas- « sionis. »

e/ Petitio etiam erat recte ordinata, quia res terrena (liberatio a cruciatu et morte) non absolute implorabatur, sed eatenus tantum quatenus placebat Deo: *si vis.*

f/ Preces porro factae sunt in solitudine et in silentio tenebrarum, ut major adhiberetur mentis attentio, atque adeo omnes avocationis causae et occasiones diligentius vitarentur. « Solebat, ait s. Chrys., seorsum a discipulis orare. Hoc « autem faciebat, ut nos doceret ad precandum nobis quietem et tranquillitatem « multam esse parandam. » Ex gr., per 40 dies in *deserto cum bestiis* mansit Mc. 1, 13, ubi certe precationum officiis constanter vacavit; saepe in locum desertum, vel in montem secessit solus ad orandum, et per noctem quidem: L. 5, 16; 6, 12; 9, 18, 28. M. 14, 23.

g/ Tandem precatio erat opportuno tempore facta, secundum illud Jac. 5, 13 *Tristatur aliquis vestrum? oret.* Ex quo discimus et nos, optimum et fere unicum moestitiae miseriaeque remedium esse, ut ad Deum piis precibus recurramus, ipsique dicamus: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Porro, quia Christi vota cum magno cruciatu patienter tolerato conjuncta erant, ideo tanto magis Deo grata fuerunt atque accepta. Nos etiam petitiones nostras Deo multum commendare possumus, si opus quoddam pietatis eis addamus, v. gr. si ex amore erga Deum, vel erga proximum, quidpiam patiamur, si voluntariam corporis afflictationem

---

(1) Cum humilitate ad Deum accedendum esse, diserte docet parabola Pharisaei et Publicani precantium in Templo, L. 18, 9 sqq. Confer etiam historiam Centurionis qui dixit: *Domine, non sum dignus ut* etc.: supra q. 279. Vide historiam Chananaeae, quae respondit catellis non negari micas de mensa cadentes: supra q. 466 sq. *Deus superbis resistit, humilibus autem dât gratiam.*

(2) De perseverantia in precibus vide supra q. 264. Assiduitatem autem requiri, patet ex ipsa precandi necessitate, quae quidem tanta est, ut *semper*, et *sine intermissione* sit orandum: supra q. 263 sq. Quomodo hoc possit et debeat fieri, explicavi 1 Thess. 5, 17.

(3) De fiducia in precatione vide supra q. 567.

suscipiamus, etc. Etenim, per jejunium vis quaedam singularis magnaque efficientia precibus accedit, adeo quidem ut, teste Servatore M. 17, 20, istae potentissimos expellant daemones. Quare ad illum locum notat s. Chrys.: « Qui orans jejunat, « binas habet alas, ipsis ventis leviores. Non enim oscitat, nec expanditur, nec « torpet orando, ut multi solent; sed est igne ardentior, et terra superior; ideoque « maxime daemonum hostis et inimicus. Nihil enim potentius homine probe « orante (1).

Alia vero Christi exempla, quae huc spectant, indicavi supra q. 445. Tandem juvat lectorem pium et studiosum remittere ad offic. eccl., *De Orat. Ch.* in Brev. Rom., fer. 6 post Septuag., ubi multa eaque praeclarissima in hoc argumentum reperiet tum verba quum exempla, praesertim ex Script. et ss. Patribus desumpta.

Occasione illius quod dicitur hic, de Jesu inter precandum genua flectente et in terram sese prosternente, haud inutile forte erit quaestionem generalem ex universa Scriptura solvendam obiter exposuisse: nempe *de precantium gestibus apud Judaeos.* Vide infra ad calcem, in Append. IV q. 1124.

N. III. Quaestio dogmatica obiter adjecta:

De duplici voluntate in Christo.

* **Q. 709.** 1° Ex verbis Christi in horto *Non mea voluntas sed tua fiat,* quomodo confutatur haeresis Monothelitarum? 2° Sed difficultas est in eo quod voluntas Christi Dei voluntati dicatur opposita.

R. ad 1m. Sensus verborum est: volo ut Dei Patris voluntas, quod attinet ad mortem meam acerbissimam, perficiatur; non autem volo ut fiat id quod caro seu pars inferior natura duce appetit, nempe liberari a cruciatibus. Igitur, voluntas distincta a voluntate Dei Patris Christo hic adscribitur, ergo in ipso est **voluntas humana**. Hoc autem negabant Monothelitae, quum unicam in eo admitterent voluntatem, quam vocabant *theandricam* seu *Deivirilem;* haec autem, secundum istos, talis erat ut voluntas divina *active*, humana vero *passive* se haberet: ex quo concludebant, voluntatem humanam omni vi et actione propria carere, adeoque voluntatem non esse veram; verbo, in Christo reipsa fuisse unicam voluntatem, nempe divinam. Cf. Perrone, *Prael. th.*, tr. *De Incarn.* N. 453.

R. ad 2m. Voluntas Christi humana *rationalis* (quae est voluntas proprie dicta) nequaquam erat opposita divinae voluntati; nam Christus in horto *vult* ut Dei voluntas fiat, vult quod Deus vult. Ideo etiam voluntas ejus humana (rationalis) hic et alias semper exaudita fuit, ut docet s. Th. 3, 21, 4. Quando autem dicit *Non mea voluntas,* vocem *voluntas* sensu improprio sumit, pro naturali affectione carnis seu partis inferioris, quae natura duce mortem omnemque dolorem aversatur: haec est voluntas humana, non rationalis, sed sensitiva, eratque in Christo voluntati rationali perfectissime subjecta: adeo quidem ut non moveretur, nisi quantum

(1) Denique precationi summa erit vis et efficacia, si corporali afflictationi adjungantur etiam opera beneficentiae et charitatis in proximum: nam Tob. 12, 8 *Bona est oratio cum jejunio et eleemosyna.*

ratio permittebat (non ita se res habet in nobis). Praeclare illud explicat Ben. XIV, *De festis*, c. 7, 6. S. Chrys.: « Cum ait *Transeat*, humanitatem ostendit [i. e. ostendit « in se esse naturalem illum appetitum sensitivum, qui a morte, tamquam formi- « dolosa et naturae adversa, refugit]; cum autem dicit *Verumtamen non sicut ego volo, « sed sicut tu*, virtutem philosophiamque (sapientiam) exhibet, monetque, renitente « quoque natura, Deum esse sequendum. »

Sed tempus est ut ad historiam Jesu redeamus. Supra vidimus ipsum, post monitionem Apostolis *tertio* traditam, rediisse ad speluncam ut *tertio* precibus operam daret. Probabiliter tunc evenerunt quae narrat L. de sudore sanguineo et de Angelo. Haec jam tractemus oportet.

P. IV. Sudor Christi sanguineus, et angeli accessus.

Praeced. vide ante q. 705.

L. 22, 43. Apparuit autem illi Angelus de coelo confortans eum. Et factus in agonia prolixius orabat. 44 Et factus est sudor ejus, sicut guttae sanguinis decurrentis in terram. 45 Et cum surrexisset etc. *Ante q. 705.*

Quaestio quaedam praevia hic oritur, quae necessario perstringenda est.

De authentia hujusce narrationis.

Q. 710. An duo vers. quibus L. sudorem Christi sanguineum in horto Oliv., et accessum Angeli narrat, vere genuini sunt?

R. Isti versiculi desunt quidem in cod. ABR et nonnullis minusc.; in ESVΔ stellulis notantur, atque in aliis quibusdam manuscriptis cum obelis scribuntur; praeterea ss. Hil. *De Trin.* 10, 41, Epiph. *Ancor.* 31, et Hier. *Adv. Pelag.*, l. 2, 1 testantur eos in complurimis codicibus, tum graecis quum latinis, fuisse omissos; tandem s. Ambr. in *Comm.* eos praeterit.

Attamen certo genuini sunt, utpote qui in plerisque codicibus (etiam in Sin.) et versionibus antiquis (etiam Syr. Cureton.), et apud plerosque Patres legantur; imprimis eos agnoscunt ss. Just. *Dial. c. Tryph.* 103; Iren. *Haer.* 3,22; Hipp. *Contra Noet.* 18; Epiph. *Haer.* 69, 19, 59; et *Anch.* 31; Greg. Naz. *Ora.* 30, 16; Aug. *In Ps.* 140, 1; Chrys. *Hom. in M.* 26, 42.

Deinde, eorum praetermissio facile explicatur ex causa dogma-

tica, nempe ex eo quod contra Christi divinitatem difficultatem facere viderentur (cum dicitur ipsum fuisse confortatum ab Angelo), eisque Ariani abuterentur, ut diserte dicit s. Epiph. *Haer.* 69, 59 : contra, eorum adjectio verisimilis non est : cui enim in mentem venisset haec inserere ? (ut ait *Byn. *De morte J.*).

Eos etiam admisit *Tisch. in 7ª edit. ; et Ben. XIV, *De festis* c. 7, 9 : « Nefas est, ait, de eis dubitare, cum s. Synodus Trid. « sess. 4 pronuntiaverit integros s. Scripturae libros, cum omnibus « suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in « Vulgata editione habentur, pro sacris et Canonicis esse susci- « piendos. » Idem scriptor factum illud fuse exposuit, *De Can. ss.*, l. 4, p. 1, c. 26.

A. De sudore sanguineo.

a. Fuit verus.

Q. 711. Admissa igitur authentia istius narrationis, petitur : Quid refert Evang. de *sudore* Christi in horto Oliv. ? Quomodo hoc intelligendum est ? Varias expone sententias easque dijudica.

Resp. *Et factus in agonia, prolixius orabat* (vide horum explicationem supra q. 707). *Et factus est sudor ejus sicut guttae sanguinis decurrentis in terram.* Loco *decurrentis* graece est καταβαινοντες decurrentes ; excepto tamen cod. Sin., qui legit καταβαινοντος, sicut Vulg. Vox graeca, quae vertitur *guttae,* est θρομβοι i. e. guttae concretione condensatae et ampliatae, *grumi* : vocabulum illud saepius adhibetur de sanguine coagulato, angl. *clots*, fl. *klonters bloed.* Cum autem sanguis coagulatus non amplius fluat nec *decurrat in terram*, sensu quodam lato voc. graecum sumere oportet, adeo ut guttae majores crassioresque hic generatim significentur. His primum notatis, ad verborum interpretationem jam venimus.

Rationalistae quidam (v. gr. Strauss) totam narrationem (et de Angelo et de sudore sanguineo) **ut mythum habent,** inter alias rationes hanc praetendentes : Lucam non potuisse id scire, quum nulli adessent testes. Verum Apostoli faciem Jesu ultimum redeuntis sanguine aspersam forte viderunt ; deinde, qui divinum scriptoris affatum et instinctum credit, facile admittet quaedam ipsi inter scribendum a Deo indita fuisse. Iis tamen, qui contendunt

Angelum ab Apostolis visum fuisse, assentiri nolim : namque Evangelium aperte docet eos somno mersos fuisse.

Sepositа igitur Rationalistarum sententia, quae non est interpretatio, sed impudens Scripturae negatio, eos solummodo audimus qui veritatem facti profitentur. Jam vero hi duplici sensu verba explicant ; etenim

1° Theophyl. ea **proverbialiter** sumit pro vehementi labore, sicut dicimus *sanguinem flere* pro *amare flere* (cf. gall. *verser des larmes de sang*, melius flandr. *bloedige tranen storten*) ; pariter Euthym. Zig. Post illos nonnulli catholici recentiores, ut Hug, et rationalistae plerique ita intelligunt : sudor ejus factus est tam ingens tamque crassus, ut similis esset guttis sanguinis crassioribus (quales sunt guttae, quando sanguis coagulari incipit), decurrentibus in terram. Ergo, secundum hanc sententiam, Christus non exsudavit sanguinem.

Sed a/ quare, hoc posito, mentio fit de *sanguine ?* Potuisset auctor simpliciter dicere ὡσει σταγονες vel σταλαγματα, *sicut guttae.* Ita ratiocinatur Bisp. ; verum haec ratio non mihi videtur plane et perfecte convincens : namque ad designandas guttas majores et crassiores, valde obvium erat dicere *guttas sicut grumos sanguinis se coagulantis.*

b/ Ideo auctor ille alterum argumentum addit, scil. probabile non esse descriptionem acerbissimi angoris, qui per modum gradationis narratur, conclusam fuisse hac frigida adnotatione : Et Jesus vehementer sudavit. Sed ista verba non mihi videntur adeo frigida. Praefero dicere nullam esse rationem recedendi a sensu obvio et naturali : contra, quum istae angustiae proluderent ceteris Christi cruciatibus crudelissimis, obvium est verba L. in sensu proprio et in tota vi significationis sumere, ut faciunt patroni 2ae sententiae.

2ª Sententia censet Christum **vere sanguinem** exsudasse. Ita s. Justin. l. c., et s. Iren. l. c., et plerique e ss. Patribus (ait Allioli), imo s. Athan. anathema dicit (ait rursum All.) ei qui negat sudorem Christi sanguineum (sed hoc anathema reperitur tantum apud Pseudo-Athan., *lib. 6 De Trin.*, in App. edit. Bened.) ; consentiunt Mald., Calmet, Ben. XIV (l. c.), Allioli, Loch *und* Reischl, Beel.

In hac autem sententia, sunt qui adverbium *sicut* sensu proprio

accipiant de *similitudine*, hoc modo: Sudor ejus erat sanguine mixtus, crassus et copiosus, adeo ut *similis* esset grumis sanguinis decurrentibus in terram (Luc. Brug.).

Alii vero, v. gr. Bisp., intelligunt *sicut* non de similitudine, sed de veritate, quemadmodum J. 1, 14 *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre*, i. e. gloriam qualem habet Unigenitus, qualis Unigenito congruit ; igitur, vidimus gloriam ejus, quae est vera perfectaque gloria Filii Dei unici. Pariter *factus est sudor ejus sicut guttae* etc., factus est talis ut essent revera guttae sanguinis decurrentes in terram. Aliis verbis : sudor ejus sanguineus similis fuit guttis, quia guttatim decurrebat; guttis, inquam, non quibuscumque, sed crassissimis et concretis (ita loquitur *Clotz, *De sud. J.-C. sang.*, cit. ap. Ben. XIV).

b. Fuitne sudor miraculosus ?

Postquam verba Evangelistae, sudorem Christi sanguineum describentis, explicavimus, oportet ut naturam facti illius nunc ulterius inquiramus, fueritne naturalis an miraculosus. Hunc in finem seq. ponimus quaest. :

Q. 712. An sudor Christi in horto fuit *naturalis*, an vero *miraculosus ?*

R. Secundum sententiam 1^m^, de qua q. praec., certe fuit naturalis ; patroni autem alterius sententiae, quae communis est inter catholicos, sudorem illum prorsus extraordinarium fatentur : sed multum disputatur, etiam inter catholicos, utrum fuerit stricte *miraculosus*. Id negat Mald. in M. 26, 37, et citat exempla virorum quorumdam in quibus vehementissimus animi affectus, v. g. timor, sudorem sanguineum provocavit. Addit olim jam Aristotelem (*De part. anim* 3, 5 : Bisp. autem citat *H. A.* 3, 19) de sudore sanguineo mentionem fecisse. Cf. Calm. *Diss.* spec. *de sud. sang.* Ita etiam Bisp., Schegg, Langen, Pierik etc. Ad me quod attinet, nolim recedere a communiore sententia, quae ibi videt **verum** et proprie dictum **miraculum.** Cf. s. Hil., *De Trin.* 10, 41.

***Q. 713.** Quaestio generalis in transitu proponitur. Quoties Christus sanguinem fudit ?

R. 1° In circumcisione, 2° in sudore quem in horto Olivarum passus est, 3° cum flagellis caesus spinisque coronatus fuit, 4° certe cum crucem portavit, sed praesertim cum ei affixus fuit, 5° tandem quando latus ejus transfossum fuit.

B. Angelus Jesum corroborat.

Ante omnia notandum probabile non esse quod opinatur Jansen., Angelum in ternis Christi precationibus spectandum se obtulisse, ideoque ter eum corroborasse : verius est, quod vulgo admittitur, eum semel, et in tertia quidem precatione, ad Christum descendisse.

Igitur, cum tristitia et angor Jesu eousque increvissent ut sudor erupisset sanguineus, cumque simul preces ejus summum fervoris apicem attigissent : *tunc*, ut videtur, non antea, *apparuit illi Angelus de coelo*, sub forma humana, vel saltem corporali et aspectabili, *confortans eum*. Dico *tunc ut videtur*, quia non omnino certum est temporis momentum quo Angelus advenerit. Oportet primum hanc examinare quaestionem.

Angelusne ad Jesum venit ante vel post angorem sanguineumque sudorem ejus ?

Q. 714. 1° Quo temporis momento venit Angelus ? 2° Quis fuit ille Angelus, et quomodo Jesum roboravit ?

R. ad 1m. Lucas Angeli accessum narrat antequam de *agonia* Jesu ejusque sudore sanguineo loquatur. Jam vero, nonnulli (Bisp. etc.) putant verum rerum ordinem ab hoc Evangelista servari, et Angelum ante ultimas Servatoris angustias advenisse. Probabilius tamen nobis videtur quamdam rerum inversionem in illa narratione admittendam esse ; seu potius, per verba *Et factus in agonia* etc. causam tradi quare Angelus Jesum corroboraverit, adeo ut conj. *et* vim habeat αιτιολογικην, et reddi debeat per *nam* (ut hebr. וְ *wav* sexcenties abhibetur : cf. *Gesen. *Lex.* וְ 4°, et *Schleusn. *Lex.* voc. και). Sensus erit *Apparuit ei Angelus de coelo confortans eum : nam, cum summo premeretur angore* (tanto nempe quantus in periculo mortali accidere solet), *ardentius orabat* (adventus Angeli corroborantis fuit fructus precationis illius ardentissimae) ; *et factus est sudor* etc. : igitur, quando summum angorem patiebatur et ardentius precabatur, tunc sanguinem exsudavit ; propter enixas autem ejus preces, in tanto cruciatu Deo Patri oblatas, venit Angelus a Patre missus, qui eum corroboravit.

Secundum hanc interpretationem, quam res ipsa suadet, (secus

enim robur ab Angelo suppeditatum plenum effectum non habuisset), Christi angores et terrores per accessum Angeli sedati fuerunt (ita etiam A Lap.). Hoc autem posito, perfectior est similitudo inter tentationem Jesu in deserto et luctationem ejusdem in horto. In priore enim facto, post *triplicem* hostis impetum fortiter exceptum et superatum, recessit diabolus, et angelicum ministerium ei successit: in horto etiam, cum *ter* precationi indulsisset Jesus, et contra terrorem angoremque internum *ter* luctatus fuisset, qui quidem angor, ut videtur, per diabolicam tentationem excitatus vel saltem adauctus fuit (cf. q. 166), relata plena victoria venit Angelus corroborans eum.

Nota **mere externum** fuisse robur illud et solatium ab Angelo suppeditatum, quemadmodum tentatio etiam **externa** tantum fuit: s. Thom. III, 12, 4.

R. ad 2m. Quis fuerit ille Angelus, prorsus incertum est: alii (Vasquez) conjiciunt fuisse Gabrielem, propter rationem M. 1, 20 indicatam; alii vero (Luc. Brug.) Michaelem, utpote Angelorum summum, quem decuit officium illud Christo, Deo-homini, praestare.

Quomodo autem Jesum corroboravit? Forsitan ei nuntiando preces ejus Deo Patri acceptissimas fuisse, decretum Dei Patris de cruciatibus et morte subeundis proponendo, ostendendo gloriam ipsi hominibusque fructum uberrimum ex acerbissima morte secutura, etc.

Bis tantum, ut supra jam animadvertimus q. 167, legitur angelicum praesidium Jesu in vita mortali collatum fuisse: post tentationem in deserto, et hic in horto. Sed in historia ejus saepenumero intervenerunt Angeli: cf. supra q. 65.

P. V. Jesus ultimum redit ad Apostolos.

Praeced. vide ante q. 705.

M. 26, 45. Tunc venit ad discipulos suos, et dicit illis: Dormite jam, et requiescite: ecce appropinquavit hora, et Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 46 Surgite, eamus: ecce appropinquavit qui me tradet. 47 Adhuc eo loquente etc. *Post q. 716.*

Praeced. ib.

Mc. 14, 41. Et venit tertio, et ait illis: Dormite jam, et requiescite. Sufficit: venit hora, ecce Filius hominis tradetur in manus peccatorum. 42 Surgite, eamus, ecce qui me tradet, prope est. 43 Et adhuc eo loquente etc.

Praeced. ib.

L. 22, 45. Et cum surrexisset ab oratione, et venisset ad discipulos suos, invenit eos dormientes prae tristitia. 46 Et ait illis: Quid dormitis? surgite, orate, ne intretis in tentationem. 47 Adhuc eo loquente etc.

Q. 715. Jesus, ultimum rediens ad Apostolos, eos rursum reprehendit et monet (*tertio* jam) secundum L. Deinde, secundum M. et Mc. (in probabiliore sententia), pusillam requiem et dormitionem eis benigne concedit. Post aliquam moram eos invitat, non ad fugam, sed ad hoc ut secum inimicis obviam progrediantur. Haec autem plenius exponenda sunt.

Visione illa angelica recreatus, ad Apostolos **tertio** et ultimum accessit, eosque invenit adhuc dormientes. Ecce nunc actum est: deinceps non occurret illis umquam occasio vigilandi una hora cum magistro suo et pro ipso, neque ultra id ab ipsis petetur.

Tunc ait illis: *Dormite jam et requiescite:* quae quidem verba duplicem admittunt interpretationem.

1ª Sententia. Loquitur Jesus per modum amarae ironiae, seu concessionis quae exprobrantis est et reprehendentis (ita s. Chrys. *in J.*, et Theoph. *in Mc.*, ita etiam Beel.): **Dormite jam et requiescite** M. et Mc., si potestis, vel si verba mea vos non movent, si tantus est tepor vester! Mox per aliorum vocem a somno excitabimini. Sed *sufficit* Mc., carnis infirmitati satis acquievistis (alii loco *sufficit* απεχει vertunt *habet*, *actum est*), *venit hora* ἡ ὡρα, hora fatalis, hora tenebrarum quam vobis saepius praenuntiavi, hora cruciatus et mortis.

2ª Sententia. S. autem Aug. *De cons. Evang.* 3, 4, censet verba **Dormite jam** serio dicta fuisse a Christo, eo sensu quod, infirmitatis Apostolorum miserens, aliquantulum somni eis indulserit (ita etiam s. Hil., *De Trin.* 10, 40), donec appropinquante Juda dixerit *Sufficit! surgite, eamus.* Huic autem interpretationi favent verba graeca καθευδετε το λοιπον, *dormite quod reliquum est*, i. e. modico tempore quod remanet usque ad adventum proditoris. Verum obstare videntur verba proxime sequentia M. *ecce appropinquavit hora;* nisi ponamus cum s. Aug. l. c., aliquam temporis moram effluxisse, antequam Salvator haec verba addiderit, adeo ut, post requiem quamdam Apostolis concessam, dixerit Mc. *Sufficit: venit hora* etc.

Jans. Gand., A Lap., Schegg, Bisp., Fill., Knab. etc. sequuntur s. Augustinum; et merito quidem, propterea quod pschycologice non concipiatur quomodo Jesus in tali momento tragico utatur *ironia*, et quomodo tam acerbum se ostendat erga miseros illos,

qui prae tristitia, somnolentia et lassitudine dormitassent. Eo vel magis, quod nunc, post 3m orationem et post solatium ab Angelo acceptum, omnem animi anxietatem vicerat, perfectamque tranquillitatem recuperaverat (quae quidem sensa videmus in oratione post Coenam apud J.), adeoque ad commiserationem erga infirmos suos discipulos propendere debuit. Praeterea, haec 2a sententia consuetae benignitati Jesu, qui nunc pacato animo erat, consentanea est. Obiter animadverte tunc tantum, quando lucta erat in summo gradu, ipsum amare locutum fuisse : *Simon, dormis ! Sic non potuistis* etc.

Primum ap. M. occurrit vocabulum **hora** in sensu speciali (gall. *emphatique*), hora κατ'ἐξοχήν, id est *tempus praestitutum*, quo, secundum aeternum Dei Patris decretum, Servator pro salute mundi patietur et morietur. Cf. Mc. 14, 35 *Orabat ut, si fieri posset, transiret ab eo hora.* J. 7, 30 ; 8, 20 *Nondum venerat hora ejus.* J. 13, 1 *Hora ejus ut transeat ex hoc mundo.* Vide etiam J. 12, 27. De cetero, hunc sensum colligimus ex verbis quae hic ap. M. statim sequuntur. Nempe

Ecce Filius hominis tradetur (melius in graeco apud M. et Mc. *traditur* in praes.) *in manus peccatorum !* Itaque *surgite, eamus : ecce qui me tradet* (graece ap. M. et Mc. *tradit* in praes.) *prope est* (M. et Mc. ἤγγικεν, *appropinquavit*, ergo jam *ades!*), venite mecum obviam isti.

Jesus ultro patitur. Animadverte quam **sponte** quamque intrepide Christus se inimicis tradat, nihil de fuga cogitans : « His « omnibus, ait s. Chrys., discipulos erudit, non necessitatis neque « infirmitatis, sed oeconomiae cujusdam ineffabilis rem esse : prae- « sciebat enim venturos esse, nec solum non fugit, sed obviam ivit. »

SCENA II.

Comprehensio Jesu in horto : 26, 47-56.

Antitheton. *Contemplatio generalis.* Haec altera divinae istius tragoediae scena valde dissimilis est a priore. Ibi silentium, obscuritas, intimi quidam actus, summa quoque Christi sese humiliantis tristitia, trepidatio, et quasi ignominia : hic vero armorum strepitus, turbae tumultus, faces et laternae, majestas Christi palam se exserens. In utraque autem scena actioni principali secundaria

quaedam miscetur: ibi dormiebant Apostoli, hic Judas proditionem exequitur.

Ordo rerum et divisio hujus scenae.

Q. 716. Enumera **ex ordine** facta praecipua quae in Evang. narrantur, ab adventu Judae proditoris in hortum usquedum Jesus in Urbem abductus fuit.

R. 1° Accessus et osculum Judae; verba Christi ad ipsum. 2° Jesus inimicis obviam procedit, eosque in terram prosternit, dicens *Ego sum*. Postquam autem isti surrexerant, Jesus iterum se notum facit. Tunc 3° accedunt, et, manibus in eum injectis, eum prendere volunt. Cum Apostoli hoc vident, exclamant *Domine, si percutimus gladio ?* Et Petrus auriculam Malchi abscindit; Christus autem Apostolos cohibet *(Sinite usque huc)*, Petrum objurgat, deindeque auriculam tangens, eam per miraculum restituit. Sequitur 4° exprobratio Christi in Judaeos. 5° Tandem Jesus ligatur et abducitur. Tum vero Apostoli, animadvertentes eo loci rem esse ut nulla spes supersit, fugiunt omnes. Cui quidem facto annectitur historia adolescentis, qui sequitur Jesum *amictus sindone super nudo*.

Nunc de singulis in quinque punctis dicemus.

P. I. Judas cum turba armata in hortum venit et osculo Jesum tradit.

a. Accessus Judae cum turba armata.

Praeced. vide ante q. 715.

M. 26, 47. Adhuc eo loquente, ecce Judas unus de duodecim venit, et cum eo turba multa, cum gladiis et fustibus, missi a principibus sacerdotum, et senioribus populi. 48 Qui autem etc.

Praeced. ante q. 715.

Mc. 14, 43. Et, adhuc eo loquente, venit Judas Iscariotes unus de duodecim, et cum eo turba multa, cum gladiis et lignis, a summis sacerdotibus, et Scribis, et senioribus 44 Dederat etc.

Praeced. ante q. 715.

L. 22, 47. Adhuc eo loquente, ecce turba: et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos: et appropinquavit etc.

Praeced. ante q. 702.

J. 18, 2. Sciebat autem et Judas, qui tradebat eum, locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis. 3 Judas ergo cum accepisset cohortem, et a Pontificibus et Pharisaeis ministros, venit illuc cum laternis, et facibus, et armis. 4 Jesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit, etc. *Vide infra post q. 718.*

b. Osculum judae et verba jesu ad ipsum.

M. 26, 48. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum. 49 Et confestim accedens ad Jesum, dixit : Ave Rabbi. Et osculatus est eum. 50 Dixitque illi Jesus : Amice, ad quid venisti ? Tunc accesserunt etc *Post q. 722.*

Mc. 14, 44. Dederat autem traditor ejus signum eis, dicens : Quemcumque osculatus fuero, ipse est, tenete eum, et ducite caute. 45 Et cum venisset, statim accedens ad eum, ait : Ave Rabbi : et osculatus est eum. 46 Et illi manus etc. *Post q. 722.*

L. 22, 47 .. Et appropinquavit Jesu ut oscularetur eum. 48 Jesus autem dixit illi : Juda, osculo Filium hominis tradis? 49 Videntes etc. *Post q. 722.*

Marcus verba Jesu ad Judam non refert ; solus addit Judam commendasse Judaeis ut Jesum *caute* ducerent. Joannes autem non loquitur de osculo Judae, nec de verbis Jesu ad miserum illum proditorem ; sed narrat Jesum obviam catervae processisse et se ipsum notum fecisse. Hoc autem conciliari posse cum Synopticis, qui dicunt ipsum indicatum fuisse per osculum Judae, infra ostendemus. Tandem, solus J. de praesentia *militum Romanorum* mentionem facit.

Q. 717. Describe, cum omnibus et singulis rerum adjunctis, secundum concordiam quatuor Evangelistarum, quonam modo Judas executioni dederit pactum de prodendo Jesu.

R. Ut ordine agamus, utque responsio omnibus numeris absoluta sit, quinque rerum capita distinguemus. 1° Quo temporis momento in hortum advenit Judas ? 2° Quinam ipsum comitabantur ? 3° Quid fecit et dixit proditor ille ? 4° Quid Jesus ? Tandem 5° quaenam sensa verba Salvatoris in corde Judae excitarunt, et undenam oriebatur pessima istius malitia ?

Ante omnia notamus, locum, in quem venerat Jesus, Judae probe notum fuisse, quia *frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis* J. 18, 2.

1° Quod jam spectat ad tempus, Judas advenit in hortum (in ipso horto scena collocatur J. 18, 26 *Nonne ego te vidi in horto ?*) eo ipso momento quo Jesus dicebat Apostolis *Surgite, eamus ; ecce adest qui me tradit ;* tres enim Synoptici hoc aperte affirmant : *Adhuc eo loquente, ecce Judas venit* etc. Erat circiter **hora noctis 11ª cum dimidia.**

Apud tres Evangelistas quaedam notatio personae, sc. traditorem fuisse *unum de duodecim*, additur, ad immanitatem sceleris indicandam.

Ex verbo *eamus* merito conclusimus supra, Jesum sponte et intrepide obviam inimicis processisse : quod confirmatur ex his J. *Jesus itaque sciens omnia quae ventura erant super eum, processit* etc. Non tamen ex horto egressus est, nam huic repugnat J. 18, 26, ut statim diximus. Itaque J. 18, 4 *Jesus... processit et dixit*, εξελθων ειπεν, sic intelligimus : cum ex interiore parte horti, vel ex aedificio quod erat in horto, egressus fuisset et aliquantulum *processisset* obviam turbae, *dixit : Quem quaeritis ?* Sed priusquam haec dixit, osculum Judae accepit : post illud autem, rursus processit paululum obviam turbae, quae in vestigio steterat retro Judam. Videsis infra.

2° Proditorem autem comitabatur **turba multa cum gladiis** (puta, milites) **et fustibus** (scil., ministri Pharisaeorum) ad vim faciendam, et **cum laternis et facibus** ad tenebras noctis depellendas (1). Ipse autem *antecedebat eos* L., quasi dux et antesignanus scelestorum : « Privilegio perfidiae obtinuerat in facinore « principatum (s. Leo, *De Pass.* 5). » Probabiliter aliquot passus praecedebat, ut non videretur esse ex iis qui venerant Christum comprehendere, sed quasi aliunde redire ; quare, ut redeuntes solent, magistrum osculatur.

Porro, distincte explicandum est quaenam esset ista turba et unde venisset.

a/ Aderat **cohors** J. 18, 3 cum ejus *praefecto* seu tribuno J. 18, 12. Hic autem χιλιαρχος *dux mille militum* vocatur, non quod reapse tot praeesset militibus (contra A Lap.) ; sed nomen illius, qui primitus mille imperabat viris, postea datum est cohortis praefecto. Cohors vero intelligitur illa (gr. cum articulo) **Romana,** quae in arce Antonia praesidium agebat (Jos. *B. J.* 5, 5, 8 ; *Ant.* 20, 5, 3 ; Act. Ap. 21, 31 ; 22, 24 ; 23, 23). De eadem cohorte mentio etiam fit M. 27, 27, ibique dicemus quot militibus constaret. Non tamen oportet necessario admittere cohortem illam *universam* adfuisse. Magna certe ejus pars venerat, quum dux ejus adesset imperans. Multi autem milites assumpti fuerant, quia rumor de

(1) Erat quidem plenilunium, et certe luna nondum occiderat, quod, teste Pierik *De lydende Jesus*, inepte contendit Sepp ; sed poterat esse magna obscuritas propter nubes densas. Praeterea, vallis Cedron valde angusta et profunda erat, multisque arboribus, imprimis oleis, consita. Timebant forte ne Jesus se ibi vel in villa Gethsemane absconderet.

comprehensione Jesu seditionem in populo, qui tunc, occasione Paschatis, ingens erat Jerosolymis, et in quo haud pauci, praesertim ex Galilaea, Jesu favebant (cf. M. 26, 5), excitare facile potuisset : « Manus tanta, ait s. Aug. *in J.*, fuit congregata,... « ut vel terreret, vel etiam repugnaret, si quisquam Christum « defendere auderet. »

b/ Praeterea, cohorti illi se adjunxerant **ministri** quidam (gr. absque art.) synedristarum J. : hi certe erant qui *fustes, laternas* et *faces* portabant. De ministris istis Synedrii (germ. *Gerichtsdiener*) mentio fit J. 7, 32 sq. ; Act. 5, 21 ; cf. etiam M. 5, 25. Aderant etiam L. 22, 52 **magistratus Templi,** στρατηγοι του ἱερου, i. e. praefecti militiae templi, germ. *Befelshaber der Tempelwache*. Facile concipitur istos sese adjunxisse Synedristis in tali circumstantia. Non tamen aderant eorum milites, saltem de iis nulla fit mentio : certe milites isti Judaei non erant ad rem, quum adessent milites Romani. De hac militia templi, quae sacerdotalis seu levitica erat, cf. *Comm.* nostr. in Act. 4, 1.

c/ Praesentes etiam erant nonnulli **principes sacerdotum et Seniores,** L. 22, 52. Quinam intelligantur per *principes sacerdotum*, ἀρχιερεις dicam q. 1029. Nulla autem subest ratio, quare de praesentia istorum, ubi res ipsis tam gravis agebatur, dubitemus : contra *De Wette, 4e *Aufl.*

Jam vero, omnes illi missi fuerant *(missi* non est in Scriptura primigenia, sed Vulg. sensum recte exprimit addendo vocem) a Synedrii judicibus, seu, ut aiunt M. et Mc., *a principibus sacerdotum et Scribis et Senioribus* (J. nominat praeterea *Pharisaeos*). Igitur, magistratus isti a Pilato Procuratore obtinuerant ut cohors Romana eo mitteretur, quod apte notat s. Aug. *in J.*

3° Sed jam contemplemur quid evenerit quando Judas stetit coram Jesu. Proh Deus ! quale spectaculum ! Judas contra Jesum, et Jesus contra Judam ! Quid igitur fecit uterque ?

M. v. **49.** Proditor *confestim* (quasi sancto ardore motus) *accedens ad Jesum, dixit :* **Ave Rabbi,** *et osculatus est eum.* « Papae, exclamat « hic s. Chrys., quantum scelus proditoris animus suscepit ! « Quibus oculis tunc Magistrum aspexit ? Quo ore osculatus est « eum ? O sceleratam mentem ! Quid deliberavit ? quid ausus est ? « quod symbolum proditionis dedit ? » Ore osculatur, quem prodit

corde ; pacem et salutem ei apprecatur (dicens *Ave*, *χαιρε*, seu potius more Judaeorum *Pax tecum*), et simul infert mortem ; magistrum vocat, eo ipso momento quo Satanae ut domino adhaeret !

Scelus Judae ut penitus apprehendamus mente, nobis in memoriam revocemus quod 2 Reg. 20, 8 sq. narratur de Joab, qui, dum Amasam osculatur, dicens *Salve mi frater*, eum gladio confodit. Judam etiam cum Caino fratricida comparare possumus, ut fecit s. Hier. in *Comm.*

Pro **osculari** gr. in trib. Synopt. est verbum compositum *καταφιλειν*, quod proprie sign. *deosculari*, *multum* vel *ardenter osculari*, *inhaerere osculis* : ideo putant plures oscula repetita fuisse a proditore ; fortasse in hunc finem, ut turba Jesum melius agnosceret. Sed ut *Fischer et *Schleusner *(Lexic. n. T.)* notant, in N. T. verbum compositum *καταφιλειν* et verbum simplex *φιλειν* indiscriminatim adhibentur, pro osculo illo quo Judaei se mutuo salutare solebant : sic L., ubi de osculo Judae loquitur v. 48, dicit *φιληματι* in singulari. Hic autem usus forsitan provenit ex 70, qui נָשַׁק *naschak*, i. e. osculari, nunc per *φιλειν* Gen. 27, 26, nunc per *καταφιλειν* Ex. 4, 27 vertunt.

Utcumque se habeant ista, cum M. et Mc. notare oportet traditorem turbae, et certe praesertim militibus Romanis eorumque duci, quippe quibus Jesus facie ignotus esset, signum dedisse antea (*dedit* M., eo momento quo accessit, vel *dedit* pro *dederat* ut ait Mc.), dicens : *Quemcumque osculatus fuero, ipse est; tenete eum* (*κρατησατε*, apprehendite). Addit Mc. *et ducite* abducite *eum caute* (*ασφαλως*), i. e. bene eum custodientes, ne forte e manibus vestris elabatur. Noverat quippe iste Apostolus Jesum e manibus Judaeorum jam pluries evasisse : cf. L. 4, 30 ; J. 8, 59 ; 10, 39.

Judas fidem amiserat. Certe de Jesu omnipotentia dubitasse videtur : neque enim vere in eum credebat (vide q. 645), sed, teste s. Hier., miracula ejus magicis artibus tribuebat. Ubi deficit fides, mox plena sequitur perversio ; sicut fides, cum vere adest, radix est justitiae et sanctitatis.

4° **Quid** igitur **Jesus ?** Numquid miserum et ingratum illum discipulum, propter inauditum scelus justa terribilissimaque affi-

ciet poena, aut fulmine de coelo eum percellet et prosternet? Num terra dehiscente vivum sepeliet in voragine ima? Absit! Venit vocare peccatores, et neminem umquam a se repulit, quantumvis malum planeque scelestum. Ergo quid fecit? Primum quidem, osculantem non rejecit aut prohibuit, sed « Ejus osculum admisit (s. Chrys.). » Quare autem ita se gessit? a/ Ut cor miseri illius leniret et compungeret, seu, teste s. Ambr., « Ut plus afficeret « proditorem, cui amoris officia non negaret; » b/ « Ut docere- « mur, ait s. Hil., inimicos omnes diligere. » Osculum tamen non reddidit, ne execrabile proditoris facinus probare videretur.

Post acceptum autem acerbissimum osculum, non tamen redditum (quo sensu intelligi debent verba Off. eccl. in Coena Dom. *Non negavit Judae osculum*), eum arguit, hisce verbis v. **50**: **Amice, ad quid venisti,** τι παρει, proprie *ad quid ades?* M.: innuit mentem ejus sibi notam esse, atque ingratum ejus animum reprehendit, cum ait *Amice*. Sunt qui putent hanc compellationem blando sensu sumi (1), mentemque Jesu esse ut miseri istius conscientiam tangat, eumque ad poenitentiam provocet.

Deinde, cum videat eum hac benevolentia non moveri, durius eum alloquitur, et pudorem ei incutit, quod non aperte rem suam peragat; ideoque adjungit, cum sancta quadam indignatione: **Juda, osculo Filium hominis tradis!** Nota quatuor verba: Tu, *Juda*, Apostolus meus, *tradis*, inimicis infensissimis permittis, ad tormenta mortemque tradis, et *osculo* quidem, testimonium amicitiae et dilectionis adhibens in signum proditionis pessimae! Et, quem ita afficis injuria maxima, *Filius hominis* est! Nihil sane significantius aut dici aut cogitari potest. Hoc igitur sibi vult Salvator: « Non te pudet tali proditionis modo uti? (s. Chrys.) ». Recogita quantum sit scelus! Quid ergo? Haeccine est audacia tua, ut illud perpetrare non timeas?

Quam **amarum,** quamque molestum cordi Jesu fuerit istud

---

(1) **Amice.** Graecum εταιρε, proprie *socius*, potest sumi in bonam partem, tamquam blanda compellatio: notum enim est, apud Graecos morem viguisse ut magistri illa voce discipulos suos salutarent. Sic Pseudo-Bern. (*Vitis mystica* seu *Tract. de Pass.*) vocem interpretatur: « Veteris « amicitiae non immemor, ait, illum commonuisti dicens *Amice ad quid venisti?* » Potest etiam sensu parum amoeno intelligi, quemadmodum M. 20, 13 *Amice, non facio tibi injuriam;* pariter M. 22, 12: quo fere sensu Latini dicunt *mi homo,* vel *bone vir*, nos vero flandr. *vriendje*, gall. *mon ami* ou *l'ami*, germ. *Kamerad.*

mentitae pacis **osculum,** possumus colligere, tum ex J. 13, 21 *Jesus turbatus est spiritu, et protestatus est et dixit : Amen, amen, dico vobis : Quia unus ex vobis tradet me !* Tum etiam ex Ps. 54, 13-15 (quae quidem verba in sensu typico ad Judam referri debent): *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique ; et, si is qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem me forsitan ab eo. Tu vero, homo unanimis, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos...! In domo Dei ambulavimus cum consensu...,* atque nunc infensissimis me tradis inimicis ! (Videsis magnum *Comm.* nostr. *in Psalm.* ed. 3ª 1886.

Admirabile sane *mansuetudinis* et patientiae exemplum dedit Salvator noster.

5° Sed verbis ejus, ex amore simul et reprehensione prolatis, nihil respondit proditor : cor ejus, quod ab una parte erat fide in Christum destitutum, et ab altera parte auri sacra fame aestuabat sordidaque erat depravatum avaritia, durum mansit et contumax : cf. supra ad M. 26, 14 sq.

Auri sacra fames.

Experientia quotidiana docet, homines, qui nummos multum attrectant et versant, plerumque duros fieri omnisque humanitatis expertes, quasi *viros siliceos*, ut ait Seneca. « **Avaritia,** inquit « s. Chrys., ad extremam immanitatem crudelitatemque illum « exercitavit. Neque illum modo, sed etiam omnes qui tali morbo « capti sunt. » S. Leo *De pass.* 9 : « Amori pecuniae vilis est omnis « affectio, et anima lucri cupida etiam pro exiguo perire non « metuit ; nullumque est in illo corde justitiae vestigium, in quo « sibi **avaritia** fecit habitaculum. »

Obiter nota contra avaritiam saepe recitari haec Eccl. 10, 9 *Avaro nihil est scelestius... ; hic enim et animam suam venalem habet.* Sed verba ista incertae fidei sunt, cum desint in graeco et contextam disrumpant orationem.

Ceterum, mirum non est tam pravos esse **avaritiae** effectus : *Radix enim omnium malorum*, ait 1 Tim. 6, 10, *est cupiditas* seu pecuniae amor. Quae cum ita sint, **avaritiam** diligenter fugiamus : non enim possumus *Deo servire*, si *Mammonae* adhaerere velimus. Cf. supra M. 6, 19 sqq.

Non obliviscamur Judam non habuisse fidem, ut statim animadvertimus, imo diu antea jam fidem amisisse, ut ostendimus ad M. 26, 14 : atqui notum est emendationem sperari non posse ubi fides est extincta.

Ut dicta contrahamus paucisque repetamus, sequentem addimus quaestionem :

* **Q. 718.** Ex iis quae Judas et Jesus ad invicem fecisse aut dixisse leguntur, in horto Oliv., ostende hinc quidem inauditam Judae malitiam, illinc vero incredibilem Jesu benignitatem.

P. II. Ego sum ! Turba prosternitur.

Praeced. vide post q. 716.

J. 18, 4. Jesus itaque sciens omnia, quae ventura erant super eum, processit et dixit eis : Quem quaeritis ? 5 Responderunt ei : Jesum Nazarenum. Dicit eis Jesus : Ego sum. Stabat autem et Judas, qui tradebat eum, cum ipsis. 6 Ut ergo dixit eis : Ego sum : abierunt retrorsum, et ceciderunt in terram. 7 Iterum ergo interrogavit eos : Quem quaeritis ? Illi autem dixerunt : Jesum Nazarenum. 8 Respondit Jesus : Dixi vobis, quia ego sum : si ergo me quaeritis, sinite hos abire. 9 Ut impleretur sermo, quem dixit : Quia quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam. 10 Simon ergo Petrus etc. *Post q. 722.*

In praecedentibus vidimus quemadmodum Judas opus suum scelestissimum peregerit : nunc jam dicendum de iis quae ad milites et ministros pertinent. Imprimis de istis in terram prostratis. Solus J. haec refert, eaque in duplicem finem addit, tum ut aliorum compleat narrationem, tum etiam ut Jesu omnipotentiam, adeoque ejus divinitatem, ostendat, simulque confirmet eumdem sponte subiisse passionem suam.

Notatu digna sunt verba v. 5 *Stabat autem et Judas* etc. Obiter indicatur quam immane quamque detestabile sit istius facinus : stabat cum inimicis Jesu, magistri sui ! E regione stabant Apostoli, retro Jesum : Judas non est amplius de numero eorum. Elegit sibi locum reproborum, eumque in aeternum servabit !

« Animadverte, ait s. Chrys. *in J.*, Evangelistae moderationem, « quomodo non maledicat proditori, sed rem gestam narret. » **Sine ira aut studio** scribit, quod apertum est veracitatis indicium.

Q. 719. Quid factum est post osculum Judae, usquedum in Jesum irruerent inimici ejus?

R. Judas, simul atque Jesum amplexus fuerat, recessit ad turbam, et tunc, ut opinatur s. Aug. *De cons. Ev.* 3, 5, contigit quod J. narrat de inimicis in terram prostratis.

Rationalistae confutati. Contendit *De Wette (*Handb. 5e Aufl.*), narrationem Joannis, qui dicit Jesum processisse ad turbam atque ab ea agnitum non fuisse, conciliari non posse cum iis quae Synoptici de osculo Judae referant. Sed difficultas evanescit, si admittamus turbam fuisse quasi obstupefactam et habuisse oculos perstrictos, adeo ut staret immota. Haud improbabile est eam ἀορασίᾳ seu caecitate per miraculum perculsam fuisse, sicut olim Sodomitae Gen. 19, 11, et sicut Nazarethani L. 4, 30. Ita s. Chrys. *in Joan.:* « Viden', ait, insuperabilem potentiam, quomodo in « medio consistens ipsos excaecaverit? » Et s. Cyr. Al.: « Po- « testas ergo divina, inquit, qui quamvis se quaerentibus offerret, « minime tamen cognoscebatur. »

Turba prostrata per miraculum.

Ideo Jesus, admirabili ductus animi firmitate, *processit* ad eos, *et dixit eis: Quem quaeritis?* Cum autem respondissent se Jesum Nazarenum quaerere, dixit eis: *Ego sum*, et eodem momento *abierunt retrorsum et ceciderunt in terram:* igitur, ad solam vocem Jesu dicentis **Ego sum,** isti terrore supernaturali, quasi quodam fulmineo ictu, ut ait s. Leo mox citandus, perculsi et prostrati sunt. Certe retro, non in faciem, ceciderunt, ut manifestius esset eos per Jesum dejectos esse. S. Leo *Serm.* 1 *de Pass.*: « Verbum « *Ego sum*, ait, illam manum, ita ex ferocissimis congregatam, « quasi quodam fulmineo ictu stravit atque perculit, ut omnes illi « atroces, minaces atque terribiles retroacti corruerent.... Quid « jam poterit majestas ejus judicatura, cujus hoc potuit humilitas « judicanda? » S. Aug. *in J.* 18, 6: « Ubi nunc, exclamat, militum « cohors et ministri principum ac Pharisaeorum? Ubi terror et « munimen armorum? Nempe una vox dicentis *Ego sum* tantam « turbam, odiis ferocem armisque terribilem, sine telo ullo per- « cussit, repulit, stravit. Deus enim latebat in carne. » Addimus

haec s. Cyr. *in Joan.:* « Imago, inquit, casus ille fuit omnium qui « Christo adversantur, quibus omnino terribilis casus imminet. »

Igitur, cum ss. Patribus **miraculum** hic omnino admittimus : neque ulla probabilitas est sententiae illorum, qui, ex θαυματοφοβῳ, contendunt turbam metu et veneratione commotam, ob majestatem Jesu subito accedentis, in terram se projecisse, vel naturali affectu collapsam fuisse. Isti quidem interpretes exempla invocant Antonii (Val. Max. 8, 9, 2) et Marii (Vell. Paterc. 2, 19, 3) etc., coram quibus sicarii trementes et immoti steterunt; sed quod in horto Oliv. contigit, longe majus fuit : non unus alterve perculsus fuit, sed universa caterva ; haec vero non tremuit tantum et immota stetit, sed *abiit retrorsum et cecidit in terram ;* dein, non solum erant Judaei, sed multi etiam aderant Romani milites (Evangelista enim loquitur modo generali), qui Salvatorem non cognoscebant. Obiter nota explicationem istam, causis naturalibus nixam (gall. *provenant du naturalisme biblique*), ab ipsomet Straussio fuisse strenue confutatam.

Postquam surrexissent, Jesus iterum se notum fecit, cum ait : *Dixi vobis quia ego sum* J., his verbis eorum imbecillitatem tacite significans, eamque quasi exprobrans ; simul etiam eos admonens de divina sua potentia.

Tunc demum permisit ut ad se accederent manusque sibi injicerent ; sed eos a comprehendendis Apostolis prohibuit, dicens **Sinite hos abire ;** et, ut ex serie narrationis colligitur, ei obtemperarunt inimici, cum Apostolos fugientes (quod postea accidit) insectati non fuerint. Certe utrumque admiratione dignum est, et captivum ausum fuisse jussum dare comprehendentibus, et hos tam facile illi paruisse : imo s. Chrys. miraculum putat, ut infra dicemus.

Ceterum Jesus Apostolorum saluti providit, J. *ut impleretur sermo quem antea dixit: Quia quos dedisti mihi,* o Pater, **non perdidi** *ex eis* **quemquam.** Evangelista respicit ad haec Christi post Coenam precantis verba J. 17, 12 : *Quos dedisti mihi custodivi ; et nemo ex eis periit, nisi filius perditionis,* sc. Judas proditor. Verum quidem est, illud de conservatione *spirituali,* atque animae salute directe dictum fuisse ; sed animae bonum cogitatur hic conjunctum cum incolumitate *corporali,* seu cum vitae adversus pericula tuitione,

ut patet ex sorte Judae, qui spiritualiter et simul corporaliter periit. Ideo etiam, cum Jesus Apostolos e manibus Judaeorum in horto liberavit, e tentatione gravi et forsitan e peccatis, quibus expositi fuissent, eos simul eripuit : inspecta enim eorum infirmitate, facile huc adducti fuissent, ut magistrum suum negassent atque ejurassent.

Jesus, o quam bonus ! Juvat praeclaram benignamque agendi rationem Salvatoris nostri adnotasse, qui suimetipsius suique periculi immemor, de salute suorum totus est sollicitus : talis est enim *pastor bonus*, qui de grege magis quam de se cogitat.

Sed haec quidem hactenus. Sequuntur jam quaestiones quaedam generales, pro alumnorum exercitatione adjectae.

*__Q. 720.__ Quibus modis ostendit Jesus, in horto Oliv., sese **volentem** omniumque rerum conscium comprehendi et ligari ?

R. Multiplici omnino ratione id ostendit. Et 1° quidem, cum illuc se conferret, quo venturos sciebat qui eum caperent. 2° Cum eisdem obviam progressus, se ipse indicavit dicens *Ego sum*. 3° Cum inimicos in terram prostravit omnes. 4° Quando effecit ut Apostoli fugere possent incolumes. 5° Sanando per miraculum auriculam Malchi a Petro abscissam : quo facto demonstravit se potentia divina, cui nemo resistere potuisset, si in hostes eam exserere voluisset, praeditum esse. Tandem 6° dicendo se non velle defendi, neque armis (*sinite usque huc*, inquit, postquam Petrus servum summi Pontificis gladio percusserat), neque Angelorum ministerio : *An putas*, ait, *quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum ?*

*__Q. 721.__ Quomodo Christus, in horto Olivarum, sollicitudinem vere paternam erga Apostolos ostendit ?

R. 1° Ante inimicorum adventum, eos ad vigilantiam et orationem ter adhortatus est, tum verbis, quum exemplis.

2° In ipsa comprehensione sua, multiplici argumento significavit se in manus Judaeorum sponte et libere cecidisse, adeoque Apostolis perfecte demonstravit se omniscium esse et omnipotentem (vide q. praeced.) : qua ratione eos in fide confirmavit.

3° Postquam captus fuerat, curavit ut Apostoli salvi et illaesi aufugere possent, quod per miraculum factum fuisse opinantur quidam : cf. 727.

*__Q. 722.__ Quaestio generalis obiter inserta. Quid in Evang. narratur **de s. Petro in horto Gethsemane ?**

R. 1° Facultatem obtinuit in hortum cum Jesu aliisque duobus Apostolis progrediendi, dum ceteri ad introitum manere debuerunt. 2° Ipsi, sicut Jacobo et Joanni, innotuit summa magistri tristitia (*Tristis est anima mea usque* etc.), et admonitus fuit ut simul cum eo vigilaret. 3° Speciali modo et nominatim objurgatus fuit : *Simon, dormis ?* praeterea suas habuit partes in generali reprehensione qua Christus Apostolos dormientes arguit. 4° Vidit, sicut ceteri, osculum Judae et miraculum turbae in terram dejectae. 5° Quando hostes irruerunt in Jesum eumque apprehenderunt, auriculam Malchi gladio abscidit. 6° Sed Jesus, sanato

vulnere, dixit ei : *Mitte gladium tuum in vaginam : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt* etc. Paulo post 7° fugit cum ceteris Apostolis.

De 5° et 6° facto dedita opera nunc disputabimus.

P. III. Apostoli Jesum armis defendere volunt : auris abscissa, et, post reprehensum Petrum, sanata.

a. Si percutimus gladio ? Petrus Malchum vulnerat.

Praeced. vide ante q. 717.

M. 26, 50... Tunc accesserunt, et manus injecerunt in Jesum, et tenuerunt eum. 51 Et ecce unus ex his, qui erant cum Jesu, extendens manum, exemit gladium suum, et percutiens, servum principis sacerdotum amputavit auriculam ejus. 52 Tunc ait etc.

Praeced. ante q. 717.

L. 22, 49. Videntes autem hi, qui circa ipsum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, si percutimus in gladio ? 50 Percussit unus ex illis servum principis sacerdotum, et amputavit auriculam ejus dexteram.

Praeced. ante q. 717.

Mc. 14, 46 At illi manus injecerunt in eum, et tenuerunt eum. 47 Unus autem quidam de circumstantibus educens gladium, percussit servum summi sacerdotis : et amputavit illi auriculam. 48 Et respondens Jesus etc. *post q. 729*

Praeced. post q. 718.

J. 18, 10. Simon ergo Petrus habens gladium eduxit eum, et percussit servum pontificis : et abscidit auriculam ejus dexteram. Erat autem nomen servo Malchus. 11 Dixit ergo etc.

b. Jesus cohibet Apostolos.

L. 22, 51. Respondens autem Jesus, ait: Sinite usque huc. Et cum etc.

c. Petrum singulariter arguit.

M. 26, 52. Tunc ait illi Jesus: Converte gladium tuum in locum suum : omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. 53 An putas, quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones angelorum ? 54 Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri ? 55 In illa hora etc. *Post q. 729.*

J. 18, 11. Dixit ergo Jesus Petro : Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ? 12 Cohors ergo etc. *post q. 731.*

d. Aurem sanat.

L. 22, 51... Et cum tetigisset auriculam ejus, sanavit eam. 52 Dixit etc. *post q. 729.*

Evangelistae inter se comparantur. Quatuor Evangelistae eadem narrant, cum his differentiis : M. solus refert Jesum dixisse a/ gladio perituros esse eos qui gladio hominem occidissent, b/ se

posse obtinere a Patre plus quam 12 legiones Angelorum, sed c/ eventu confirmandas esse Scripturas quae praedixerant sic fieri oportere. Lucas vero solus loquitur de miraculo auriculae sanatae. Porro J. solus nomen dat percutientis, sc. Petri, et nomen percussi, nempe Malchi. Forsitan ideo Petrum nominat, quod post ejus mortem scriberet, et nomen, quod alii prae reverentia erga Apostolorum principem praetermiserant, supplendum duceret. Sunt qui censeant (Bisp.) nomen percutientis a Synopticis omissum fuisse, quod ipsi ante eversionem Jerosolymae Evang. vulgarint, et periculosum forte putaverint Petrum designare. Solus autem J. nomen Malchi tradit, quia solus eum cognovisse videtur, ut qui *notus* esset *Pontifici* (v. 16).

Rerum series. Vixdum Jesus dixerat *Sinite hos abire*, et permiserat ut turba irrueret, cum milites et ministri *accesserunt* ad ipsum M. v. **50,** *et manus* violentas in eum *injicientes* Mc., *tenuerunt* eum, proprie εκρατησαν, gall. *ils se saisirent de lui.* Rem sic cogita: *ils se jetèrent sur lui pour l'empoigner.* Animadvertendum enim est, Jesum vere et perfecte captum ligatumque fuisse postea: cf. annot. ante q. 732. Statim ut Apostoli vident eos in Jesum irruentes, exclamant L. *Domine, si percutimus gladio?* Et Petrus, semper promptus, responsum magistri haud exspectans, jam gladio utitur. Hac de re nunc inquirendum est.

Q. 723. 1° Quisnam ex Apostolis in horto Oliv. Jesum defendit, et quomodo? 2° Egitne laudabiliter?

R. ad 1m. M. v. **51** coll. aliis: Petrus *gladium suum exemit, et percutiens* **Malchum,** *servum principis sacerdotum, abscidit auriculam ejus dexteram.* Sed, ut notat L., antea *ii qui circa* Jesum *erant* dixerant (forsitan id ait ipsemet Petrus): *Domine, si percutimus gladio?* i. e. an vis, an permittis, ut gladio percutiamus? germ. *sollen wir dreinschlagen?* Obiter in memoriam nobis revocemus, Apostolos secum attulisse duos gladios, cf. L. 22, 38 (vide, supra, q. 695). Petrus autem, qui alterum gladiorum istorum (1) gestabat, nimio fervens ardore, ut solebat, responsum Jesu non exspectavit,

(1) **Verba sumenda ut jacent.** Sunt qui putent, cum s. Chrys. ut videtur, gladium Petri fuisse *cultrum* quo in comestione Agni Paschalis Apostoli usi sunt: sed nulla est ratio quare a sensu proprio et consueto vocis *gladius* recedamus, ideoque omnino tenemus fuisse verum *ensem*, quod demonstrat etiam A Lap.

sed gladio impetiit caput viri propinquioris, et (s. Leo *De Pass.* 1) ferocius instantis. Iste autem erat **Malchus,** *servus summi Pontificis*, sc. Caiphae (*τον δουλον* cum art. apud 4 Ev., *le domestique en chef*) : videtur fuisse caput et dux turbae illius; qua talis, ceteris audacior et Christo infestior erat, primusque manus in Jesum injicere cupiebat. Petrus autem videns istum irruentem, gladium in eum contorsit, et prae festinatione aurem abscidit, pro eo quod cervicem ipsius diffindere voluisset.

R. ad 2m. Certe **ex amore generoso** et forti erga Jesum id fecit, atque eatenus laude dignus erat. Sed videtur egisse simul **cum nimio animi ardore,** cum impetu indolis nimis vehementis (cujus quidem vitii alibi jam dederat signa) ; fortasse etiam subito irae immoderatae motu abreptus fuit ; saltem quamdam mentis levitatem et temeritatem admisit: nam statim antea viderat Jesum obviam inimicis pergentem, et, istis in terram prostratis, nolentem periculo se liberare ; ex quo concludere potuisset, si debita considerantia usus fuisset, ipsum velle comprehendi. Ideo Salvator factum aliquousque improbat : « Noluit, ait s. Ambr., persecuto- « rum defendi vulnere, qui voluit suo vulnere omnes sanare. » Et Petrum alloquens J. *Mitte* (cito reconde), ait, *gladium tuum in vaginam* etc.

Prius tamen dixit L. *Sinite usque huc*, ex quo eruitur cum Mald., alios Apostolos, videntes Petrum tam animose tamque fortiter pro Christo pugnantem, ipsos quoque pro eodem voluisse certare ; quare prohibuit eos Salvator, dicens **Sinite usque huc,** *εατε εως τουτου*. Verba sunt satis obscura, quae probabilius Apostolis, non catervae, dicta sunt (ut colligitur ex verbo *respondens*) ad eos cohibendos. Sunt qui ea habeant ut duplicem jussionem : *εατε* supple *αυτους*, *sinite eos ; εως τουτου hucusque vos !* non ultra ferite ! vel *εατε* absolute, *desinite*, gall. *arrêtez*, *sufficit jam :* fl. *laat af, 't is daar mede genoeg*. Bisp. autem et Beelen sumunt tamquam unam phrasim : sinite eos usque huc, sinite ut procedant usque ad me capiendum. Pariter Mald. : *Laissez-les encore faire.*

Dein, Petrum alloquens, varias affert rationes quare sit reprehensione dignus. Has autem in seq. quaest. exponemus.

Q. 724. Quas Jesus adducit rationes, cum Petrum in horto Oliv. gladio percutientem reprehendit ?

R. Quatuor affert rationes sequentes :

a/ **Poena capitis contra homicidas** est statuta : M. v. **52** *Omnes qui acceperint gladium* (quaecumque arma ; *gladius*, species pro genere) et hominem interfecerint, puta, absque legitima potestate, *gladio peribunt,* extremo supplicio afficiendi sunt (1). Dictum illud videtur usurpatum fuisse tamquam proverbium, quo significabatur generatim quod ait Sap. 11, 17 *Per quae peccat quis, per haec et torquetur :* cf. etiam Apoc. 13, 10. Certe illud effatum nitebatur Gen. 9, 6 *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius.* Petrus, percutiendo caput Malchi, eum occidere potuisset, et haec erat sane mens ejus ; non autem excusabatur per *moderamen inculpatae tutelae,* quia aderat Dominus qui omne periculum abigere facile poterat ; deinde, vis hic adhibita a culpa non eximebatur per legem caritatis, quae jubet alterum ab injusta occisione defendere, quum Jesus ob rationes ipsi cognitas mortem subire vellet.

b/ Sed, quum forte Petrus putaret excusationes illas sibi favere, aliam rationem adducit Jesus, qua primam confirmet : nempe **inutile** esse **omne auxilium humanum. 53** *An putas,* inquit, *quia non possum rogare Patrem meum, et exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum ?* (2) Si vellem me defendere, non indigerem auxilio tuo, aut quovis auxilio humano ; millia Angelorum mihi adstarent : sed resistere nolo, quia (infra c/) decretum Patris, et (infra d/) Scripturae implenda sunt.

Numerus *duodecim* quum respondeat numero tribuum in populo Israel, et certe ideo electus fuerit pro collegio Apostolorum, saepissime usurpatur in Scriptura veteris et novi Test. ad indicandum populum *universum :* sic Lev. 24, 5 *duodecim panes propositionis* sign. oblationem universi populi ; sic M. 19, 28 *sedes duodecim* ponuntur pro 12 Apostolis tamquam judicibus universi mundi. Hic vero *totalitatem* Angelorum non designat, sed infinitam multitudinem, forte cum allusione quadam ad numerum eorum qui poterant se hostibus opponere, sc. ad Jesum cum 11 Apostolis.

---

(1) Illam Christi sententiam poenam capitis abolentibus vehementer repugnare nemo non videt.

(2) « Si, ait s. Chrys., unus angelus 185,000 hominum armatorum occidit (4 Reg. 19, 35), an duodecim legiones oportebat contra mille homines ? Non utique. » Obiter animadverte *mille* certe non adfuisse : sufficiet partem eorum dimidiam posuisse : cf. q. 717, 20.

Legio, quae apud Romanos in 10 cohortes divisa erat, non semper eamdem militum copiam habuit (cf. Lips. *De mil. Rom.*) : tempore Christi jam aucta erat usque ad 6,000 virorum et amplius.

Servator hoc sibi vult : Si non rogem illud, nonne signum est mentem mihi non esse ut a quopiam defendar ? Certe Angelorum auxilio non indigebat ; quare, ut observat Orig., secundum Petri existimationem ita loquitur.

c/ Sed, etiamsi Jesus aliam non haberet defensionem quam Apostolorum auxilium, non tamen Petrus eum armis tueri debuisset, namque obstabat (et haec est 3ª improbationis causa) **decretum Dei Patris** de cruciatibus et morte sufferendis : *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum ?* J. Haec verba nobis in memoriam revocant quae dixit Jesus in agonia de *calice* quem bibere voluit juxta Patris voluntatem.

d/ Tandem, ut Petrus nulla ratione dubitare possit de illo Patris decreto, Jesus 4ᵐ addit argumentum, sc. **Scripturas,** quae acerbissima Christi tormenta praedixerunt, quaeque proinde illud Dei decretum testantur, necessario **perficiendas esse. 54** *Quomodo ergo*, pergit, *implebuntur Scripturae* (v. gr. Is. 53, 12 ; Ps. 21, 18 ; Dan. 9, 26), quae aperte et diserte dicunt *quia sic oportet fieri ?*

Q. 725. Apte notat A Lap., Judaeos a peccato non excusari propterea quod Scripturae oracula actu suo confirmarunt. Ideo s. Leo *Sermo 1 de Pass.* : « Nihil, ait, vobis gratiae, o Judaei, nihil « tibi, o Juda, debemus. Salvationi quidem nostrae, non hoc « vobis volentibus, impietas vestra servivit, et per vos factum est « quidquid manus Dei et consilium decreverunt fieri. Mors igitur « nos liberat, vos accusat ; merito soli non habetis quod omnibus « perire voluistis. »

Q. 726. Post objurgatum Petrum, ut videtur (confer statim dicenda), Jesus Malchi **auriculam sanat** per miraculum : quod, teste s. Chrys. *in Joan.*, in duplicem facit finem : « Ut doceat « etiam laedentibus beneficia impendi oportere, et ut virtutem « suam revelet. » Igitur doctrinam de dilectione erga inimicos, M. 5, 43 sq., tunc suo comprobavit exemplo.

Hac usi opportunitate generalem addimus observationem, Jesum patientem et morientem per *res gestas* et *actiones* docuisse illud ipsum quod in reliquo Evang. per *praecepta* et *consilia* tradidit

atque animis nostris inculcavit : *La Passion est* **la morale de l'Évangile mise en action.**

Occasione hujus miraculi quaest. adjungimus generalem.

Miracula in horto Olivarum.

***Q. 727.** Miracula, quae fecit Jesus in horto vel prope hortum Gethsemane, narra, certa ab incertis secernens.

R. 1° **Inimicos** uno verbo **in terram prostravit :** cf. supra q. 719.

2° **Aurem** Malchi solo tactu **sanavit** et restituit. Auris autem ista a Petro *amputata* fuerat (αφειλεν M , Mc., L.) seu *abscissa* (απεκοψεν J.), sed adhuc pendebat per pelliculam, siquidem Jesus tetigit eam ut eam curaret et restitueret.

Petitur autem quandonam miraculum illud peractum fuerit. Certe postquam Christus Apostolos, qui vi resistere volebant, cohibuerat dicens *Sinite usque huc* ; sed utrum praecesserit etiam Petri reprehensio (de qua q. 724), non plane constat : hoc tamen probabilius videtur.

Praeter illa duo, multi 3^m^ admittunt **miraculum** in hoc quod turba Jesum non agnoverit, quamvis hic per osculum Judae satis fuisset notatus : putant enim inimicos *aorasiâ* perculsos fuisse (cf. q. 719). Imo vero, A Lap. censet 4^m^ contigisse **miraculum,** quando Jesus effecit ut Judaei in neminem ex discipulis, ne in Petrum quidem gladium vibrantem auremque secantem, manus injicerent. Idem sentire videtur s. Chrys. *in Joan.* : « Quis, ait, detinuit Judaeos (ne discipulos com- « prehenderent)? Non aliud quam ipsa vis quae illos supinos prostravit. » Cf. etiam s. Aug., *tr. 112 in Joan.*

Obiter nota Judaeorum malitiam et pervicaciam, quippe qui tot miraculis commoti minime fuerint.

Duae aliae quest. generales.

Petitio, quam fecerunt Apostoli, ut vi et armis adversarios Jesu ulciscerentur, aliud quoddam factum, quod similitudinem habet cum iis quae hic narrantur, in memoriam nobis revocat. Ideo ponimus seq. quaest. :

***Q. 728.** Duos indica casus, in quibus Apostoli a Jesu petierunt ut vis adversariis ejus inferretur.

R. 1° Quando Jesus a Samaritanis repulsus fuit, Jacobus et Joannes rogaverunt ut ignis de coelo in eos descenderet : L. 9, 52-56. 2° Apostoli in villa Gethsemane, cum turbam armatam irruentem viderent, dixerunt *Domine, si percutimus in gladio?* L. 22, 49.

***Q. 729.** Ex *verbis* (1) Christi in horto Oliv. demonstra ipsum sua **sponte** et voluntate passum fuisse.

R. Hoc certo demonstratur 1° ex eo quod dixit, quando obviam ivit inimicis suis, *Ego sum.* Confirmatur 2° omnibus rationibus quas adduxit ut Petrum reprehenderet, postquam hic gladio percusserat Malchum : vide q. 724. 3° Iis quae ad *turbam,* et praesertim ad *principes sacerdotum et magistratus Templi et Seniores,* locutus est : *Tamquam ad latronem* etc. Vide statim tractanda.

---

(1) Supra jam, q. 720, idem ostendi, non ex *verbis* solum, sed ex universa ejus agendi ratione in horto.

P. IV. Exprobratio Christi in Judaeos.

Praeced. vide ante q. 723.

M. 26, 55. In illa hora dixit Jesus turbis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et fustibus comprehendere me: quotidie apud vos sedebam docens in templo, et non me tenuistis. 56 Hoc autem totum factum est, ut adimplerentur Scripturae prophetarum. Tunc discipuli etc. *post q. 731.*

Praeced. ante q. 723.

Mc. 14, 48. Et respondens Jesus, ait illis: Tamquam ad latronem existis cum gladiis et lignis comprehendere me? 49 Quotidie eram apud vos in templo docens, et non me tenuistis. Sed ut impleantur Scripturae. 50 Tunc discipuli etc.

Praeced. ante q. 723.

L. 22, 52. Dixit autem Jesus ad eos, qui venerant ad se, principes sacerdotum, et magistratus templi, et seniores: Quasi ad latronem existis cum gladiis et fustibus? 53 Cum quotidie vobiscum fuerim in templo, non extendistis manus in me: sed haec est hora vestra, et potestas tenebrarum. 54 Comprehendentes etc. *post q. 731.*

J. nihil habet hac de re. Solus L. mentionem facit de verbis Jesu *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum.*

Q. 730. Quare ista exprobratio? Postquam Jesus Petrum reprehendit verbis plurimis, et etiam facto (aliquo sensu) cum aurem abscissam restituit: nunc se convertens ad *turbas* M., puta non tam ad milites Romanos, quam ad Judaeos, et praesertim ad principes et duces populi *(principes sacerdotum, et magistratus templi, et Seniores*, L.), verba facit ad eos, suo quasi commodo et a nemine impeditus, in hunc finem ut eorum agendi rationem arguat, utque ostendat nihil praeter aut contra voluntatem suam fieri aut factum esse. Atque adeo se suamque auctoritatem indirecte defendit. Etenim, pati quidem et mori vult, sed non vult ut suae dignitas personae ignoretur vel oppugnetur.

Q. 730bis. Quid Jesus per modum exprobationis dixit Judaeis qui eum in horto comprehendere venerant?

R. Ad tria capita reduci potest sermo Christi:

1° V. **55**. Exprobrat eis quod ad se veniant *quasi ad latronem, cum gladiis et fustibus,* ut comprehendant ipsum, quum tamen nullam umquam injuriam cuivis intulisset, et vir esset mansuetissimus.

2° Toties, ait, habuistis occasionem me comprehendendi in clara luce diei: *Quotidie apud vos sedebam docens in Templo* (in porticu atrii Israelitarum, quod est atrium interius), *et non me tenuistis,* seu *non extendistis manus in me,* quia nondum aderat

tempus mortis meae, quia nondum mori volebam. *L. Sed haec est* **hora vestra**, nunc istud facere vobis permissum est a Deo, i. e. venit jam hora a Patre statuta, in qua vobis traderer, et in qua vos possetis exequi consilia vestra contra me (*hora vestra*); *et* potestas, quam nunc exeritis, **potestas** est **tenebrarum**, potestas inferni, potestas satanae (Col. 1, 13), cujus quidem ministri estis. De cetero, verissimum est numquam, in universa mundi historia, daemonum potestatem majore cum vi et astutia intervenisse, quam in Passione Domini.

Vim autem totius sententiae multum debilitant qui post Theophyl. illam explicant de *tenebris noctis*, quasi istae Judaeis faverent, propterea quod scelus suum aperte perpetrare non ausi fuissent (quia timebant turbas, s. Chrys.). Habetur solummodo tacita quaedam verborum agnominatio de tempore nocturno, quod ad prava sua consilia perficienda isti apte elegerant.

3° Sed per hoc scelus vestrum vos ipsimet condemnatis, mihi autem nihil nocetis ; contra, per illud ipsum populo demonstratis me verum esse Messiam ; etenim Scripturae sacrae praedixerunt fore ut Messias talia a vobis pateretur. Igitur, **56** *hoc totum factum est ut adimplerentur Scripturae Prophetarum.*

Sunt qui putent (Beel. etc.) haec ultima M. verba non Jesu sed Evangelistae adscribenda esse : forsitan res ita se habet apud M. ; sed omnino dicendum videtur, cum s. Chrys., eadem a Jesu pronuntiata fuisse, ut patet ex Marco. De cetero Christi sermonem optime concludunt.

***Q. 731.** Explica Christi verba ad inimicos suos : *Haec est hora vestra et potestas tenebrarum* : addendo in quibus rerum adjunctis prolata fuerint. — Resp. ex q. praec. collige.

P. V. Jesus ligatur, fugiuntque Apostoli. Juvenis nudus.

a. Jesus captus et ligatus.

Praeced. vide ante q. 730.

L. 22, 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum etc. *Ante q. 739.*

Praeced. ante q. 723.

J. 18, 12. Cohors ergo, et tribunus et ministri Judaeorum comprehenderunt Jesum, et ligaverunt eum : 13 et adduxerunt etc. *Ante q. 737.*

b. Apostoli fugiunt.

Praeced. vide ante q. 730.

M. 26, 56... Tunc discipuli omnes, relicto eo, fugerunt. 57 At illi tenentes Jesum, duxerunt etc. *Ante q. 739.*

Praeced. ante q. 730.

Mc. 14, 50. Tunc discipuli ejus relinquentes eum, omnes fugerunt.

c. Juvenis nudus.

Mc. 14, 51. Adolescens autem quidam sequebatur eum amictus sindone super nudo: et tenuerunt eum. 52 At ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis. 53 Et adduxerunt Jesum ad etc. *Ante q. 739.*

Igitur L. et J. nihil dicunt de fuga Apostolorum. Solus Mc. de juvene illo loquitur.

Evangelistae inter se conciliantur. M. et Mc. supra jam (vide punct. III) dixerunt manus in Jesum injectas ipsumque captum fuisse: sed, vel in antecessum loquebantur de eo quod nunc tantum factum est; vel, quod verisimilius videtur, tunc jam quidam eum apprehenderunt; verum, cum Petrus gladio percuteret et accurrerent Apostoli clamantes, Jesum pusillum relaxarunt, aut saltem non statim ligaverunt; fortasse manibus eum tenebant, dum interea ipse exprobrationem, de qua supra, proferebat: qua absoluta, se demum eorum potestati tradidit. Tunc Apostoli, videntes rem esse prorsus desperatam, Jesumque vinculis ligatum (probabiliter *catenis duabus,* ut tribunus Romanus Paulum vinciri jussit, Act. 21, 33), fugam inierunt omnes. De hac autem fuga, et de aliis quae proxime secuta sunt, jam dicemus.

Q. 732. 1° Quid factum est de iis qui cum Christo erant in Gethsemane? Num inimici aliquem ex istis comprehenderunt? An et quomodo hic evasit? 2° Quem in finem Mc. historiam illam satis miram narrasse videtur?

R. ad 1m. M. v. **56** Apostoli, cum viderent Jesum se subjicientem *potestati tenebrarum,* et permittentem ut vinculis ligaretur, *relinquentes eum* **omnes fugerunt,** Mc. Quo se receperint incertum est: nonnullorum conjectura est Petrum et Joannem in speluncam quamdam, quae hodiedum ostenditur, confugisse; ceteros vero, ultra montem Oliveti Bethaniam petiisse, ut comprehensionem Jesu Lazaro sororibusque ejus narrarent.

In memoriam revocamus fugam eorum paulo ante a Jesu praedictam fuisse, supra M. 26, 31. Huc etiam spectat oraculum Ps. 21, 12 *Tribulatio proxima est :... non est qui adjuvet me.* Pariter (ut notat s. Hier. in comm.) Ps. 87, 9 *Longe fecisti notos meos a me : posuerunt me abominationem sibi.* Et ib. v. 19 *Elongasti a me amicum et proximum : et notos meos a miseria.*

Certe ignava istorum fuga haud mediocrem Jesu intulit tristitiam, atque amaritudinis calicem, de quo in horto Oliv. mentio fit, ad summum implevit labrum.

An fuga erat culpa gravis ? Nec miremur istam socordiam : « Nondum enim, ait Orig., erat eis Spiritus datus, quia Jesus non- « dum erat glorificatus [J. 7, 39]. » Apostoli, secundum A Lap., peccaverunt *venialiter*, quia ex nimio timore et ex diffidentia, sine jussu vel nutu Jesu diffugerunt. Aliquis tamen *nutus* erat in *sinite hos abire*, J. v. 8. Deinde perturbatio mentis potuit eis omnem deliberationem adimere, adeo ut *actus* esset *hominis*, potius quam *actus humanus*.

Factum satis mirum additur.

Adolescens autem quidam (εἷς τις νεανισκος, **juvenis quidam,** qui *unicus, solus* erat, quem nemo comitabatur : alii putant εἷς redundare, et sensum esse *quidam juvenis,* gall. *un certain jeune homme*), cum Apostoli fugerent, Jesum, qui a Judaeis abducebatur, *sequebatur amictus* περιβεβλημενος, circumdatus *sindone* (1) *super nudo ;* a militibus fuit comprehensus (*tenuerunt eum*, nempe, ut additur in lectione satis probabili, οἱ νεανισκοι *juvenes, milites*) : *at ille rejecta sindone, nudus profugit ab eis.*

Quisnam esset ille prorsus ignoramus : verisimile haudquaquam est fuisse Joannem Apostolum, ut censent Pseudo-Chrys. *Expos. in Ps. 13* (inter opera spuria), s. Ambr. *in Ps.* 36, n. 53,

(1) **Sindon**, secundum P. de Buck, *een slaaplaken, drap de lit,* linteum magnum absque ulla vestimenti forma ; cui quidem interpretationi favet sensus vocis apud M. Mc. et L., ubi refertur corpus Christi involutum fuisse in *sindone* pro sepelitione. Beelen autem vertit *een linnen kleed*, sc. *zijn slaapkleed*, sc indumentam levius, e lino subtilli, quo Orientales utebantur noctu (ita etiam Bisp.). Sensus eodem recidit, si admittamus indumentum illud fuisse praecise linteum magnum (*sindonem*), quo, ut fit in regionibus calidissimis, nudum corpus involvitur. Hac significatione adhibetur *sindon* Jud. 14, 12 ; Prov. 31, 24 ; Is. 3, 23. Ergo juvenis ille prorsus nudus aufugit. Sunt tamen qui supponant interulam sub linteo illo gestatam fuisse : quo casu vocem *nudus* sensu lato, ut explicatur infra, q. 978 et 854, sument.

s. Greg. *Mor.* 14, 23, et Ven. Beda *in Mc.;* namque statim praemisit Marcus *Discipuli.. omnes fugerunt.* Mera conjectura est opinio s. Epiph. *Hær.* 78, 13, fuisse Jacobum, fratrem Domini. Bisping opinatur fuisse ipsum **Marcum** Evangelistam, cujus matri domus erat Hierosolymis (Act. 12, 12), quique de se ipse in tertia persona modeste loquitur, ut Joan. in tali casu etiam facere solet. Forte ejus familia, quae Jesu jam addicta fuerit, praedium Gethsemane ut suum tenebat : quo posito, intelligitur quomodo factum sit ut Salvator tam libere uteretur horto illo, in quo saepe precibus noctu indulgebat. Alii (P. Patr. *in Mc.*) opinantur juvenem fuisse ignotum, qui in villa ista pernoctabat ut custos, quique tumultu excitatus e lecto prosilierat.

R. ad 2^m^. Utut ista sese habeant, Evangelista historiam narrat, vel ut eventum illum sibi proprium, quo valde commotus fuerat, obiter notum faciat ; vel, quod probabilius est, ut ostendat nonnisi ope divina salvos fugisse Apostolos, cum Judaeis constitutum esset, non Jesum tantum, sed et ejus discipulos, comprehendere.

Quamdam addere juvat quaestionem magis generalem quam q. 727 (ubi de miraculis *a Jesu* peractis), talem nempe quae recte pleneque solvi nequeat, nisi universa factorum series mente percurratur.

***Q. 733.** Quot et quaenam **miracula in horto** evenerunt? Ea secundum ordinem temporis indica, addendo certane sint an non.

R. Vide supra q. 727. Certo tria, probabilius quatuor, imo quinque secundum multos, et quidem sex secundum quosdam auctores, ibi evenerunt miracula. Nimirum 1° sudor sanguineus probabilius fuit miraculum, 2° certo fuit adventus angeli ; 3° multi censent idem dicendum esse de caecitate, quae turbae illata fuisset ut Jesus non agnosceretur. 4° Per miraculum utique eadem caterva prostrata, et 5° auricula sanata fuit. 6° Plures vident miraculum in eo quod Apostoli comprehensi non fuerint. Igitur « Quamvis, ait s. Leo *De Pass.* Serm. 1, ex infirmitate « nostra vere passus Dominus Jesus vereque sit mortuus, non tamen ita se absti- « nuit a gloria sua, ut inter contumelias passionis nihil divinae operationis « exerceret. »

Alia miracula, quae ad Christi patientis et morientis historiam referuntur, infra indicabimus : cf. q. 884, et q. 904.

SECUNDA PASSIONIS PARS, SEU 2ᵃ SACRI DRAMATIS ACTUS.

JESUS APUD CAIPHAM: 26, 57 — 27, 1.

Q. 734. Conspectus generalis. In 2° actu hujus sacratissimi dramatis novum spectaculum, longe grandius et splendidius quam in actu primo, pietati et miserationi nostrae, imo doctrinae et admirationi nostrae, exhibetur : Jesus tamquam reus sistitur ante Synedrium Magnum, summum illud potentissimumque populi Judaei tribunal ; vir justus et innocens in sanctuario justitiae causam agit ! Hoc autem spectaculum, quod solemnem et fere religiosum judicii apparatum offert, vehementer discrepat a scena praecedenti, quae tumultus, violentiae et armorum fuit tota. Rursum hic, ut in 1ª et 2ª scena, actioni principali secundaria quaedam *(une espèce d'épisode)* annectitur : in 1ª somnus Apostolorum, in 2ª Judae proditio, nunc vero Petri negationes.

Praemittitur quaestio quaedam generalis :

*Q. 735. Indica omnia loca ad quae ductus fuit Jesus, postquam in horto (vel prope hortum) villae Gethsemane captus fuerat.

R. Ductus fuit 1° ad Annam ; 2° ab Anna ad Caipham, Principem sacerdotum ; 3° a domo Caiphae ad Pilatum ; 4° a praetorio Pilati ad Herodem ; 5° a palatio Herodis iterum ad Pilatum ; tandem 6° inde ad locum supplicii, sc. Golgotha.

Obiter nota iter ab horto usque ad Caipham *Viam captivitatis*, a praetorio vero ad Calvariam *Viam dolorosam* hodiedum vocari.

Divisio hujus 2ⁱ actus.

Q. 736. Ostende 2ᵐ actum dramatis sacri (Jesus apud Caipham) apte dividi in tres scenas. — Resp. Jesus in horto dolose comprehensus, potestati inimicorum modo subjicitur. Quid jam fiet de ipso ? Ut supra vidimus, ad M. 26, 4, viri isti pessimi statuerant mortem ei inferre ; sed quum populum timerent, aperta vi et tumultuose ipsum occidere non audebant : nunc quidem occulte interficere possent ; sed facere nolunt, tum ob alias rationes, quum imprimis ut malam ei pariant famam (s. Chrys. *in M.* 26, 66), adeoque multitudinem quae eum admirabatur ab eo avertant : atque ideo rationem quamdam legalem, ast fraudulentam, in scelere perpe-

traiido adhibebunt. Ipsum publice coram tribunali criminis capitalis accusabunt, ut secundum leges supplicium supremum ipsi inferatur.

Certe eum in carcerem conjicient, usquedum mane facto eum ad tribunal Procuratoris Romani perducant, quippe qui causam decernere, judicio decretorio et irrevocabili, poenamque capitis reo irrogare, solus posset. Verum, astuti quum sint, consilium ineunt praevio judicio mentem Procuratoris ante occupare, sperantes fore ut judex latam sententiam approbet et actu perficiat : « Volunt, « ait s. Chrys. l. c., eum jam damnatum sistere, Pilatumque ad « sententiam ferendam inducere. » Quamobrem, Jesum coram Synedrio, ad quod causae graviores spectabant, statuent, et cito quidem, hac ipsissima nocte ; moram enim non patitur inexplebile illorum odium. Synedrium autem convocatum erat in domum Caiphae, summi sacerdotis : huc igitur captivum perducent. In transitu autem per aliquot momenta in via subsident apud Annam, ut quemdam huic deferant honorem.

Itaque, **1ª scena,** examen et judicium Jesu in domo Caiphae, coram Synedrio nocte habito, describet. Dum haec gerebantur in cubiculo superiore, quo tribunal convenerat, in atrio deorsum accidit factum quoddam secundarium, quod ad dramatis processum nonnisi indirecte pertinet : Petrus magistrum ter negavit : en **2m scenam.** Porro Jesus, post condemnationem, ignominiosissimis ministrorum contumeliis per reliquam noctis partem permittitur : haec materia erit **3ae scenae.**

Sed, antequam singulas exponamus scenas, quaedam rerum capita, per modum prooemii, tractanda sunt.

PUNCTUM PRAEVIUM.

Jesus ad Annam et dein ad Caipham ductus.

a/ Ad Annam.

Praeced. vide ante q. 732.

J. 18, 13. Et adduxerunt eum ad Annam primum, erat enim socer Caiphae, qui erat pontifex anni illius.
14 Erat autem Caiphas etc. *Vide ante q. 739.*

Q. 737. Annas, quem Fl. Josephus *Ananum* vocat, a Quirinio, Praeside Syriae, pontificatum maximum acceperat (Jos. *Ant.* 18,

2, 1), a. 7 aer. Dion.; verum ab ea dignitate motus fuerat jussu Procuratoris Valerii Grati (Jos. *Ant.* 18, 2, 2), a. 14 aer. Dion. Magnam tamen retinebat auctoritatem, eo vel magis quod mox post ipsum filius ejus Eleazar, et paulo post hunc Caiphas, gener Anani, munus summi sacerdotis obtinuissent. Iste Caiphas nunc, quo tempore Jesus passus est, Pontifex erat. Jos. *Ant* 20, 9, 1 refert quinque Anani filios supremo honore potitos fuisse; unde Annas hominum *felicissimus* habitus fuerit.

Joannes cum Synopticis conciliatur.

Q. 738. Secundum Synopticos, Jesus ab horto Olivarum ad *Caipham* ductus fuit: verum, secundum J. 18, 13 coll. v. 24, Judaei *adduxerunt eum ad Annam primum*, et deinde ad Caipham. Praeterea Synoptici tradunt examen et judicium Jesu facta fuisse *in domo Caiphae* et coram illo; triplicem autem Petri negationem in atrio ejusdem domus; J. vero asserere videtur Jesus examinatum judicatumque fuisse *in domo Annae*, saltem coram illo, atque in atrio ejusdem domus a Petro primum fuisse negatum. Quomodo Evangelistae inter se conciliantur?

R. Variae sunt auctorum sententiae, inter quas unam selegimus, quae ceteris probabilior nobis visa fuit, eamque solam dedita opera exponemus. Ei vero in decursu commentarii constanter adhaerebimus, in hunc praesertim finem, ut nulla rerum aut confusio aut incertitudo in mente lectorum oriatur. Si nostra cuiquam sententia minus placuerit, ad alios interpretes ipsum amandare liceat.

Itaque, **censemus Jesum** ab horto Oliv. **ad Annam**, qui olim fuerat Pontifex Magnus, quique *erat socer Caiphae*, summi Sacerdotis illius anni (1), ut ait J., et proinde maxima pollebat auctoritate, **primum perductum fuisse.** Ad hunc autem Judaei Jesum pertraxerunt, vel quia prope domum ejus transire debebant (s. Aug. *in J.* 18, 24), vel (s. Chrys. *in J.*) id fecerunt gloriantes,

---

(1) **Pontifex anni illius,** ait J., forsitan ut obiter notet miseram gentis Judaicae conditionem, apud quam ea aetate saepe mutabatur summus Sacerdos, quum tamen secundum legem dignitas illa debuisset usque ad vitae finem retineri: quod satis diu observatum fuisse testatur Jos. *Ant.* 20, 10. A temporibus autem Herodis M. saepe amoti fuerunt pontifices (Jos. ib.). Sic Eleazar et Simon, qui Caipham proxime praecesserunt, per unum tantum annum munere isto functi sunt (Jos. *Ant.* 18, 2, 2).

ac si tropaeum statuerent ; vel potius, ut J. innuere videtur, quia Annam honorare volebant, tamquam virum praecipuae auctoritatis, imo majoris quam ipsiusmet Caiphae, quippe quum hujus socer esset (ideo fortasse Annas ante Caipham nominatur L. 3, 2 ; Act. 4, 6). Schuster vero in opere *Handb. zur bibl. Gesch.* putat Annam noluisse Synedrio interesse, quia ei praesidere non potuisset, utpote qui a gradu summo motus fuisset ; s. autem Aug. l. c. opinatur ipsum Caipham decrevisse ut Jesus primum ad Annam duceretur : sed hae sunt merae conjecturae. Magis adhuc incertum est quod s. Cyril. dicit, in domo Annae Judae ostendenti praedam suam persolutum fuisse proditionis pretium.

Quoquo modo se habeant ista, **Annas,** ut nobis videtur, **Dominum non diu retinuit,** nec quidquam contra eum perfecisse refertur ; sed mox ad Caipham misit (J. 18, 24), ubi sciebat congregatum esse universum Synedrium (1) : ibi igitur judicatus fuit Salvator, ibique Petrus eum ter negavit.

J. autem, per mentionem specialem quam v. 13 et 14 de Caipha ingerit, obliviscitur annotare Jesum ab Anna ad Caipham perductum fuisse (2) : attamen ex adv. *primum* v. 13 patet ipsi mentem fuisse istud dicere ; praeterea ista missio ad Caipham tacite significatur verbis v. 15 *introivit* (aliquis discipulus) *cum Jesu in atrium Pontificis;* ergo Jesus in domum *Pontificis* i. e. Caiphae (ut patet ex v. 13) jam venisse innuitur. Quod autem Joan. praetermiserat v. 13, id v. 24 supplet, occasione sumpta ex v. 22 : itaque versus 24 inter v. 13 et 14 poni debuisset, et praet. *misit* sensum habet plusquamperfecti *miserat.*

Quae quidem *praeteriti* vis pro *plusquamperfecto* saepe animadver-

(1) Fouard supponit Gamalielem non invitatum fuisse, quia notus erat ejus animus nobilis et justus : ipse postea Apostolos defendit in Synedrio, Act. 5, 34.

(2) **Domus Annae** in monte Sion, ad partem urbis meridionalem, secundum traditionem sita erat ; adeoque non procul a Coenaculo, scil. eo in loco ubi nunc habetur conventus religiosarum Armeniarum (*à 100 m. au nord de la porte de Sion, à 150 m. au nord du Cénacle*), ergo in interiore parte urbis hodiernae. Sic Jos. *B. J.* 2, 17, 6 domum Pontificis cujusdam nomine Ananiae collocat in urbe superiore ; sed nescimus an eadem illa domus jam occuparetur a summo Pontifice aetate Christi. Palatium porro Caiphae videtur exstitísse extra urbem hodiernam, prope portam Sionis, ubi nunc est ecclesia Armeniaca s. Salvatoris, ergo inter domum Annae et Coenaculum (de cujus situ q. 650) Opinatur autem Calm. et post ipsum Fouard, Annam et Caipham in eodem palatio habitasse, scil. in parte domus distincta. Hoc admisso, sunt qui dicant verba Joannis sensu obvio sumi posse, quin ulla habeatur repugnantia cum Synopticis : examen praevium, quod refert ille, et prima Petri negatio evenerunt coram Anna, sed in palatio Caiphae pontificis : cetera vero coram Caipha, in alia aedium parte (quo missus legitur Jesus J. 13, 24). Obstat quidem traditio Jerosolymitana, quae domum Annae diversam a domo Caiphae ostendit : sed, aiunt, traditio ista valde incerta est.

titur, praesertim in sententiis interjectis, ubi scriptor aliquam rei notitiam, quam suo loco indicare omiserat, serius orationi suae inserit: Beel. *Gram.* p. 293. Exempli gratia M. 14, 3 *Tenuit Joannem et alligavit*, pro *tenuerat* et *alligaverat;* pariter J. 18, 26 *cujus abscidit Petrus auriculam*, pro *absciderat*. Ita quoque Gen. 12, 1 *Dixit Dominus ad Abram*, pro *dixerat*, ut patet ex Gen. 11, 31 et ex Act. 7, 3. Id autem, ex eo quod Hebraei non habeant discrimina praeteriti temporis, ortum fuisse videtur (1).

Porro, **in favorem nostrae sententiae,** cui patrocinantur s. Cyr. Alex., Jans. Gand., Tolet., Luc. Brug., Mald., Beel., Bisp., Corluy etc., etiam illud addi potest, Petrum, cum iterum et tertio Dominum negaret, versatum fuisse in eodem atrio, ut colligitur ex verbis *stans et calefaciens se*, v. 25 coll. v. 18: atqui atrium illud fuit in domo *Pontificis*, proinde *Caiphae*, non *Annae*. Qui enim hic simpliciter vocatur *Pontifex*, intelligitur pontifex illius anni (v. 13), nempe *Caiphas*, idem ille qui de Jesu vaticinatus fuerat, v. 14 coll. 11, 49; eo vel magis quod Annas in narratione Joannis, de qua disputamus, nomine *Pontificis*, quod honoris causa retinuerat, non designetur, ut fit apud L. 3, 2 et in Act. 4, 6, sed hac appellatione *socer Caiphae*.

b/ Jesus ad Caipham ductus.

Praeced. vide ante q. 732.

M. 26, 57. At illi, tenentes Jesum, duxerunt ad Caipham principem sacerdotum, ubi Scribae et seniores convenerant.

58 Petrus autem etc. *Vide infra, ante q. 754.*

Praeced. ante q. 732.

Mc. 14, 53. Et adduxerunt Jesum ad summum sacerdotem: et convenerunt omnes sacerdotes, et Scribae, et seniores.

54 Petrus autem etc. *Vide infra, ante q. 754.*

Praeced. ante q. 732.

L. 22, 54. Comprehendentes autem eum, duxerunt ad domum principis sacerdotum. Petrus vero etc. *Vide infra, ante q. 754.*

Praeced. ante q. 742.

J. 18, 24. Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem.

25 Erat autem Simon Petrus etc. *Vide infra, ante q. 756.*

Non dicit *Ubi convocati fuerunt*, sed *ubi convenerant;* nam antea jam convocati fuerant: ibi certe pernoctabant vigilantes, ait

(1) Erasmus *in J.* temere omnino conteudit, et contra auctoritatem omnium testium, verba *miserunt autem eum ad Caipham pontificem* librariorum incuria omissa fuisse post v. 13. Hoc non est explicare, sed adulterare Scripturam.

s. Chrys. *Sacerdotes* Mc. (αρχιερεις summi sacerdotes), *Scribae et Seniores :* ergo **magnum** Judaeorum **Synedrium** nocte habitum fuit.

c/ Qualis vir esset Caiphas.

Praeced. ante q. 737.

J. 18, 14. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Judaeis : Quia expedit unum homidem mori pro populo. 15 Sequebatur autem Jesum Simon Petrus etc. *Vide infra, ante q. 754.*

Solet Joannes, ait *Byn. *De morte J.*, ubi de aliquo narravit quid singulare, mentionem illius faciens postea, eum describere ab eodem illo facto : J. 7, 50 et 19, 39 coll. 3, 1 de Nicodemo ; J. 21, 20 coll. 13, 23 de s. Joanne ; pariter hic de Caipha.

Occasione facti illius praeteriti, quod J., loquens de examine Jesu coram Pontifice, obiter in memoriam revocat, seq. ponimus quaestionem. Praemonemus factum illud ab Evangelista hic memoratum fuisse, ut jam in antecessum significaret judicium aequum a tali viro exspectari non posse (Beel.).

De oraculo quod Caiphas inscius ediderat.

Q. 739. 1° Quid praedixit Caiphas, et in quibus rerum adjunctis ? 2° Quisnam fuit sensus verborum ejus, sc. tum sensus in quem ipse loquens animum intendebat, quum sensus quem Spiritus s., qui eum inscium clam inspirabat, exprimere volebat ?

R. ad 1m. J. 11, 47-52 quando Synedrium contra Jesum primum congregatum fuit, occasione Lazari ad vitam revocati, judices dubii consiliique inopes erant. Dicebant enim *Quid facimus* (vis est in praesenti ποιουμεν : fl. *wat gedaan ?* gall. *que faire ?*), *quia hic homo multa signa facit ? Si dimittimus eum sic*, si eum non prohibemus, *omnes credent in eum ; et venient Romani*, opportune praetexentes nobisque objicientes rerum perturbationem ac tumultus continuos, quae iste in plebe nostra excitabit, *et tollent locum nostrum et gentem*, Templum urbemque nostram, imo (*et*) universam gentem destruent. Tunc Caiphas, Pontifex anni illius, ut dubitationem illam et sollicitudinem abigeret, *dixit eis : Vos nescitis quidquam, nec cogitatis*

quia **expedit** *vobis* **ut unus moriatur** *homo pro populo, et non tota gens pereat.*

R. ad 2^m. Caiphas hoc sibi volebat : melius esse ut unus homo occideretur, quam ut tota gens periclitaretur. Sed cum haec diceret, Spiritus s. eum inscium afflabat (*hoc a semetipso non dixit, sed* etc.), et significabat fore ut Jesus moreretur pro salute spirituali gentis suae (ut eam redimeret a peccato), imo pro salute gentilium (*dispersorum qui erant congregandi in unum*), quos etiam in gentem suam adoptaturus erat Salvator.

Ordo rerum apud Caipham gestarum.

Q. 740. Indica ex ordine, secundum probabiliorem sententiam, omnia et singula quae ad historiam Jesu apud Caipham spectant.

R. Jesus primum a Pontifice ad normam juris (gall. *juridiquement*) interrogatus fuit, et quum fortiter respondisset, alapam a servo Pontificis accepit. Deinde multi testimonium dixerunt contra eum ; hoc autem tam evidenter falsum erat, ut nihil responderit Dominus. At vero, statim ut nomine Dei adjuratus fuisset a Caipha, aperte declaravit se esse Christum, Dei Filium, atque ideo capitis damnatus est. Interea temporis accidit trina Petri negatio. Mox tamen miser ille Apostolus, aspectu Jesu ad poenitentiam commotus, egressus est ; post haec ministri Pontificis et Synedrii indignissimas omnis generis contumelias, per reliquam noctem, Jesu certatim intulerunt. Denique, mane facto, Jesus a Synedrio iterum damnatus est, et ad Pilatum perductus.

Jam de singulis dicemus, eaque ad tres scenas (cf. q. 736) revocabimus.

SCENA I.

Examen et damnatio Jesu in Synedrio nocte habito. 26, 59-66.

Evangelistae de examine Jesu juridico loquuntur omnes ; sed J. non refert condemnationem a Synedrio latam.

Divisio in quatuor puncta.

Q. 741. 1° Quem in locum Synedrium contra Jesum in ipsa

nocte Passionis et sequenti mane congregatum fuit ? (1) 2° Quid in eo coetu actum est ? Ut autem recto ordine responsio fiat, quatuor in actibus istius tribunalis rerum capita distingue : a/ examen praevium, b/ auditionem testium ; c/ solemnem et ultimam rei interrogationem ; d/ sententiae pronuntiationem.

Igitur in 4 puncta haec scena dividenda est, ut omnia et singula, quae acta et dicta fuerunt in Synedrio, secundum probabiliorem factorum seriem, Evangelistis collatis recte pleneque exponantur.

R. ad 1m. Congregatum fuit (2) in domum Caiphae, et **Jesus coram Caipha stetit** (non coram Anna, ut putant Patr. *De Evang.*, Calmet aliique, et ut videtur dicere J. : cf. q. 738), ea ipsa nocte qua captus fuit ; sed cum legitimae praescriptiones, ea tempestate apud Judaeos vigentes, non permitterent ut nocte ageretur causa capitis, tribunal matutino tempore iterum convocatum fuit (L. 22, 66-71 ; cf. M. 27, 1), in hunc finem ut judicio nocte habito forma quaedam legalis tribueretur.

Ad 2m. Quatuor illa puncta in sequentibus longe lateque tractabimus, eisque singulis suas assignabimus inscriptiones distinctas.

P. I. Examen Jesu praevium : alapa.

Praeced. vide ante q. 755.

J. 18, 19. Pontifex ergo interrogavit Jesum de discipulis suis, et de doctrina ejus. 20 Respondit ei Jesus : Ego palam locutus sum mundo : ego semper docui in synagoga, et in templo, quo omnes Judaei conveniunt : et in occulto locutus sum nihil. 21 Quid me interrogas ? interroga eos, qui audierunt quid locutus sim ipsis : ecce hi sciunt quae dixerim ego.

---

(1) **Dupin** opusc. conscripsit *Jésus devant Caïphe et Pilate*, Paris 1829, in quo judicium Jesu illegitimum et plane injustum fuisse contra Salvador juridico modo ostendit. Illud ipsum, sed doctius et perfectius, fecerunt fratres **Lemann**, sacerdotes, Judaei gente, in op. *Valeur de l'assemblée qui prononça la peine de mort contre J. C.* (Paris, 1876) : ibi demonstrant ex 27 capitibus sententiam fuisse invalidam. Adde aliud eorumdem opusculum *Le Sanhédrin avec le peuple Juif devant Pilate* Hoc opus promissum fuit, sed putem illud non prodiisse.

(2) Certe totum Synedrium, non tantum ii judices qui comprehensioni Jesu adfuerant : nescio quare dubitet Corluy : Mc. v. 53 aperte dicit *convenerunt omnes sacerdotes et Scribae et Seniores*. Ergo totum Synedrium convenit, sed inde non sequitur omnes ad unum adfuisse ; nam probabilius absens erat Joseph ab Arimathea. Saltem id concludunt aliqui ex L. 23, 51 *Hic non consenserat consilio et actibus eorum ;* de ejus tamen oppositione in Synedrio illa nocte habito nihil dicitur in Evang., quae quidem si facta fuisset, certe non praetermissa fuisset, quum omnia et singula satis prolixe narrentur.

22 Haec autem cum dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Jesu, dicens: Sic respondes pontifici? 23 Respondit ei Jesus: Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem bene, quid me caedis? 24 Et misit eum Annas ligatum ad etc.
Vide supra, p. 1025.

Praenota. J. tantum loquitur de examine illo praevio, quod videtur ponere coram Anna, sed, ut supra diximus, nobis praeplacet sententia illorum qui dicunt etiam hoc examen factum fuisse coram Caipha. De solo examine praevio agit J., certe quia primus ille actus rem totam jam decrevit.

Q. 742. In Synedrio nocte habito, 1° quis et de quo Jesum interrogavit, per modum examinis praevii ut videtur? Quis est sensus interrogationis ejus? 2° Quid respondit Salvator? Ostende illud responsum rectum fuisse. 3° Quomodo tamen punitum fuit?

R. ad 1m. Pontifex, Synedrii praeses, nempe Caiphas (non autem Annas, ut dicere videtur J.), Jesum *de discipulis* et *de doctrina* interrogavit. Quod autem ad *discipulos* attinet, non inquirebat ubinam essent et cur ipsum deseruissent (hoc enim nihil ad praesens examen contra Jesum), sed scire volebat cur Jesus tot colligeret et secum circumduceret: an forte ad dignitatem Messiae usurpandam, et ad seditionem commovendam contra principes Judaeorum. Ad *doctrinam* vero quod spectat, petiit certe quaenam tandem esset quam Jesus tam late disseminare auderet, hac interrogatione ansam quaerens seu praetextum accusationis de blasphemia.

Itaque mens ejus erat Jesum ut blasphemiae reum, vel ut seditiosum, res novas molientem, et illegitimam sibi arrogantem auctoritatem, quasi falsum vatem vel **falsum Messiam,** accusare et damnare (s. Chrys. *in J.*).

R. ad 2m. Salvator tacet de *discipulis*, et nonnisi ad ultimum caput de *doctrina* respondet. Duae enim quaestiones erant connexae, adeo quidem ut qui satisfaceret alteri, alteram jam redderet supervacaneam: probata enim doctrina, improbandum non erat fuisse discipulos quibus ea tradita esset. Potuisset tamen priori quaestioni **de discipulis** directe et distincte respondere: id autem facere

noluit, forsitan ideo quod si semel sermo fieret de eis, facile interrogari potuisset de eorum absentia, et sic inductus fuisset ad loquendum de eorum fuga. **Doctrinam** autem non ipsemet exponit, sed ad testes, qui eam audierant, remittit. Sane difficile non erat eos invenire : **Ego**, ait, *palam* (παρρησια, *palam*, *publice*, ut J. 7, 13 ; 10, 24 ; 11, 54 : non *libere*, *confidenter*) *locutus sum mundo*, coram omnibus meam tradidi doctrinam, **ego** *semper docui in synagoga* (1), *et in Templo* in quod *omnes Judaei conveniunt* (omnes, etiam ex remotissimis regionibus, in quas dispersi erant, eo conveniebant quotannis ad tria festa majora) ; *et in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas ? interroga eos qui me audierunt. Ecce, hi sciunt* (certe digito ostendit adstantes, vel etiam ipsos assidentes Synedristas) *quae dixerim* **ego** (2).

Fortiter quidem, sed **et sapienter** simul, **respondit Jesus :** nam ex una parte reus pro se ipse testari nequit, et ex altera parte coram tribunali non tenetur statim ab initio se ipse accusare ; in publico enim judicio primum interrogandi sunt testes, non reus. Recte igitur s. Chrys. *In Joan.* : « Non arrogantis haec sunt, « ait, sed fidentis dictorum veritati... Haec quippe est non dubia « veritatis demonstratio, cum quis inimicos dictorum testes « advocat. »

Sed petitur quo sensu Christus affirmet se **palam** locutum fuisse ? Nihilne ergo *secreto* dixit ? Utique *in aure* nonnumquam locutus erat, sed jusserat simul ut Apostoli dicta illa praedicarent *super tecta :* M. 10, 27. Et, si interdum quaedam Apostolis dixit commendans silentium, hoc fecit quando « ea quae dicebat supra multitu- « dinis captum erant (s. Chrys.) », vel quando volebat antea animos praeparare : ergo, in occulto nihil dixit, quod publicae ejus doctrinae contrarium esset, quodque serius ocius ipse publicae notum non fecerit. Sic aliquando prohibuit Apostolos quominus dicerent ipsum esse Messiam vel verum Dei Filium, quia Judaeorum vulgus tunc nondum erat satis praeparatum : in aliis tamen temporum adjunctis utrumque doctrinae punctum satis manifestavit.

---

(1) Εν συναγωγη absque art., vera est lectio ; significat non synagogam quae erat in atrio Templi exteriore, ubi forte contigerunt quae L. 2, 46 narrantur, sed generatim in synagoga qualibet ; hoc sensu : Docui non solum in synagogis vestris, sed etiam in Templo.

(2) Nota istud **ego** ter repetitum : quasi diceret : *me*, et *me solum* oportet accusare, res *mea* hic agitur ; igitur non loquendum est de *discipulis* meis.

Ceterum, bene nota numquam aliquid ab eo dictum fuisse secreto *eo sensu quo interrogabatur*, nempe « ut seditiones moveret (s. Chrys.) », v. gr. ut se Messiam faceret talem qualem cogitabant Synedristae, regem temporalem, qui summam potestatem civilem sibi vindicaret, quique Romanorum dominationem everteret.

R. ad 3m. *Unus assistens ministrorum* (si credamus s. Chrys°. *in J.* 18, 10, erat ille Malchus cujus aurem sanaverat Jesus), ut adularetur Pontifici, quasi honoris ejus vindex, *dedit* **alapam** (1) *Jesu dicens : Sic respondes pontifici ?* S. Aug. *in J.* 18, 22 : « Si cogi- « temus, ait, quis acceperit alapam, nonne vellemus eum qui « percussit, aut coelesti igne consumi, aut terra dehiscente sor- « beri ? » S. autem Chrys. *in Joan.* stupens exclamat : « Quid hoc « petulantius fuerit ? Exhorresce coelum, contremisce terra, de « Christi patientia et de servorum scelere ! » Nota haec duo opposita : namque eo admirabilior fuit **Jesu patientia,** quo major **servi** istius **impudentia.** Quid ? Oza irreverenter tetigit Arcam Foederis, et illico mortuus est, 2 Reg. 6, 6 : servus autem iste vilissimus ipsum Dei Filium in faciem cecidit, et illaesus mansit ! Manus Jeroboam exaruit, eo quod rex ille contra vatem quemdam sacrum extenderat eam, 3 Reg. 13, 4 : iste autem regem Prophetarum ignominiosissime percussit, et brachium ejus non obriguit !

O admirabilem Christi et benignitatem et patientiam ! Quam **alienus est ab omni ultionis cupiditate !** Quale exemplum iis proponendum christianis, qui, specie honoris servandi, minimas injurias aut contumelias sibi illatas ulcisci velint !

Sed jam audiamus verba, quae cum dignitate quidem, ut ratio requirebat, verum absque ira aut indignatione, ad miserum illum servum dixit : *Si male locutus sum, testimonium perhibe de malo : si autem bene, quid me caedis ?* « Quid ista responsione verius, mansuetius, justius ? (s. Aug. l. c.) »

Jesus autem **non tacuit** hic (quod fecit, quando postea, eadem

---

(1) **Alapam :** vox quidem graeca ραπισμα sign. etymologice (ραπις pro ραβδος) ictum bacillo vel fuste inflictum : verum apud Graecos seriores sign. ictum palma in genam impactum, ut bene vertit Vulgata, cui concinit Syrus *percussit super maxillam ejus*. Ita etiam s. Cyr. Pariter M. 5, 39 ραπισει *alapam dederit*. Cf. Is. 50, 6 apud 70. An manus percutientis chirotheca coriacea vel ferrea armata erat ? Hoc improbabile non est, quum facile fieri potuerit ut minister ille esset miles e custodia templi.

nocte, alapis caedebatur, M. 26, 67), **neque alteram maxillam** (cf. M. 5, 39) **praebuit,** quia stabat coram judicibus, et non decebat ut videretur suam agnoscere culpam (eodem modo se gessit s. Paulus Act. 23, 3): verumtamen, ut notat s. Aug. ib., si alteram maxillam percussori non dederit, totum corpus in ligno figendum praeparavit.

P. II. Testium auditio et silentium Jesu.

Praeced. vide ante q. 754.

M. 26, 59. Principes autem sacerdotum, et omne concilium, quaerebant falsum testimonium contra Jesum, ut eum morti traderent: [60] et non invenerunt, cum multi falsi testes accessissent. Novissime autem venerunt duo falsi testes, [61] et dixerunt: Hic dixit: Possum destruere templum Dei, et post triduum reaedificare illud.

[62] Et surgens princeps sacerdotum, ait illi: Nihil respondes ad ea quae isti adversum te testificantur? [63] Jesus autem tacebat. Et princeps etc. *Ante q. 744.*

Praeced. ante q. 754.

Mc. 14, 55. Summi vero sacerdotes, et omne concilium, quaerebant adversus Jesum testimonium, ut eum morti traderent, nec inveniebant. [56] Multi enim testimonium falsum dicebant adversus eum: et convenientia testimonia non erant. [57] Et quidam surgentes, falsum testimonium ferebant adversus eum, dicentes: [58] Quoniam nos audivimus eum dicentem: Ego dissolvam templum hoc manufactum, et per triduum aliud non manufactum aedificabo. [59] Et non erat conveniens testimonium illorum.

[60] Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogavit Jesum, dicens: Non respondes quidquam ad ea quae tibi objiciuntur ab his? [61] Ille autem tacebat, et nihil respondit. [62] Rursum summus sacerdos etc. *Ante q. 744.*

Nota versum 58, quem M. quasi per parenthesim interjicit, ante v. 69 poni debuisse; atque ideo eum infra, ante q. 754, recitamus et explicamus.

Q. 743. 1° Quaenam testimonia in Jesum dicta fuerunt? 2° Qua ratione reus contra ista se defendit?

R. ad 1m. Synedristae nunc **testes** vocant (quod jam ab initio facere debuissent), certe secundum Deut. 17, 6 *In ore duorum aut trium testium peribit qui interficietur.* Sed, quum testes *veritatis* quaerere oporteret, v. **59** *quaerebant testimonium contra Jesum.* En istorum iniquitatem: non quaerebant testes, sed **testes contra;** ergo *a priori* et ante omne examen damnatus erat reus. Igitur, quaerebant testimonium quo Jesum *morti tradere* possent; scientes et volentes quaerebant testimonium *falsum:* optime sciebant crimina vera ei imputari non posse, et cum tamen eum morti

destinassent, falsos testes subornarunt : ergo *falsum testimonium* non videtur dici solum ex mente Evangelistae, ut vult Beelen.

Et, ut semper fit quando principes calumniae favent, *multi* calumniatores *accesserunt* M. v. **60**, cupientes Caiphae gratiam tribuere : hi autem *testimonium falsum dicebant adversus Jesum ; et* (sed) *convenientia* (ισαι, *aequalia, consentientia*) *testimonia non erant* Mc., inter se mutuo pugnabant (1), atque ideo se invicem evertebant. Nihil serii afferri potuit, adeo munda et irreprehensibilis erat ejus vita.

Novissime autem venerunt duo falsi testes, **61** *et dixerunt : Hic dixit : Possum destruere Templum Dei, et post triduum* (potius *per triduum*, ut Vulg. habet apud Mc., i. e. intra spatium trium dierum : δια cum gen.) *reaedificare illud.*

Ita M. : Mc. vero accusationem refert, non iis verbis quibus lata fuit, sed paraphrastice, adeo ut, dum testimonium adducit, illud simul lectoribus explicet : *Nos*, aiunt *audivimus eum dicentem : Ego dissolvam Templum hoc manufactum, et per triduum aliud non manufactum aedificabo.*

Testes igitur illi asserebant Jesum contra reverentiam Templo debitam locutum fuisse, adeoque impietatis et **blasphemiae in Templum** eum accusare volebant (2).

Sed *nec sic*, ουδε ουτως (vera lectio), *conveniens erat*, ait Mc. v. 59, *testimonium illorum*, i. e. ne quidem in hoc crimine, quod tamen adeo definitum et distinctum videbatur, consentiebat amborum testificatio : ideo invalida erat, Num. 35, 30 ; Deut. 17, 6. Cogitemus utrumque separatim interrogatum fuisse, ut fit in judiciis, et diversa ratione retulisse verba Christi.

Praeterea **testimonium** erat plane **falsum,** quia, ut notat s. Hier., tum verba Christi quum eorum sensum pervertebat : *verba*, nam Christus non dixit *Ego solvam*, vel *Possum destruere*, sed

---

(1) P. de Buck vertit : *de getuigenissen waren niet toereikend* (i. e. gall. *les témoignages n'étaient pas suffisants*), et sequitur Mald., qui contendit in graeco sensum esse, testimonia non fuisse sufficientia ad damnandum Christum. Fateor adj. ισαι posse significare *paria, aequalia*, quae crimen sat grave continent ; igitur *sufficientia*. Verum versio Beelen *de getuigeniesen kwamen niet overeen* (i. e. gall. *ne s'accordaient pas*) mihi magis arridet, et hic etiam est sensus Vulgatae *convenientia*, consentientia.

(2) Ob similem accusationem postea occisus fuit s. Stephanus Act. 6, 13, 14. Cf. etiam Act. 25, 8, ubi s. Paulus affirmat se *in templum* non peccasse. Pariter Jeremias ejusdem criminis fere damnatus fuit, Jer. 26, 8 et 9.

Solvite, ait ad Judaeos, *et in tribus diebus excitabo illud* J. 2, 19, i. e. ergo restituam, si *vos* destruitis illud, vel potius (ut positiva et certa praedictio), postquam vos destruxeritis ; *sensum* pervertebat, quum e contexta oratione satis pateret ipsum non templo lapideo male precatum, sed de corpore suo vaticinatum fuisse.

Resp. ad 2m. Ad hanc accusationem **nihil respondit Jesus,** quia inanitatem ejus ex mutua testium repugnantia facile intelligebant omnes. Sed Caiphas, ira commotus, v. **62** *exsurgit* et Mc. venit *in medium* (s. Hier. « Ira praeceps et impatiens, excutit de solio pontificem »), quum tamen tamquam judex sedere debuisset (Mald.) atque in loco suo manere ; fingit serium esse crimen objectum, et ad Jesum : *Non respondes*, ait, *quidquam ad ea quae tibi objiciuntur ab his ?* « Eum ad respondendum provocat, ait s. « Hier., ut ex qualibet occasione sermonis, locum inveniat accu- « sandi. » Sperabat enim fore ut Christus in responso daret occasionem gravioris firmiorisque insimulationis, v. gr. ut affirmaret se esse Messiam, Dei Filium ; quo casu eum accusasset blasphemiae in Deum et capitis damnasset (secundum Lev. 24, 16). Ideo Jesus v. **63** *tacebat*, Mc. *nihil respondit*, et **prudentissime** quidem egit : « Sciebat, inquit s. Hier., quidquid tandem respondisset, torquen- « dum ad calumniam » ; s. Chrys, : « Figura dumtaxat judicii « erat, re autem vera latronum impetus. » Et quid opus erat illis respondere qui testes adhibebant sibi contradicentes ? (Orig.)

P. III. Solemnis et ultima interrogatio Jesu ejusque responsum.

Praeced. vide ante q. 743.

M. 26, 63... Et princeps sacerdotum ait illi : Adjuro te per Deum vivum, ut dicas nobis si tu es Christus filius Dei. 64 Dicit illi Jesus : Tu dixisti : verumtamen dico vobis : Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem in nubibus coeli. 65 Tunc princeps etc. *Ante q. 745.*

Praeced. ante q. 743.

Mc. 14, 61. Rursum summus sacerdos interrogabat eum, et dixit ei : Tu es Christus filius Dei benedicti ?

62 Jesus autem dixit illi : Ego sum : et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei, et venientem cum nubibus coeli. 63 Summus autem sacerdos etc. *Ante q. 745.*

Q. 744. 1° De quo Caiphas ultimum interrogavit Jesum ? 2° Quare Servator ad hanc interrogationem respondere voluit ? 3° Quid ergo dixit ? explicando verba ejus.

R. ad 1m. Summus Sacerdos interrogavit eum (tertio a Caipha interrogatur Jesus) dicens : *Adjuro te*, i. e. defero tibi jusjurandum *per Deum vivum*, qui ut talis mendacem punire potest et debet ; jubeo *ut*, Deo in testem invocato, *dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei benedicti ?* i. e. **Filius Dei in sensu proprio,** sicut tu te ipse praedicas : cf. J. 5, 18 ; 10, 33. Si voluisset tantum rogare utrum se *Messiam* faceret, non potuisset affirmationem Jesu dicere *blaphemiam*, v. 65. Caiphas ignorare non poterat Jesum ita saepius de se locutum fuisse, ut Judaei dicerent ipsum se facere *aequalem Deo*, se facere *Deum* (J. 5, 18 ; 10, 33). Et quando Pontifices respondent Pilato : *Secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit* (J. 19, 6), certe id intelligunt sensu blasphematorio.

Ad verba illa notat s. Hier. : « Quid adjuras, impiissime sacer-« dotum : ut accuses, an ut credas ? Si ut accuses, arguunt alii, « condemna tacentem. Si ut credas, quare confitenti credere « noluisti ? »

Omnes circumstantiae sunt hic **attendendae.** Haud supervacaneum erit animadvertisse, in universa Christi patientis historia nullum occurrere **momentum** gravius ac **solemnius,** quam illud quod nunc piae nostrae meditationi offertur, ut ex omnibus rerum adjunctis facile colligitur. Etenim, qui interrogat est Jehovae vicarius in terris. Quod petitur tale est ut majus quid excogitari nequeat : utrum necne hic adstet Messias, Filius Dei Unicus et naturalis seu proprie dictus, ergo vere Deus. Ipsamet quaestionis formula sanctissima est, quum adjuratio per Deum vivum fiat. Porro, quod locum attinet, res agitur in Synedrio Magno, in summo Judaeorum concilio. Tandem ille qui interrogatur est Verbum Dei caro factum, est ipsemet Deus forma servi indutus, judex est et rex coeli et terrae, qui stat tamquam reus et facinorosus !

Possumus hic dispositionem divinae Providentiae agnoscere, quae voluit ut extra controversiam et extra excusationem poneretur Jesum se solemniter declarasse Christum *Filium Dei*, et propter hoc solum a populo suo fuisse morti addictum.

Caiphae calliditas. Jam vero, eousque pertingit vis verborum, ut Caiphas triplici quasi ense undique minetur Jesu, eumque ab omni latere impetat : si enim tacet reus, habebitur tamquam

veterator ; si negat, secum ipse pugnabit ; si vero affirmat, blasphemiae damnabitur. Quid ergo Jesus ?

R. ad 2m. Nunc aperte et **directe respondit** (quod alias raro fecit in tali quaestione), nimirum ob tres praecipuas rationes : *a/* ne auctoritatem Pontificis, et *b/* Dei praesertim majestatem, quippe cujus nomen per jusjurandum fuerat interpositum, contemnere videretur; *c/* ut veritatem suo non laederet silentio, sed potius, hac usus praeclara occasione, testaretur se esse Messiam, et talem quidem qualem praedixerant Prophetae, sc. *Filium Dei verum*: adeo ut (s. Chrys.) Judaeis incredulis omnem auferret excusationem

R. ad 3m. Itaque respondit, sed quanta cum animi tranquillitate, quanta **cum majestate !** vere patuit Deus ! *Ego sum,* ait apud Mc., vel quod idem est apud M. v. **64** *tu dixisti* (hoc enim secundum morem loquendi Judaeorum sign. *ita est*, cf. not. M. 26, 25) (1). **Declarat** igitur **se Filium Dei** esse : et decebat quidem ut primus ipse mortem sponte oppeteret pro confessione ejusdem veritatis (sc. de divinitate Christi), quam innumeri martyres sanguine suo tamquam sigillo obsignarent. Non solum autem hoc affirmat, sed ne ullam habeant excusationem, adeoque ne solemne testimonium suum repudiare possint propter conditionem humilem in qua coram eis adstat, statim quaedam addit de sua gloria et exaltatione : *Verum tamen* (2), imo vero, *dico vobis* : *Amodo videbitis Filium hominis*, me videbitis *sedentem a dextris virtutis Dei* (*virtutis*, abstr. pro concreto ex emphasi, ut saepe : a dextris Dei potentissimi), *et venientem in nubibus coeli.*

Responsio plane divina, qua contremiscunt inferi, coeli exultant, et stupent judices ! Sensus est : ex hoc nunc, deinceps (fl. *van nu af*, *van nu voortaan*), me gloria et potentia praeditum videbitis, illa nempe gloria et potentia quae soli Messiae propria est ; aliis verbis, deinceps discetis, ex iis quae fient, me illum esse de quo David Ps. 109, 1 testatur fore ut *sedeat a dextris Dei*, tamquam

---

(1) Quando judex apud Judaeos ad jusjurandum aliquem adigebat, ipse interponebat nomen Dei in interrogatione sua ; aliis verbis, loquebatur sub formula adjurationis solemnis, adeo ut respondendum esset solum *ita* vel *non*. Lev. 5, 1 sermo fit de eo qui audit judicem adjurantem adstantes ut, jurejurando se adstringentes, dicant quidquid sciant de crimine alicui objecto. Cf. Gen. 24, 3 ; Num. 5, 19-22 ; Deut. 27, 15-26 ; I Reg. 14, 28.

(2) πλην (*imo vero, at potius*, germ. *vielmehr*), Vulgata vertit *verumtamen* : hoc autem sic intellige : Si dixero vobis, non credetis mihi ; verumtamen amodo videbitis etc.

rex coeli et terrae, summo Dei Patris imperio consociatus (cf. supra M. 22, 44), quemque Daniel 7, 13 vidit *venientem in nubibus coeli* (cf. supra M. 24, 30), cum *potestate suprema* et *aeterna in omnes gentes* (cf. Dan. ib. v. 14) ; quam quidem postestatem maxime et ultimum exeret postremo mundi tempore, quando iterum veniet in terram tamquam Judex vivorum et mortuorum.

Responsi vis quid valeat. Hoc igitur sibi vult Jesus : brevi tempore cessabit status ille infirmitatis et contemptus, in quo me nunc videtis ; post mortem, quam scio mihi imminere, summo fruar honore ; et vosmetipsi testes eritis (*videbitis*, experiemini, scietis) gloriae et potestatis meae Messianicae : hanc enim coram vobis et simul contra vos ostendam, cum hinc quidem regnum meum mirabiliter stabiliam inter credentes, illinc vero adversarios meos, vos nempe et incredulos omnes, poenis severi judicii mei afficiam, usquedum aliquando, fatali mundi die, extremum terribilissimumque exerceam judicium.

Judaei vim responsi experti sunt. Et re quidem vera, Judaei jamjam noverunt quam gloriosus, quam potens, quamque terribilis sit ille quem occiderunt : ex una enim parte, mox viderunt miracula quae in morte ejus facta sunt, audierunt eum ad vitam rediisse, et in coelum ascendisse ; paulo post, discipulorum ejus miracula, celerrimamque regni ejus propagationem spectarunt etc. ; et ex altera parte, horrendas justitiae ejus vindicis poenas subierunt, puta praesertim in excidio Jerosolymitano, et dispersione universae gentis per orbem terrarum. Istae autem poenae nonnisi figurae sunt et praeparatio quaedam supplicii longe terribilioris, quod impiis in ultimo irrogabitur judicio.

Reus judicii mox erit ipse judex. En quomodo reus, subjectus judicio, judicibus loquitur, seseque futurum eorum judicem proclamare non veretur ! Nota tamen contra A. Lap. et Mald., Christum non de solo *judicio extremo* locutum fuisse, ut patet ex nostra explicatione : obstat enim adv. *amodo*, ἀπ' ἀρτι, quod tempus propinquum designat. Aliunde novimus, ex J. 13, 31 *Nunc clarificatus est Filius hominis*, a Passione et morte Jesu inchoandam fuisse ejusdem gloriam.

Sed jam audiamus quid verbis Christi admodum intrepidis scelestus ille Pontifex responderit.

P. IV. Ficta Pontificis indignatio, et sententia contra Jesum lata.

Praeced. vide ante q. 744.

M. 26, 65. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemavit: quid adhuc egemus testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam: 66 quid vobis videtur? At illi respondentes dixerunt: Reus est mortis. 67 Tunc expuerunt etc. *post q. 751.*

Praeced. ante q. 744.

Mc. 14, 63. Summus autem sacerdos scindens vestimenta sua, ait: Quid adhuc desideramus testes? 64 Audistis blasphemiam: quid vobis videtur? Qui omnes condemnaverunt eum esse reum mortis. 65 Et coeperunt etc. *Post q. 751.*

Q. 745. 1° Ob quam causam Caiphas scidit vestimenta sua? 2° Quasnam vestes in simili casu scindere solebant Judaei? 3° Quid Pontifex significare voluit per istam actionem? 4° Quaenam sententia contra Jesum tunc lata fuit?

R. ad 1m. *Princeps sacerdotum*, audiens Christi verba supra recitata, quae habuit tamquam blasphemiam, **scidit vestimenta sua,** τα ἱματια M., τους χιτωνας Mc.

R. ad 2m. Aliqui pluralem numerum τα ἱματια pro singulari positum esse putant: et re quidem vera, vox illa pluralis interdum usurpatur de sola veste superiore, et imprimis de pallio, ut M. 21, 7 de vestimento quod pullo asinae impositum fuit; pariter Mc. 5, 27 coll. 30. Et apud J. 13, 4, ubi sermo fit de veste quam Jesus deposuit, antequam pedes Apostolorum lavit, probabiliter sign. tunicam. Verum cum dicatur Caipham scidisse τους χιτωνας (Mc.), et quum non adeo constet plur. χιτονες pro sing. adhiberi, malim hic admittere plures vestes discissas fuisse.

Ergo et **interiorem et exteriorem tunicam** (1), imo etiam

(1) **Duplex tunica scissa.** Vulgo unica tantum gestabatur tunica (praeter indusium seu interulam, ut videtur); sed summus Sacerdos probabiliter indutus erat duplici tunica, quarum superior erat pretiosior: sicut divites solebant se vestire, saltem festis diebus, vel cum in publicum progrederentur: Mc. 6, 9 *Ne induerentur duabus tunicis.* Cf. supra, q. 588.

Non vestes sacrae. Porro vestimenta, quae scidit Pontifex, non intelligenda sunt ornamenta sacerdotalia, namque ea tantum adhibebantur in Templo pro sacris functionibus, ubi etiam custodiebantur (*Winer *Rwb. Priester*); multo minus cogitari hic potest de ornamentis Summo Pontifici propriis, quippe quum haec nonnisi in Templo tribus festis majoribus gererentur non, ut videtur, die Expiationis, saltem non pro ingressu Sanctissimi, Lev. 16, 4). Extra Templum eadem non in usu fuisse colligitur etiam ex Act. 23, 5, ubi Paulus affirmat Pontificem a se agnitum non fuisse, quod demonstrat hunc vestitu pontificali indutum non fuisse. Praeterea, ab anno 6 post Christum ornamenta pontificalia in arce Antonia a Romanis asservabantur, et tantum quater in anno Pontifici tradebantur juxta Jos. *Ant.* 18, 4. 3. Cf. *Winer, *Rwb., Hoherpriester*. Igitur minus accurata est significatio figurata (gall *symbolique*) quam s. Leo *De Pass.* 6, post s. Hier., in actione illa Caiphae videt: « Nesciens, ait, « quid hac significaret insania, sacerdotali se honore privavit... Ad manifestandum finem veteris « instituti, eadem disruptio sacerdotalem aufert ornatum, quae mox et templi discidit velum. » Ita etiam Ven. Beda *in Mc.*

pallium, secundum quosdam, scidit, ut legitur factum fuisse 1 Esdr. 9, 3 *Scidi pallium meum et tunicam.* Alii vero negant pallia fuisse lacerata, et nituntur opinione *Othon. (*Lexic. Rabbin.* voc. *Blasph. Lacer.*, alias p. 360), cujus haec sunt verba : « Laceratio vestium fieri potest, excepto pallio exteriore et interula, in omnibus reliquis vestibus;... sed vix ultra palmi longitudinem lacerant. »

Mos scindendi vestes.

Judaei autem, qui sicut omnes Orientales, etiam hodiedum, signis rerum exterioribus gestibusque corporis vehementioribus admodum delectantur, saepe (non semper) scindebant vestimenta sua in sequentibus circumstantiis.

a/ In luctu et calamitate : sic Jacob in luctu ob filium suum, Gen. 37, 30, 34 ; Josue ob cladem militibus suis inflictam, Jos. 7, 6; Jephte ob filiam suam immolandam, Jud. 11, 35; vir quidam mortem Saulis nuntians, 2 Reg. 1, 2 ; Job ob filios ruina oppressos, Job. 1, 20 ; Jonathas ob cladem in bello, 1 Mach. 11, 71.

b/ Imo, quotiescumque vehementi quodam animi affectu commoti erant, v. gr. poenitentia et metu 3 Reg. 21, 27 ; 4 Reg. 22, 11, 19 ; vel ira et indignatione, ita Thamar propter injuriam 2 Reg. 13, 19 ; Josue et Caleb propter murmur populi Num. 14, 6 ; **ob auditam blasphemiam** Rabsacis 4 Reg. 18, 37 ; 19, 1. Vel quia idololatriam detestabantur Act. 14, 13.

S. Leo *serm. de pass.* 6, 2 putat id facere non licuisse Caiphae utpote sacerdoti, sed errat : nam Lev. 10, 6 vetantur quidem sacerdotes signa luctus dare ob mortem justissimam quibusdam divinitus immissam, et Lev. 21, 10 prohibetur quominus summus Pontifex vestem scindat propter luctum mortui ; sed propter alias causas licitum ei erat, 1 Mach. 11, 71 ; cf. Jos. *Bell. J.* 2, 15, 2 et 4 (contra Baron. ad a. 34).

Quasnam vestes ? Plerumque lacerabant solam tunicam exteriorem, Gen. 37, 34 (hebr. שִׂמְלָה *Simlah*) ; Job. 1, 20 et 2, 12 (hebr. מְעִיל *Meil*) ; nonnumquam, secundum quosdam, tunicam quoque interiorem, 2 Reg. 15, 32 (hebr. כְּתֹנֶת *Ketoneth*). Tunicae autem scindebantur in pectore a collo usque ad cingulum. Verum, si Judaeis credendum sit, exceptio erat pro pontifice maximo, qui vestes ab ima parte sursum versus scindebat (loca Talmudi citat hic *Byn. *De morte J.*). Quod autem ad pallium attinet, si admittatur illud quoque discissum fuisse, ora ejus inferior laniabatur.

R. ad 3m. Itaque Caiphas v. **65** vestimenta scidit, ut maximam animi indignationem (1) fingeret, et dixit **Blasphemavit,** i. e. sibi adscripsit quod solius Dei est *(venire in nubibus coeli)*, quodque Deo contumeliam infert *(sedere a dextris Dei) ; quid adhuc egemus testibus ?* Prodit perversam suam intentionem : vox est hominis

(1) Act. 7, 56, ad verba quaedam s. Stephani, quae videbantur *blasphemia*, auditores indignati, *Exclamantes voce magna, continuerunt aures suas, et impetum fecerunt unanimiter in eum ;* et postquam ejecissent eum extra civitatem, eum lapidaverunt.

gaudentis qui post longam exspectationem compos voti sit effectus. *Ecce nunc audistis blasphemiam* ; v. **66** *quid vobis videtur ?* i. e. quid decernendum censetis ? quaenam poena contra ipsum statuenda est ? Tamquam tribunalis praeses judicum sententiam exquirere videtur, sed et verbis suis et actu suo eorum sententiam injuste jam praeoccupaverat. Deinde vult ut omnes simul quid sentiant declarent (*un vote en masse et par acclamation*), cum oporteret, secundum leges, singulorum judicium vicissim expetere.

R. ad 4m. *At illi respondentes* (1) *dixerunt:* **Reus est mortis!** Quasi in ipsum caderet illud Lev. 24, 16 *Qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur : lapidibus opprimet eum omnis multitudo.* Olim jam Jesum ita interimere voluerant Judaei, quia se Filium Dei dixerat: J. 10, 31-33. — *Reus est mortis:* « Ipsi accusabant, ipsi damnabant, « et sententiam ferebant : omnium officia occupabant (s. Chrys.). »

Quasdam nunc addam questiones, tum pro alumnorum utilitate, quum etiam pro majore commoditate eorum qui ad Conferentias Ecclesiasticas se praeparant.

***Q. 746.** A quo, et quam ob causam, Christus stans coram Caipha ignominiosam alapam accepit ? Quid autem dixit misero illi percutienti ? — Vide supra.

Accusationes variae contra Jesum coram tribunali latae.

***Q. 747.** Quaestio generalis. Quorum criminum accusatus aut damnatus fuit Jesus, quando ante tribunalia stetit ? A quibus ? Coram quibus judicibus ? Quomodo se defendit ?

R. 1° Coram Caipha in Synedrio duo falsi testes accusarunt eum irreverentiae in Templum ; Salvator nihil respondit. 2° Caiphas in eodem concilio eum damnavit blasphemiae, quia se faciebat Christum, Dei Filium, mox sessurum a dextris Dei : ergo crimen religiosum omnium maximum ei objectum fuit, quasi esset falsus Messias. Vide supra. 3° Coram Pilato Synedristae contenderunt eum reum esse duplicis criminis, quum accusationi illi religiosae (quod esset pseudo-Messias) solerter adderent crimen politicum, nempe Laesae-Majestatis seu rebellionis contra Caesarem. Duplex autem illud crimen quadruplici ratione confirmare conati sunt: a/ gentem, aiebant, subvertit, b/ prohibet tributa dare Caesari, c/ dicit se Christum regem esse, tandem d/ Filium Dei se facit: cf. q. 782. Quomodo Jesus ista crimina dissolverit vide infra, q. 783 sqq.

***Q. 748.** Christus ter fuit interrogatus a Caipha : quid ab eo petitum fuit, et quomodo respondit ? — Vide supra.

***Q. 749.** Quis, cui et in quibus rerum adjunctis dixit : *Adjuro te per Deum vivum ut dicas nobis si tu es Christus, Filius Dei ?* 2° Quid responsum fuit, explicando ? — Vide supra.

---

(1) **Omnes,** ait Mc. : absentes certe erant Joseph ab Arim., qui teste L. 23, 51 *non consensit consilio et actibus eorum,* et Nicodemus, qui antea jam in senatu Jesum defenderat, J. 7, 50.

Quam iniqua fuerit Synedrii sententia.

***Q. 750.** Demonstra ex triplici capite sententiam Synedrii, contra Jesum latam, iniquissimam fuisse.

R. 1° Tribunali illi potestas non erat judicandi virum, qui tot argumentis comprobaverat se Messiam esse, Deique Filium. Imo vero, sunt qui dicant (De Buck, *Passieb.*, h. 33) Synedrio id temporis jus non fuisse causam capitalem judicandi.

2° Etiamsi talem potestatem habuissent Synedristae, attamen invalida esset eorum sententia, quum prescriptiones legales non observaverint: vide supra, q. 741 in marg.

3° Imo vero, si ponamus eos legitime egisse, nefas ipsis erat damnare reum adversus quem nonnisi falsae accusationes a testibus allatae fuerant, et cui nihil aliud poterat crimini verti, quam quod Christum, Dei Filium, se faceret: oportuisset antea examinare opera ejus, utrum necne essent Messiae propria. Seu potius, cum judices jam pridem, v. gr. in casu de caeco nato (J. 9), satis superque convicti fuissent de veritate miraculorum ejus, reum non solum absolvere, sed eum ut Dominum et Salvatorem agnoscere debuissent.

***Q. 751.** Questio generalis, ad facta similia componenda. Indica tres casus in quibus **Jesus habitus** fuit **ut blasphemus.**

R. 1° Quando paralytico: *Remittuntur*, ait, *tibi peccata tua*, q. 303. 2° Quando dixit *Ego et Pater unum sumus*, J. 10, 30, 33. 3° Coram Caipha, hic.

Sed ad Jesum, virum doloris et opprobrii, redeamus.

SCENA II.

Contumeliae Jesu illatae in domo Caiphae: 26, 67, 68.

Praeced. vide ante q. 745.

M. 26, 67. Tunc exspuerunt in faciem ejus, et colaphis eum ceciderunt: alii autem palmas in faciem ejus dederunt, 68 dicentes: Prophetiza nobis, Christe, quis est qui te percussit? 69 Petrus vero etc. *Vide infra ante q. 755.*

Praeced. ante q. 745.

Mc. 14, 65. Et coeperunt quidam conspuere eum, et velare faciem ejus, et colaphis eum caedere, et dicere: Prophetiza: et ministri alapis eum caedebant. 66 Et cum esset Petrus etc. *Ante q. 755.*

Praeced. ante q. 761.

L. 22. 63 Et viri qui tenebant illum, illudebant ei, caedentes. 64 Et velaverunt eum, et percutiebant caput ejus: et interrogabant eum, dicentes: Prophetiza, quis est qui te percussit? 65 Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. 66 Et ut factus est dies etc. *post q. 764.*

De istis contumeliis loquuntur tres Synoptici: J. autem eas silentio praetermittit, excepta mentione de alapa, quam antea Jesus passus fuerat. Num forte ignominiae illae nimis durae nimiumque crudae discipulo caritatis visae sunt? Sic etiam ipse, quando narrat Jesum spinis fuisse coronatum (vide infra), ludibria parcius quam alii refert.

Q. 752. 1° Quasnam contumelias et a quibus Jesus passus est

apud Caipham ? 2° Quandonam illas subiit ? Num ante, vel post condemnationem suam ? Adde per quantum temporis spatium istae illatae fuerint. 3° Quaenam Isaiae prophetia eventu confirmata tunc fuit ?

R. ad 1m. Praeter alapam, de qua supra locuti sumus, Jesus multas easque ignominiosissimas passus est contumelias, de quibus nunc dicendum. M. quidem et Mc. innuere videntur eum a *Synedristis* male habitum fuisse ; sed L. aperte dicit id factum fuisse a *viris qui tenebant eum* : itaque, sententia probabilior videtur, praesertim **ministros** Caiphae et Synedrii ipsi debacchatos fuisse ; admittendum tamen esse quosdam adfuisse concilii judices, qui scelestos illos vilesque homines approbarent et excitarent, imo eis exemplum darent, Jesum, quem tanto odio prosequebantur, a quo tam acriter saepe reprehensi fuerant, contumeliis afficiendo. Eo vel magis quod viri isti hypocritae videri poterant blasphemiam punire Deique honorem vindicare. Synedristas etiam id fecisse significat Mc. cum dicat : *Et coeperunt* QUIDAM *conspuere....* ET MINISTRI *alapis eum caedebant.* Hac ratione M. et Mc. cum L. optime conciliamus. Iis igitur qui autumant bis illata fuisse ista ludibria, primum ante Jesu condemnationem, et deinde post senatum mane coactum, assentiri nolim ego.

Jam audiamus Evangelistarum verba, pauca quidem, sed significantissima.

67. *Tunc :* statim postquam sententia capitis contra Jesum acclamata fuerat, dum plerique Synedristae surgebant et egrediebantur, nonnullis remanentibus (ut videtur) ad odium suum contra Jesum explendum : tunc Salvatorem nostrum, ut devotum hominem, in quem nihil foret illicitum, omni ludibriorum atque contumeliarum genere vexarunt. **Quatuor** autem distinguere debemus **opprobria** diversa :

1° *Coeperunt quidam,* praesertim ex ministris et satellitibus L., **expuere in faciem** *ejus* (iteratis vicibus, ut patet ex verbo *coeperunt*). Magnum illud fuisse opprobrium apud Hebraeos, colligitur ex Deut. 25, 9 ; Num. 12, 14 ; Job. 30, 10 (cf. etiam Herod. 1, 99 ; Xenoph. *Cyrop.* 1, 18).

2° *Illuserunt ei* L. sequenti modo : *velaverunt faciem ejus, et percutiebant* eum pugnis, puta in dorso (M. *colaphis eum ceciderunt,*

εκολαφισαν, i. e. proprie *pugnis* ceciderunt), et **palmas in faciem ejus dederunt**: gr. est ῥαπιζειν, quod primarie sign. *virgis caedere*, sed in Scriptura plerumque sign. *palma os caedere, alapam infligere*; illud autem *virgis caedere* solet in N. T. exprimi per ῥαβδιζειν: cf. *Bretschn., *Lex.*

3° Huic 2ae contumeliae addita erat 3a, cum verbis et conviciis eum proscinderent: L. *velaverunt eum* (Mc. *faciem* velaverunt) *et percutiebant caput ejus, et interrogabant eum dicentes* M. v. **68** *Prophetiza nobis,* latine *vaticinare nobis,* i. e. declara tamquam vates, indica nobis divinitus (fl. *zeg ons van Gods wege*), *Christe* (tu, qui te dicis Christum: respiciunt ad ea quae statim ab eo audierant, v. 64), *quis est qui te percussit?* Cogitari potest alios eum antrorsum, alios vero a tergo percussisse. **Ludum** quemdam **inhumanum agunt,** quo se jucunditati tradant tempusque terant: similis est jocus quo pueri se mutuo oblectant. Pro Deus! quae **scena!** vere **nauseam movet.**

4° Tandem L. *alia multa blasphemantes dicebant in eum,* i. e. **maledictis** omnis generis, quae singulatim referre puduit Evangelistas, **eum insectabantur.** Nota *blasphemare,* pro: contumeliosis verbis vexare.

R. ad 2m. Secundum L., ante Synedrium, atque adeo ante condemnationem suam, ista sustinuit Dominus: ille enim Evangelista tradit tribunal mane coactum fuisse; M. vero et Mc. contumelias post condemnationem Jesu, quae nocte accidit, narrant. Hanc ultimam sequimur sententiam, et opinamur eas usque ad mane protractas fuisse, quamvis illud in Evang. non aperte dicatur. Ergo, Salvator noster ab hora circiter 4a noctis (nempe a 2° galli cantu) usque ortum diei, horam circiter $5^1/_2$, crudeli custodum libidini permissus fuit.

R. ad 3m. Is. 50, 6 *Corpus meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus: faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* In hebraeo *Dorsum meum dedi percutientibus, et genas meas vellentibus; faciem meam non abscondi a contumeliis et sputo.* Barbam vellicare maxima erat injuria et contumelia, et adhuc nunc est, praesertim in Oriente, ubi barba res sacra habetur: cf. 2 Reg. 10, 4; Is. 7, 20; barba tangitur ad salutandum 2 Reg. 20, 9 in hebr.

Nullum autem dubium quin vaticinatio ista ad Christum spectet:

imo vero **sensus** ejus **literalis** et directus **videtur esse de Christo;** nam in tota pericopa Is. 50, 4-11 loquitur Servus Jehovae seu Messias, saltem Isaias nomine Messiae verba facit. Equidem sunt, qui putent Prophetam de se ipsum loqui, sed, quum figuram gerat Christi, verba sensu tantum *typico* ad Messiam referri : hoc autem minus probabile est.

Utcumque istud se habeat, **sensus propheticus** illius loci ex comparatione cum aliis Is. capitibus, ubi constat de Messia sermonem institui, satis probatur, v. gr. Is. 42, 1-9; 49, 1-9; 52, 13-53, 12. Deinde L. 18, 31 et 32 ad illud Is. oraculum certe respicitur, quum nusquam alibi in V. T. de sputorum injuria mentio fiat.

Nota tamen oraculum Isaiae eventu confirmatum fuisse, non solum per contumelias Jesu *nocte* illatas, sed etiam per eas quae in supplicio flagellorum spineaeque coronae additae fuerunt. De cetero legatur Reinke, *Die Messian. Weissag., 2r B.*, qui praedictionem illam Messianicam fuse et erudite pertractat.

S. autem Chrys. merito observat **Evangelistarum veracitatem** ex hoc loco demonstrari : « Quia, ait, quae probrosa esse videbantur, cum omni veritate narrant, nihil celantes, non erubescentes, sed gloriam putantes esse maximam, ut revera erat, quod Dominus orbis talia pro nobis passus esset. »

Horrenda nox !

Quam horrenda nox illa, quae ultima erat vitae mortalis, Christo fuit ! Quantum diversa a prima nocte, cum, ipso nato, visi sunt Angeli laeta cantantes, faustaque nuntiantes ! Recogita noctis hujus ultimae eventus acerbissimos : angorem summum in horto, Apostolorum dormitionem eorumque fugam, Judae proditionem, viam captivitatis, injustam damnationem in Synedrio, et praesertim contumelias in aedibus Caiphae. Quales injuriae (acerbae simul et contemptu plenae), a quibus (a vilissimo hominum genere), et cui (Domino coeli et terrae), et quamdiu illatae ! « Quid huic contumeliae par fuerit, ait s. Chrys. ? In faciem illam, quam videns « mare reveritum est, quam in cruce sol videns radios suos occultavit, conspuebant, alapas impingebant, ejus caput percutiebant, insania sua supra modum « abrepti etc. »

Haec in animis nostris scribamus, frequenterque recogitemus, ut contumelias injuste illatas patienter sufferre etiam nos discamus.

Sed historiae ordo Evangelicae postulat ut Jesum paululum relinquamus, atque aliam jam Passionis scenam, salutarem imprimis peccatoribusque saepius proponendam, religiose contemplemur.

SCENA III.

Trina Petri negatio ejusque poenitentia : v. 58, 69-75.

Haec scena ad magni dramatis seriem et expositionem stricte loquendo non pertinet ; potius dicenda est **facti** cujusdam **secundarii narratio.** Sententiam nostram gallice pressius reddere liceat : *c'est un épisode dans le drame, auquel il se rattache doublement, d'abord parce que le fait de Pierre a pour objet le héros de la pièce, Notre Seigneur, et ensuite parce que le dénouement de l'épisode est un acte de Jésus, qui en jetant un regard sur l'Apôtre infidèle le ramène au devoir.*

Q. 753. Concordia et series historica.

Ex locis parallelis colligimus, apud M. et Mc. omnes negationes simul narrari *post* judicium et illusiones, apud L. vero *ante* utrumque, porro apud J. primam negationem ante examen praevium, reliquas post illud. Videtur autem dicendum, duas priores negationes eodem tempore, quo examen et judicium Christi in interiore domo fieret, accidisse in atrio seu in aula sub dio : tertiam probabiliter post condemnatum Jesum, quando hic prima ludibria, quae capitis sententiam secuta sunt, in ipsomet Synedrii cubiculo jam perpessus fuerat, et inde a ministris educebatur, ut in aliquo palatii carcere ulterius vexaretur : quo momento, ut conjicitur, in transitu Petrum aspexit.

Quum autem contumeliae, in palatio Caiphae Jesu illatae, jam incoeptae fuissent, quando Petrus Dominum tertio negavit, secuti sumus M. et Mc., scenamque de illusionibus praeposuimus narrationi negationum Petri. Animadvertimus tamen irrisiones post 3^{m} Petri negationem ejusque poenitentiam (quae circa auroram primam contigit) verisimiliter continuatas fuisse, et certe usque ad mane.

In narrandis singulis circumstantiis Evangelistae inter se differunt paululum. Inde fides historica confirmatur : unusquisque ea sincere refert quae sibi in memoriam veniunt, absque ullo conamine conciliationis cum ceteris. Porro, in exponendis factis quatuor narrationes simul sumemus, et concordiam rerum omnium, etiam minutissimarum, persequemur.

Divisio.

Ut ordo narrationis fiat magis perspicuus, quinque distinguenda sunt rerum capita: I adventus Petri in atrium Pontificis; II prima ejus negatio; III secunda negatio; IV tertia; tandem V ejusdem poenitentia.

P. I. Petrus in atrium Pontificis venit.

Praeced. vide ante q. 739.

M. 26, 58. Petrus autem sequebatur eum a longe, usque in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intro, sedebat cum ministris, ut videret finem. 59 Principes autem etc. *Vide supra ante q. 743.*

Praeced. ante q. 739.

L. 22, 54... Petrus vero sequebatur a longe. 55 Accenso autem igne in medio atrii, et circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum. 56 Quem cum vidisset etc. *Ante q. 755.*

Praeced. ante q. 739.

Mc. 14, 54. Petrus autem a longe secutus est eum, usque intro in atrium summi sacerdotis: et sedebat cum ministris ad ignem, et calefaciebat se. 55 Summi vero sacerdotes etc. *Ante q. 743.*

Praeced. ante q. 739.

J. 18, 15. Sequebatur autem Jesum Simon Petrus, et alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus pontifici, et introivit cum Jesu in atrium pontificis. 16 Petrus autem stabat ad ostium foris. Exivit ergo discipulus alius, qui erat notus pontifici, et dixit ostiariae, et introduxit Petrum. 17 Dicit ergo etc. *Ante q. 755.*

Q. 754. Quid fecit Petrus, postquam captus fuit Jesus, usquedum eum prima vice negavit?

R. Fugit sicut ceteri Apostoli, et, secundum traditionem localem, se occultavit (utrum cum eis, an vero cum solo Joanne, non liquet) in spelunca, quae forte eadem erat quae hodiedum peregrinis ostenditur extra Hierosolymam, prope portam Sionis, ad latus civitatis meridionale (de qua q. 761). Mox autem timore abjecto, inde excurrit, urbem ingreditur, et pergit eo quo magister dilectissimus fuerat abductus. Ecce e longinquo magnum audit strepitum eorum qui Jesum ad Caipham trahunt: eos sequitur **a longe** (1), et

(1) **Petrus amat, sed timet.** *A longe* sequebatur, ne a satellitibus comprehenderetur. S. Ambr. *in Luc.* 22, 54: « Christum, ait, negare non potuisset, si ei proximus adhaesisset. Sed « fortasse et in hoc nobis maxima sit admiratione reverendus, quod Dominum non reliquit, etiam « cum timeret. Metus naturae est, cura [et sequendi studium] pietatis. Alienum [quasi involuntarium] « *est*, quod timet; suum, quod non fugit. » In Petro luctabantur timor et amor: hic amor vicit timorem; sed mox in tentatione gravi timor amorem superavit, cum Petrus Christum negavit. Simile quid ipsi accidit, quando super aquas ambulavit: cf. M. 14, 30 et 31. Pulcherrima comparatio institui potest inter utrumque factum: in utroque enim pellit amor: sed Petrus ventum ibi, hic ancillae vocem timet; mergitur aquis, cadit in peccatum; Jesus manum porrigit, Jesus Petrum respicit etc.

cum eo alius discipulus (J. ὁ ἄλλος μαθητής, secundum probabiliorem lectionem : nota art., quo designatur certus quidam discipulus, a lectoribus cognitus), cujus nomen in Evang. non traditur (1), et ambo veniunt cum tota turba ad domum Caiphae (M. *usque in atrium:* per *atrium* significatur hic palatium, ut probabilius v. 3, siquidem ingressio sequitur) : qua certe in re singularem mirabilemque produnt isti audaciam.

Omnibus autem introeuntibus, Petrus manet ad ostium, sine dubio quia aditu prohibetur, utpote ignotus homo. Alius vero discipulus intraverat, propterea quod *notus* esset *Pontifici* et proinde ancillae ejusdem ostiariae ; videns autem Petrum non adesse, quantumvis cupiat a Jesu non recedere, amici tamen non obliviscitur ; ideoque domum egressus, invenit eum stantem ad januam, et verbulo dicto ad ostiariam introducit eum.

Feminae ostiariae. Custodia portae apud veteres feminis committi solebat : sic Isboseth janitricem habebat (2 Reg. 4, 5 in additamento quod habent 70 et Vulg. : cf. Jos. *Ant.* 7, 2, 1) ; sic Rhode ostiaria certe erat domus Mariae Act. 12, 13. Et Plautus ait (*Curcul.* I, 1, 75) : Anus hic solet cubitare custos, janitrix.

Conjecturae. Sunt qui putent (v. gr. Schuster) Joannem e domo Caiphae recessisse, postquam Petrum introduxisset, ut B. Mariae V. rerum eventus statim nuntiaret. Alii vero opinantur ipsum ad conclave superius, ubi Jesu judicium fiebat, ascendisse, ut mox dicemus. De cetero hae sunt conjecturae.

Itaque **Petrus venit** usque **in atrium** sub dio *(foris,* M. v. 69), nempe in atrium interius (gall. *la cour intérieure,* latine *compluvium)* **domus Caiphae** : in medio autem atrio accensus fuerat ignis, circum quem sedent servi domus et apparitores Synedrii (J. οἱ δοῦλοι καὶ οἱ ὑπηρέται) ad se calefaciendum. (Obiter nota cohortem Romanam ad praesidium, quod erat in arce Antonia, remissam

(1) « Quisnam iste sit discipulus, ait s. Aug. *in J.*, non temere affirmandum est, quia tacetur. » Conjecturas tamen facere licet. Fortasse erat civis Jerosolymitanus, utpote notus Pontifici ; **probabilius erat s. Joannes,** ut censent ss. Chrys. *in Joan.* et Hier. in *Epist Marcellae ad Principiam*: nam ipse solet ita de se loqui in 3ª pers. (cf. J. 19, 26 ; 20, 2, 3, 4 ; 21, 7, 20) ; et alibi passim, tam ante quam post Jesu resurrectionem, Petri socius conspicitur. Porro huic conjecturae favet articulus ὁ ἄλλος μαθητής. Quomodo autem Joannes notus esset Pontifici, nos prorsus ignoramus, neque scire magni refert. Jam vero, hoc posito Joannem ipsum intelligendum esse, addimus, cum s. Chrys., scriptorem nomen suum occultasse, quia rem praeclaram narraret, quod nempe omnibus fugientibus, ipse sequeretur : ergo ex modestia.

fuisse). Dum alter ille discipulus, certe Joannes, in conclave superius, ubi synedrium congregatum erat, fortassis ascendit, ut judicio Jesu intersit (quae quidem conjectura satis veri similis est, quum nihil probet accessum istius conclavis spectatoribus interdictum fuisse) : Petrus sedet *ad ignem* Mc. et L. *in medio ministrorum, ut videat finem* M.

Petrus laude dignus. Ergo huc accedit partim ex curiositate, partim et magis ex amore erga magistrum, nam ipsa certe curiositas ex amore oriebatur; volebat nempe videre quid fieret de Jesu, qui cum Synedristis erat in interiore domo, nempe in conclavi superiore (ideo atrium dicitur *deorsum*, Mc. v. 66), et coram judicibus stabat. Si enim hic damnaretur, per fugam sibi consuluisset Petrus; sin autem absolveretur, ad eum quasi discipulus officiose rediisset. S. Chrys. magnum fervorem in ea agendi ratione Petri laudat. Pariter s. Ambr. cit. p. 939 in nota marg. : pergit ibidem : « Quod sequitur, devotionis ; quod negat, obreptionis ; commune, « quod labitur ; fidei, quod poenitet. » Alii fugiunt, ait s. Hier., iste quamquam procul, sequitur tamen.

P. II. Petrus Jesum primum negat.

Praeced. vide ante q. 752.

M. 26, 69. Petrus vero sedebat foris in atrio : et accessit ad eum una ancilla, dicens : Et tu cum Jesu Galilaeo eras. [70] At ille negavit coram omnibus, dicens : Nescio quid dicis. [71] Exeunte autem illo etc. *Ante q. 756.*

Praeced. ante q. 754.

L. 22, 56. Quem cum vidisset ancilla quaedam sedentem ad lumen, et eum fuisset intuita, dixit : Et hic cum illo erat. [57] At ille negavit eum, dicens : Mulier, non novi illum. [58] Et post pusillum etc. *Ante q 756.*

Praeced. ante q. 752.

Mc. 14, 66. Et cum esset Petrus in atrio deorsum, venit una ex ancillis summi sacerdotis : [67] et cum vidisset Petrum calefacientem se, aspiciens illum, ait : Et tu cum Jesu Nazareno eras. [68] At ille negavit, dicens : Neque scio, neque novi quid dicas. Et exiit foras etc. *Ante q. 756.*

Praeced. ante q. 754.

J. 18, 17. Dicit ergo Petro ancilla ostiaria : Numquid et tu ex discipulis es hominis istius ? Dicit ille : Non sum. [18] Stabant autem servi et ministri ad prunas, quia frigus erat, et calefaciebant se : erat autem cum eis et Petrus stans, et calefaciens se. [19] Pontifex etc. *Ante q. 742.*

Q. 755. Narra 1[m] Petri negationem.

R. Petrus, ut statim dicebam, sedebat *foris*, i. e. non in domo interiore, sed *in atrio* sub dio *deorsum* (atrium erat *deorsum*, habita

ratione conclavium, vel habita ratione vestibuli, e quo per gradus aliquot descendebatur in atrium, Corluy), in medio servorum et ministrorum, sese cum eis calefaciens *ad prunas, quia frigus erat:* interdum *sedebat* M. et L., interdum stabat (*stans* J.), ut fit. Noctes in Palaestina tempore verno ob rorem, qui saepe copiosus tunc est, frigidae interdum sunt. Postquam ligna *igne* consumpta erant, *prunae* certe in vas quoddam aeneum vel fictile, satis largum, congestae fuerunt, sicut in Oriente et etiamnum Romae, ad depellendum frigus tempore hiemali carbones ardentes in cratere magno in aedium vestibulis apponi solent.

Ostiaria autem, *una ex ancillis summi sacerdotis*, quae rogante alio discipulo Petrum intrare permiserat, venit in atrium ut eum *intueatur*, i. e., secundum vim verbi L. ατενισασα, ut eum *intentis oculis* aspiciat, ut oculos intentos in eum defigat. Forsitan suspicio quaedam ei orta fuerat, ideo quod vir ille ignotus instanter petiisset intrandi facultatem ; quae quidem suspicio videtur aucta fuisse ex eo quod Joannes, quem ancilla illa noverat esse Jesu discipulum, pro ipso deprecatus fuisset. Petrum autem bene cernere poterat ista mulier, quia ipse *sedebat ad lumen* L., i. e. facies ejus lumine ignis illustrabatur. Vultum ejus statim agnovit, ideo fortasse quod pallidus esset, terrore tristitiaque consternatus, unde totus corporis habitus magnam animi anxietatem proderet ; vel quia ipsum, simul cum Joanne, in comitatu Jesu olim viderat (erant enim duo illi primarii inter discipulos, et tamquam tales noti, Act 4, 13). Quare ait servis, qui de Jesu inter se loquebantur: *Et* (1) *hic* (digito eum ostendit) *cum illo erat* L. Petrus autem illud negat praecise : *Mulier, non novi illum.*

Tristia Petri verba. S. Chrys. *in Joan.* : « Quid dicis, Petre ? « Nonne dicebas nuper, si oporteret pro illo animam ponere, te « positurum eam ? Quid igitur factum est, ut ne ostiariae quidem « interrogationem ferre possis ? Num miles erat qui sciscita- « batur ? etc. » Possumus addere : Quomodo ? *Non nosti* eum ! Certe eum probe cognoscebas, quando miracula faciebat et turbae multae eum sequebantur ! Eum bene noveras, quando socrum

(1) Nota istud *et* in verbis *Et hic cum illo erat,... et tu ex discipulis es hominis istius :* ergo mulier noverat alterum illum qui Petrum introduxerat esse Jesu discipulum. Hoc animadvertit s Chrys., qui *in Joan.* haec habet : « *Numquid et tu* ideo dicit ostiaria quia Joannes intus erat. »

tuam a febribus sanabat, atque adhuc melius quando te super mare ambulantem manu sustinebat et a voragine salvabat ! Eum libenter agnoscebas, in monte ubi transfiguratus est, semperque cum eo manere cupiebas... Sed nunc, quum sit et in vinculis, et in opprobriis, et in periculis, nunc plane ignoras eumdem ! Eheu ! Petre, vere de mundo es tu, et agendi rationem hominum terrenorum tenes : fortunam sequeris et victoriam, amicus tantum in rebus prosperis !

Petrus in negando audacior. Ancilla autem ista Petro neganti haudquaquam assentitur, sed sese ad eum convertens, jam directe compellat eum J. : *Numquid et tu ex discipulis es hominis istius* (contemptum notat)? Dicit ille *Non sum.* Nondum persuasa, insistit M. et Mc. : *Et tu, cum Jesu* illo *Galilaeo eras*, utique tamquam discipulus (probabiliter eum olim viderat mulier in comitatu Jesu). Jesum autem *Galilaeum* vocat ex contemptu, quemadmodum paulo post alia ancilla eum *Nazarenum* appellavit. At ille hoc etiam negat : *Neque scio, neque novi quid dicas :* quae verba absolutissimae negationis vim habent : non solum non novi hominem illum, sed ne intelligo quidem de qua re loquaris.

Praeclara animadversio s. Aug. *in Joan.* 18, 17 : « Ecce, ait, « columna firmissima ad unius aurae impulsum contremuit. Ubi « est illa promittentis audacia ?... Ubi sunt verba illa quando ait « *Quare non possum te sequi modo ? Animam meam pro te ponam ?* « Hoccine est sequi magistrum, se negare discipulum? Siccine pro « Domino anima ponitur, ut hoc ne fiat, vox ancillae formidetur ? »

Merito quidem indignatur s. Aug., et nos cum illo : sed Petrus graviora adhuc committet peccata, ut jam videbimus.

P. III. Petrus Jesum iterum negat.

Praeced. vide ante q. 755.

M. 26, 71. Exeunte autem illo januam, vidit eum alia ancilla, et ait his qui erant ibi : Et hic erat cum Jesu Nazareno. 72 Et iterum negavit cum juramento : Quia non novi hominem. 73 Et post pusillum etc. *Ante q. 757.*

Praeced. ante q. 755.

L. 22, 58. Et post pusillum, alius videns eum, dixit : Et tu de illis es. Petrus vero ait : O homo, non sum. 59 Et intervallo etc. *Ante q. 757.*

Praeced. ante q. 755.

Mc. 14, 68.... Et exiit foras ante atrium, et gallus cantavit. 69 Rursus autem cum vidisset illum ancilla, coepit dicere circumstantibus : Quia hic ex illis est. 70 At ille iterum negavit. Et post pusillum etc. *Ante q. 757.*

Praeced. p. 1025.

J. 18, 25. Erat autem Simon Petrus stans, et calefaciens se. Dixerunt ergo ei : Numquid et tu ex discipulis ejus es? Negavit ille, et dixit : Non sum. 26 Dicit ei etc. *Ante q. 757.*

Q. 756. Narra 2^m Petri negationem.

Evangelistae conciliandi. Ante notandum est, minutas quasdam esse rerum adjunctarum differentias in quadruplici Evangelistarum narratione. Secundum M. Petrum allocuta est alia ancilla; sed secundum Mc. erat eadem ancilla ostiaria, nam graece est ἡ παιδισκη cum art. Lucas autem innuit fuisse virum, quum pronomine masculino *alius* utatur. Joannes vero rem non definit, cum scribat *dixerunt ei*, gall. *on lui dit*, sed intelligere videtur servos qui stabant ad ignem in atrio. Isti omnes sequenti modo inter se conciliari posse videntur.

Quadruplex narratio in unam conflatur.

Statim ac Petrus Jesum primum negaverat *(post pusillum* L.), statuit inde proficisci, vel ex timore, vel ex pudore et tristitia. *Exit foras* (fl. *naar buiten waart) ante atrium* Mc., i. e. venit in vestibulum, quod erat ante atrium, et per quod transeundum erat ut ex atrio in plateam quis egrederetur; seu, ut M., *cum exisset* (puta, ex atrio) *versus portam vestibuli* majorem, εξελθοντα δε αυτον εις τον πυλωνα, ειδεν κ. τ. λ. (Vulgata minus clare *exeunte autem illo januam)*, igitur cum egressus esset ex atrio interiore et processisset ad *vestibulum* (πυλωνα, a πυλη *porta*, quasi locum ubi erat porta; ergo πυλων differt a θυρα Act. 12. 13, 14), per cujus θυραν in plateam venire volebat: tunc *gallus* primum *cantavit* (1), Mc.; Petrus autem hunc galli cantum certe non advertit. Secunda vel 3^a hora post mediam noctem fuerit.

Cum autem ille gressus dirigit ad portam majorem, et jam advenit in vestibulum, *ancilla* ἡ παιδισκη Mc., probabiliter eadem illa ostiaria, quae eum antea, in atrio, adorta fuerat, quaeque ejus negationibus haud persuasa, semper credebat se eum ut discipulum Jesu agnoscere, videns ipsum proficiscentem, incipit dicere circumstantibus (ministris qui ibi in vestibulo erant): *Quia hic ex illis est* Mc. *Alia ancilla* jam illud ipsum affirmat M., et dein quidam vir, qui audit ancillarum asseverationes, eum directe compellat, dicens: *Et tu de illis es* L.

(1) Rabbini tradunt licitum non fuisse ut **galli** intra Urbis moenia haberentur: hoc autem falsum videtur, ut dicit *De Wette ad h. l.; et pugnat cum aliis Talmudis locis, ut probat *Byn., *De morte J.* Si quis tamen Judaicae isti ineptiae fidem adhibere velit, ei dicemus, gallos, in suburbano rure, v. gr. in valle Cedron prope fontem Siloë, canentes, ab incolis in vicinia, ergo in aula Caiphae inter noctis silentium facile auditos fuisse.

Petrus autem nihil respondet, et sperans fore ut per audaciam loquelas istas sedet, interea revertitur in atrium ad ignem, quo eum sequuntur ex vestibulo qui accusabant eum ; et dum isti constanter inter se repetunt ipsum esse Jesu discipulum, alii stantes ad ignem directe et affirmate rogant J. : *Numquid et tu ex discipulis ejus es ?* Tunc sane tacere amplius nequit miser ille Apostolus ; et, quum magis quam prius accusationibus urgeatur prematurque, fortius etiam et audacius respondendum esse sentit, atque negationi suae **addit juramentum** M., v. gr. Testis est mihi Deus, vel quid simile. Praemisso autem illo jurejurando, dicit ad virum illum qui secum ex vestibulo venerat, *O homo, non sum* L. ; et deinde, ut fit, ad alios se convertens, repetit *Non sum* J., imo *non novi hominem* illum M.

Peccatum crescit eundo. Hic citari merentur s. Greg. verba *Moral.* l. 25 *in Job* 34, 25 : « Peccatum, quod pœnitentia non « diluit, ipso suo pondere mox ad aliud trahit. » Et ad *majus* quidem trahit peccatum, ut jam vidimus in 2ª Petri negatione, et in 3ª negatione, quam nunc exponemus, iterum videbimus : cf. q. 758.

P. IV. Petrus Jesum tertio negat.

Praeced. vide ante q. 756.

M. 26, 73. Et post pusillum accesserunt qui stabant, et dixerunt Petro : Vere et tu ex illis es : nam et loquela tua manifestum te facit. [74] Tunc coepit detestari et jurare quia non novisset hominem. Et continuo etc. *Ante q. 761.*

Praeced. ante q. 756.

Mc. 14, 70. Et post pusillum rursus qui astabant, dicebant Petro : Vere ex illis es : nam et Galilaeus es. [71] Ille autem coepit anathematizare, et jurare : Quia nescio hominem istum, quem dicitis. [72] Et statim gallus etc. Ante q. 761.

Praeced ante q. 756.

L. 22, 59. Et intervallo facto quasi horae unius, alius quidam affirmabat, dicens : Vere et hic cum illo erat : nam et Galilaeus est. [60] Et ait Petrus : Homo, nescio quid dicis. Et continuo etc. *Ante q. 761.*

Praeced. ante q. 756.

J. 18, 26. Dicit ei unus ex servis pontificis, cognatus ejus, cujus abscidit Petrus auriculam : Nonne ego te vidi in horto cum illo ? [27] Iterum ergo negavit Petrus : et statim gallus etc. *Ante q. 761*

Q. 757. Tertia jam Petri negatio narretur.

R. Negatio illa 2ª, quae jurejurando confirmata fuerat, silentium omnibus imposuit, et per *pusillum* tempus M. et Mc., seu potius per spatium *quasi horae unius* L., quietus mansit Petrus in atrio, exspectans quid fieret de Jesu. Verum alia deinde ac saevissima

oritur tempestas : J. *unus e servis pontificis, cognatus* Malchi illius cujus auriculam absciderat Petrus, dicit de eo circumstantibus : *Vere* (quamtumvis iste contendat et juret) *et hic cum illo erat, nam et Galilaeus est* L. Tacet Petrus, certe fingens se non audiisse verba ista. Ideo servus ille, qui faciem ejus agnoscit, accedens et coram eo stans, oculosque in eum defigens, ipsum directe compellat his terribilibus verbis : *Nonne* **ego te vidi in horto** *cum illo ?* J. Nota vim maximam huic inesse interrogationi, singulaque ejus expende verba : *Ego te*, egomet ipse te *vidi*, meis utique oculis, *in horto cum illo ;* ergo te vidi paucis abhinc horis, et in talibus rerum adjunctis, quae neque e tua neque e mea facile excident memoria : te enim vidi ibi gladium vibrantem, virumque mihi probe notum (cognatum meum) graviter vulnerantem.

Respondet autem Petrus nihil cunctatus, ne iste alia addat rerum gestarum adjuncta, neve ulterius exponat quid velit per *vidi in horto*, aut qua ratione nitatur certitudo ejusdem, propter quam tam acriter exclamat *Nonne ego te vidi ?* Apostolus sane timet de istis examen aut disputationem subire : si enim reveletur ipsum esse virum illum qui ibi gladio percussit, quique occidere voluit unum ex Synedrii ministris, haud leve vitae periculum incurret. Ideo concise et non sine audacia negat omnia: *Homo, nescio quid dicis* L.

Simul atque illud audiunt, plures ex astantibus accedunt et confirmant quod cognatus ille Malchi dixerat : *Vere*, aiunt, *et tu ex illis es, nam et loquela tua manifestum te facit* M. Vis est in isto *et*, hoc sensu : praeter rationes quas habet ille te suspicandi, *etiam* loquela te prodit, nempe dialectus qua uteris demonstrat te esse *Galilaeum* Mc., ergo unum ex discipulis istius Jesu. (1)

Tunc ignavus ille Apostolus, ut periculum ingravescens evadat, tertio negat magistrum, et non solum cum jurejurando (sicut altera vice), sed **cum suimetipsius exsecratione** M. et Mc. : *incipit jurare*, pluries (ut innuitur per vocem *coepit*, cf. gall. *il se mit à faire des imprécations contre lui-même ;* cf. supra M. 26, 37 *coepit con-*

(1) In lingua Aramaeo-Palaestinensi **tres** distinguuntur **dialecti,** Jerosolymitana, Samaritana et Galilaea : haec autem ultima rudior ceteris et durior erat. « Unaquaeque provincia et regio, ait « s. Hier., habet proprietates suas, et vernaculum loquendi sonum vitare non potest. » Cf. Jud. 12, 6 *Schibbolelh, Sibboleth.*

tristari), nempe (*et* particula explicativa, non conjunctiva) seipse *detestatur et anathematizat,* se diris devovet ; v. gr. dicens : Hoc faciat mihi et hoc addat Deus, si etc. (1 Reg. 3, 17 ; 14, 44 ; 2 Reg. 3, 35); vel : Male peream, si istum cognoscam !

Atque eousque devenit miser ille Apostolus, peccata peccatis cumulans : at vero culpae eum mox poenituit, ut infra, in puncto V dicemus. Antea tamen pro repetitione, et usu Conferentiarum Ecclesiasticarum, tres circa factum hic expositum adjiciemus quaestiones.

Quaestiones quaedam in tres negationes simul spectatas.

***Q. 758.** Ubinam Petrus negavit magistrum suum ? Declara qua ratione de malo in pejus ipse proruerit, atque indica quaenam commiserit peccata.

R. In domo Caiphae (secundum nostram sententiam), et in atrio quidem istius domus id fecit. Negatio 1ª fuit simplex et nudum **mendacium ;** in 2ª autem mendacio adjunctum fuit **perjurium ;** in 3ª vero praeter perjurium **execratio** et **dira imprecatio :** perseverare quippe in peccato dat scelerum incrementum ; dum cadit quis, eo gravius quo diutius ruit in ima *(dans l'ordre moral, il y a une loi analogue à celle de la chute des graves).*

Itaque plura admisit peccata gravia, pejerando et detestando ; praeterea contra professionem fidei externam deliquit, et noxa quidem mortifera, ut censet s. Chrys.: **non** vero **fidem perdidit** (quod recte docet s. Ambr., quamvis ipse de cetero verba Petri a mendacio vindicare nimium conetur) ; imo vero, **contra fidem interius non peccavit:** quod vel ex solis Christi verbis *Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua* L. 22, 32 colligi posse videtur. S. Leo *De Pass.* 9 : « Vidit in te « (o Petre) Dominus non fidem victam, non dilectionem aversam, sed constanti- « am fuisse turbatam. »

Nonnulli e ss. Patribus, ut ss. Ambr. et Hil., **Petrum nimium excusare voluerunt**, de qua sententia audi s. Hier. : « Scio quosdam pio affectu erga « Apostolum Petrum locum hunc ita interpretatos, ut dicerent Petrum non « Deum negasse sed hominem, et esse sensum : Nescio hominem, quia scio Deum. « Hoc quam frivolum sit, prudens lector intelligit. Sic defendunt Apostolum ut « Deum mendacii reum faciant. Si enim iste non negavit, ergo mentitus Dominus « qui dixerat : *Hac nocte antequam gallus cantet, ter me negabis.* » Igitur videtur Ambr. revera peccare *(materialiter* certe, non *formaliter,* ut aiunt theologi) in hoc quod peccatum Petri, pro quo ille *flevit amare,* ultra veri limites extenuet.

***Q 759.** Undenam et quare Petrus in domum Caiphae venit ? Quis eum introduxit ? Quamdiu in ea mansit ? Quid eum movit ut ex ea egrederetur.

R. vide supra. Quod autem attinet ad temporis spatium quo ibi haeserit, hoc ex quibusdam indiciis computemus necesse est : illuc enim venit simul fere cum Jesu, haud diu post mediam noctem ; ibi vero usque ad galli cantum circa auroram pormansit.

***Q. 760.** Quinam in domo Caiphae vicissim suspicati sunt Petrum esse de discipulis Jesu, et propter quas rationes ?

R. 1° Ostiaria, quae attentis oculis eum contuita erat, et certe meminit se vultum illum inter discipulos Jesu spectasse. 2° Eadem ancilla postmodum suspicionem renovat, eamque sociae cuidam et servis ingerit (q. 756). 3° Unus e servis pontificis, cognatus Malchi, recordatur se Petrum vidisse in horto : quo impellente multi adstantes contendunt eum esse sectatorem Jesu, quia ex loquela ejus patet eum esse Galilaeum.

Sed jam ad praeclaram Petri emendationem laeti properamus.

P. V. Ad aspectum Jesu Petrum peccati poenitet.

Praeced. vide ante q. 757.

M. 26, 74... Et continuo gallus cantavit. 75 Et recordatus est Petrus verbi Jesu quod dixerat : Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras, flevit amare. **27.** 1. Mane autem etc. *Ante q. 765.*

Praeced. ante q. 757.

Mc. 14, 72. Et statim gallus iterum cantavit. Et recordatus est Petrus verbi, quod dixerat ei Jesus : Priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et coepit flere. **15,** 1. Et confestim mane etc. *Ante q. 765.*

Praeced. ante q. 757.

L. 22, 60.... Et continuo adhuc illo loquente, cantavit gallus. 61 Et conversus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini, sicut dixerat : Quia priusquam gallus cantet, ter me negabis. 62 Et egressus foras Petrus flevit amare 63 Et viri qui tenebant etc. *Supra ante q. 752.*

Praeced. ante q. 757.

J. 18, 27... et statim gallus cantavit. 28 Adducunt ergo Jesum a Caipha etc. *Post q. 769.*

Q. 761. 1° Quid contigit statim post 3^m^ Petri negationem, et quid fecit Apostolus? 2° Quomodo deinceps certa emendationis signa dedit?

R. Petro *adhuc loquente, gallus cantavit,* sc. *iterum* ait Mc., qui scripserat Jesum praedixisse *Antequam gallus bis vocem dederit* etc.: itaque intelligitur galli cantus circa primam aurorae lucam, et hora noctis circiter quarta cum dimidia fuisse videtur (1). Solus Mc. de altero galli cantu mentionem facit : quippe erat ipse Petri discipulus, et certe a magistro suo minutissima accuratissimaque rerum adjuncta didicit, ut notat s. Chrys. Jesus autem, qui capitis jam damnatus fuerat et contumeliis servorum permissus, quique perductus fuerat in locum unde Petrum in atrio videre poterat, *se convertit et* **Petrum respexit** eodem momento quo gallus cantavit.

Jesus respexit **exterius** per oculos corporis, et **interius** per impulsum gratiae.

Censet s. Aug. *De gratia Ch.* 1, 45 Jesum respexisse « Non cor-

(1) S. Hier. *in M.* 26, 34 arcanam quemdam et *symbolicam* videt significationem in eo quod Petrus *nocte* peccet, et adveniente *luce* ad bonam frugem se recipiat.

« poralibus oculis,... sed in mente et voluntate;... quia latenter « subvenit, cor tetigit, memoriam revocavit, interiore gratia sua « eum visitavit. » Idem tenet *De cons. Ev.* 3, 6. Hoc autem arbitratur, propterea quod Jesus tunc esset in alio loco quam Petrus, nempe in superiore conclavi, quum Apostolus in atrio deorsum versaretur.

Verum nihil obstat quominus credamus, Christum, post sententiam in Synedrio prolatam, a superiore conclavi abductum fuisse, ut a ministris in atrio deorsum custodiretur usque ad sessionem matutinam, adeoque ipsum prope locum ubi erat Petrus transiisse, vel e loco in quem ductus fuerat potuisse videre Petrum. Ideo s. Augustinum, cui adstipulatur s. Leo *sermo* 9 *de Pass.*, relinquimus, eo vel magis quod absque ratione satis firma a sensu verborum obvio et proprio recedat; potius cum s. Chrys. dicimus, Jesum oculos corporis in Petrum vere conjecisse; simul tamen admittimus Jesum eodem tempore per gratiam respexisse interius, animumque Petri movisse.

Quaenam vero **sensa** in oculis **Jesu** legerit Petrus, poterit quisque facile sibi effingere: sensa utique a/ *tristitiae*, propter inauditam illam primarii discipuli ignaviam, ejusque animum ingratum, imo et inhumanitatem, quum magistrum negasset eo vel ipso tempore quo tradebatur doloribus opprobriisque; sed simul b/ sensa *amoris* numquam extincti, et *miserationis* tenerrimae; tandem etiam c/ sensa *condonationis* plenae atque benignissimae.

Praeclara s. Ambr. verba. Aspectus ille externus, ut statim dicebam, cum interiore Christi gratia conjunctus erat: audi s. Ambr. *in Luc.* h. l.: « **Quos Jesus respicit, plorant** [delictum]. « Negavit primo Petrus, et non flevit, quia non respexerat Domi- « nus. Negavit secundo, non flevit, quia adhuc non respexerat « Dominus. Negavit et tertio, respexit Jesus, et ille amarissime « flevit. Respice, Domine Jesu, ut sciamus nostrum deflere pec- « catum. »

Certa contritionis signa.

Jam vero, Petrus vehementer commotus fuit illo intuitu, et simul *recordatus est verbi quod dixerat ei Jesus: Priusquam gallus cantet, ter me negabis.* Veram perfectamque de peccato admisso

contritionem animo excitavit (1) ; cujus quidem affectus duo dedit signa : a/ occasionem peccati statim deseruit, *Egressus foras ;* et b/ dolorem interiorem exterius prodidit per lacrymas : *flevit amare.* « Non ausus est palam flere, ait s. Chrys., ne per lacrymas « accusaretur. » Forte etiam voluit dolori libere et tranquille vacare totus.

Traditio Jerosolymitana (an vetus ?) speluncam quamdam ostendit (*à l'est de la maison de Caïphe, sur le penchant oriental de la colline de Sion*) tamquam locum quo Petrus se receperit : certe eadem intelligitur de qua q. 754.

Contra Maldonatum.

Secundum opinionem Mald. fecisset constantius et fortius, si, quo loco peccaverat, eodem poenitentiam egisset; et coram quibus Christum se nosse infitiatus erat, eum coram eisdem confessus fuisset, ut negationis damnum repararet. Sed, pergit ille, ita natura comparatum est, ut ibi pudeat agere poenitentiam, ubi peccare non puduit.

At vero, hac in re Maldonato, salva reverentia ei debita, assentiri minime possum ; nihil enim, ut mihi videtur, et contritioni et conversioni Petri defuit ; imo recte se gessit cum locum periculi statim deseruit. Iterum certe arrogantem se ostendisset, si dicta sua coram servis istis retractare voluisset; lapsu didicerat primum omnium *humilem esse* et *suimetipsius diffidere :* ideo eximia ejus in rebus gerendis opera exstitit et imprimis prudentissima, quando *egressus est foras.* Scandalum autem pravi exempli reparavit, non in ipso quidem temporis articulo, quod utrum faciendum sit necne ab adjunctis rerum rationibus pendet, sed postea, cum Jesum coram omnibus, etiam coram Synedrio ejusque ministris, intrepide praedicavit.

Flevit amare M. et L., seu potius *coepit flere* Mc., i. e. **multum diuque flevit** (cf. supra *coepit contristari, coepit jurare*).

Dictio obscura. Verba Marci και επιβαλων εκλαιεν (quae Vulg. et

(1) Ideo canit Ecclesia, in hymno *Aeterne rerum conditor* (Brev. Rom. ad Laudes diei Dom.) « Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit. » Sensus est : hoc (gallo) canente, petra Ecclesiae i. e. Petrus culpam diluit. Fere in omnibus editionibus male interpungitur ille versus, quum sic imprimatur : Hoc, ipsa petra Ecclesiae canente, culpam diluit.

Syrus sumpserunt pro επεβαλε κλαιειν, vel quorum loco Vulg. legit και ηρξατο κλαιειν, ut in Cod. D, *coepit flere*) vario sensu explicantur : vel, *et postquam proruisset*, i. e. cum impetu et festinanter egressus esset, *flevit ;* vel (Fouard) *et cum attendisset*, sc. ad verbum Jesu (proprie, cum mentem ad illud adjecisset), *flevit ;* vel, *cum injecisset* supple *vestem capiti, flevit*, i. e. cum caput obvelasset, quod in dolore facere solebant Judaei (2 Reg. 15, 30 ; 19, 4 ; Jer. 14, 3 ; Ezech. 12, 6). Alias mitto vocis obscurissimae interpretationes.

Venuste s. Bern. (ubi ?) : « **Lacrymae poenitentium vinum « sunt angelorum.** » Guttulae istae sanctae ab angelis in phiala aurea colliguntur Deoque offeruntur.

R. ad 2m. « Qualis, ait s. Chrys. *De poenit. hom.* 5, quantacumque « fuerit lacrymarum vis (in Petro), sermo nullus poterit explicare : « ipse autem rerum exitus manifeste ostendit. »

Petrus totus mutatus. Et re quidem vera, deinceps per totam vitam peccata expiavit, quum amorem erga Jesum singularem constanter ostendit, eidemque fidelem se perpetuo exhibuit, eum naviter praedicavit, multa pro eo laboris molestiaeque genera, et mortem quidem acerbissimam, passus est.

Duo Petri facta in Evang. deinceps narrata.

Primum autem, quod de Petro in Evang. legitur post lapsum, illud est quod J. 20, 2 narratur. Erat die dominico mane, quando Christus ad vitam redierat ; Petrus versabatur cum Joanne (cum *discipulo illo quem* praecipua ratione *amabat Jesus*), in optima certe societate. Experientia doctus, ex iis quae in domo Caiphae acciderant, noverat periculosissimum esse malorum consortium. Jam vero, ad Apostolos illos accurrit Maria Magd., dicens Jesum e sepulcro ablatum fuisse : statim currunt ambo ad monumentum etc. En ardentem Petri amorem erga Jesum.

Adde et aliam historiam in Evang. descriptam, ex qua colligitur sensa Petri prorsus mutata fuisse. Vidimus culpam ejus ante omnia ex nimia confidentia superbiaque ortam fuisse : jam vero, quum J. 21, 15 a Jesu interrogatur *Simon Joannis, diligis me plus his ?* etc., quam modeste, quam timide, quam humiliter respondet ! Cf. q. 980.

Duo alia, vix alleganda. S. Clemens (vide Mald.), seu potius

auctor homiliarum Clementinarum, notat adeo poenituisse Petrum, ut per totam deinceps vitam, singulis noctibus, audiens galli cantum, in genua procideret, amaras funderet lacrymas, et peccati, licet jam remissi, iterum veniam a Deo et Christo flagitaret. Nicephorus (sec. 14), l. 2, c. 37, cum faciem Petri describit, dicit *oculos ejus quasi sanguine respersos et nigros* fuisse, quod, secundum quorumdam conjecturam (satis incertam, ut mihi videtur), ex ejus assiduo ploratu ortum fuisse videtur.

Q. 762. Quomodo **veracitas Evangelistarum confirmatur** ex eo quod omnes referant lapsum Petri ?

Resp. Animadvertisse juvat, lapsum Petri, Ecclesiae coryphaei, ab omnibus et singulis Evangelistis narrari, quamvis series rerum, quae ad cruciatus Domini spectant, inde interrumpatur ; quod sane sapienti Dei eos afflantis et inspirantis consilio factum esse dicendum est. Inde enim 1° saluberrima salutis hauriuntur documenta, ut statim ostendemus in q. seq. 2° Inde quoque *veracitas* scriptorum sacrorum, qui omnia ingenue referunt, etiam ista quae causae suae et Ecclesiae principi minus favere videntur, maximopere confirmatur. Si facta confingere voluissent, talem certe heroibus suis adscribere studuissent perfectionem, qualem cogitatatione tantum quis assequi possit (gall. *un idéal*). Historia s. Petri, nunc fidenter gloriantis et paulo post graviter prolabentis, miram cordis humani notitiam prodit.

Restat ut, antequam ad Jesum orationem reducamus, moralem quemdam obiter adjiciamus tractatum, concionatori sacro haud supervacaneum : nempe circa materiam summopere utilem, saepiusque populo proponendam : **trois canevas de sermons très-pratiques.**

ASCETICA ET HOMILITICA ACCOMMODATIO.

Causae lapsus Petri, et dotes poenitentiae ejus.

Q. 763. Quaenam fuerunt **causae lapsus** Petri ?

R. Tres praecipuae fuerunt lapsus causae :

1° **Neglectum sanctae precationis studium** (M. 26, 40), atque animi tepor inde secutus ; cujus quidem teporis indicium vel saltem signum erat, quod Jesum sequeretur *a longe:* « A longe sequebatur, qui Dominum erat negaturus », ait s. Hier. ; et s. Ambr. *in Luc.:* « Neque enim negare potuisset, si Christo proximus « adhaesisset. »

2° Praesertim **temeraria confidentia** in propriis viribus (q. 693) : obiter nota s. Joannem, qui nulla hujusmodi arrogantiae superbiaeque testimonia in ultima coena dederat, in peccatum non cecidisse, sicut Petrum : ideo putem hanc causam 2ᵐ omnium principem fuisse. Eo vel magis quod ex eadem orta sit tertia, sc.

3° **Occasio** ultro admissa, imo **quaesita :** *Qui amat periculum*, ait Eccli. 3, 27, *peribit in illo ;* aliis verbis, tentatiõ, cui Apostolus sese exposuit absque sufficienti ratione : nam illuc venerat ex amore quidem Jesu, sed partim tamen ex curiositate, *ut videret finem*. Hanc autem 3ᵗⁱᵃ causam possumus etiam sequenti modo designare : **consortium pravum** quod Petrus non devitavit. S. Ambr. *in Luc.* l. 10, n. 75 : « Ubi, ait, negat Petrus ?... In praetorio Judaeorum,... ubi difficilis innocentia. » Et ib. n. 89 : « Didicit cavere alloquia perfidorum. » Ven. Beda *in Mc.* 14, 72 : « Quam nociva, exclamat, pravorum colloquia ! Petrus ipse inter infideles, vel « hominem se nosse negavit, quem inter condiscipulos jam Dei Filium fuerat « confessus ! » Equidem s. Joannes periculo se etiam exposuit ; sed ipse non dicitur venisse *ut videret finem* ; deinde in praesentia Jesu, in superiore conclavi, per totum tempus probabiliter mansit.

Q. 763bis. Cur Deus lapsum Petri permisit ?

R. In **duplicem** praesertim **finem** illum permisit.

1° **In bonum ipsius Petri,** ut hic a/ propriam expertus infirmitatem, suis viribus non amplius confideret, sed humilis et modestus ope divina tantum niteretur ; deinde b/ ut disceret misericordia moveri in aliorum miserias et imbecillitatem, atque adeo peccatores cum benignitate excipere : Pontifex enim talis esse debet *qui condolere possit iis qui ignorant et errant, quoniam et ipse circumdatus est infirmitate* Hebr. 5, 2.

Utrumque autem, et animi modestia et benignitas, eo magis necessarium erat Petro, quod ipse futurus esset **caput Ecclesiae**, et pontificum Pontifex. Oportuit ut, qui suprema ligandi atque solvendi polleret potestate, prius in semetipso et vinculorum acerbitatem et solutionis beneficium gustaret. S. Greg. *Hom. in Ev.* 21, 4 : « Ut is qui futurus erat pastor Ecclesiae, in sua culpa disceret qualiter aliis misereri debuisset. »

2° Tum etiam **in bonum nostrum,** ut nos tanti lapsus tamque eximiae poenitentiae exemplum doceremur. « Etiam lapsus sanctõrum, ait s. Ambr. (in h. l. « Lucae), utilis est : nihil mihi nocuit quod negavit Petrus, profuit quod emen- « davit. Didici cavere alloquia perfidorum. » Et non hoc tantum, sed alia multa inde didicimus : etenim miserrimus ille casus docet nos

a/ Propriis viribus plus aequo tribuendum non esse, vel, ut ait Christus, *carnem* esse *infirmam,* nosque *sine Jesu nihil posse* ;

b/ Animam ad tentationem vigilanter esse praeparandam, praesertim per sanctam precationem ;

c/ Fugiendum esse improborum consortium et colloquium, ut dicebat s. Ambr. modo cit. ;

d/ « Peccatum, quod poenitentia non diluit, teste s. Greg. *Moral.* l. 25 *in* cap. « 34 *Job*, n. 22, ipso suo pondere mox ad aliud trahere » (cf. etiam ejus Hom. *in Ezech.* 3, 20) ;

e/ Per *virtutem ex alto,* i. e. per acceptum Spiritum s., hominem prorsus immutari, animique debilitatem in maximam converti fortitudinem. Petrus enim sine Spiritu s. voci ancillae cessit, cum Spiritu s. nec principes nec reges timuit.

f/ Inde tandem monemur non desperandum esse umquam, quantavis sit infirmi-

tas nostra, quantacumque sint nostra peccata : possumus, post lapsum, resurgere et ad altum virtutis culmen ascendere. Etenim Deus peccatum Petri permisit, ut « in Ecclesiae principe remedium poenitentiae conderetur (s. Leo, *De Pass.* 9). » Et re quidem vera, ejus poenitentia nos ad imitationem provocat, ut nunc dicemus in quaest. seq.

Dotes poenitentiae.

***Q. 764.** Per quas praesertim *dotes* sese commendavit Petri poenitentia ?

R. Per **sex dotes** praecipuas imitationi nostrae commendatur :

a/ Fuit vera et sancta, utpote supernaturalis, tum in causa, quum in se ipsa : hinc enim, ex motu et impulsu divinae gratiae orta est (respexerat Jesus) ; illinc vero, doluit Petrus de injuria et tristitia quas per peccatum Domino intulerat.

b/ Fuit prompta, minime dilata : *statim* ut Jesus respexit, Petrus se emendavit.

c/ Prudens fuit, in eo quod Apostolus, ut peccatum caveret, pericula devitavit: *egressus foras*.

d/ Vehemens fuit et generosa : *flevit amare*.

e/ Efficiens seu actuosa : nam Petrus per innumera sanctitatis opera culpam deinceps reparavit, atque ita sinceritatem conversionis suae demonstravit : haec est enim vera poenitentia, quae vitae emendatione continetur atque efficitur.

f/ Tandem fuit perseverans usque ad finem vitae, quam martyrii gloria coronavit.

Transitio. Vixdum *factus fuit dies* L., cum Synedristae *confestim* Mc. sese accingunt ad pessimum facinus consummandum, per hoc nempe quod captivum ad tribunal Romani Procuratoris adducant (ubi actus 3^s^ dramatis nostri perficietur) : sed antea examen et judicium nocte habitum, *propter formam* ut dicimus, renovare debent. De hoc nunc agendum, in capite quodam supplendi causa adjecto (*point supplémentaire*).

Appendix ad hanc 2^m^ Passionis partem.

SYNEDRIUM MANE RURSUM CONVENIT, ET JUDICIUM NOCTE HABITUM CONFIRMAT : 27, 1.

a. SYNEDRIUM MANE CONVOCATUR.

Praeced. vide ante q. 761.

M. 27, 1. Mane autem facto, consilium inierunt omnes principes sacerdotum et seniores populi adversus Jesum, ut eum morti traderent. 2 Et vinctum adduxerunt eum etc.

Post q. 769.

Praeced. ante q. 761.

Mc. 15, 1. Et confestim mane concilium facientes summi sacerdotes, cum senioribus, et Scribis, et universo concilio, vinculentes Jesum, duxerunt etc.

Post q. 769.

Praeced. ante q. 752.

L. 22, 66. Et ut factus est dies, convenerunt seniores plebis, et principes sacerdotum, et Scribae, et duxerunt illum in concilium suum, dicentes etc.

5. Judicium Jesu nocte habitum renovatur.

L. 22, 66... Dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. 67 Et ait illis: Si vobis dixero, non credetis mihi: 68 si autem et interrogavero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. 69 Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei. 70 Dixerunt autem omnes: Tu ergo es Filius Dei? Qui ait: Vos dicitis, quia ego sum. 71 At illi dixerunt: Quid adhuc desideramus testimonium? ipsi enim audivimus de ore ejus. Cap. 23, 1. Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt etc. *Post q. 769.*

Q. 765. An Jesus apud Caipham **bis** damnatus fuit?

Sunt qui putent (Mald., post s. Aug. *De cons. Ev.* 3, 7) apud Caipham unicum tantum judicium contra Jesum institutum fuisse: nimirum contendunt nocte nihil aliud peractum fuisse, quam examen illud praevium quod Joannes narrat, et forte testium auditionem, quam breviter commemorant M. et Mc. Quum autem Jesus nihil responderet ad testimonia prolata, quippe quae convenientia non essent, vel mera amphibolia niterentur (*Possum destruere templum* etc.), abruptum fuisse judicium et translatum usquedum mane fieret. Interea temporis, per reliquum noctis spatium, Jesum ignominiosissime tractatum fuisse. Ut autem factus est dies, iterum convenisse Synedrium: tunc rogatum fuisse a Jesu utrum se Christum diceret; et quum affirmasset, capitis damnatum fuisse tamquam blasphemiae reum.

Haec autem sententia auctoritate s. Lucae fulcitur, qui examen ita narrat, ut mane factum fuisse videatur. Sed alteram praefero sententiam, quia M. et Mc. aperte dicunt Jesum illusum fuisse, postquam mortis damnatus fuerat; ergo in examine per noctem sententia capitalis jam lata fuerat.

Q. 766. Dies omnium maximus. *Ut factus est dies* L. Jam lucescit dies ille magnus, quo major non fuit neque umquam erit, ideo quod hinc quidem pessimum omnium scelus perpetratum fuerit, illinc vero praestantissimum omnium beneficium hominibus simul collatum fuerit; adeoque et **malitia** summa et summa **caritas** uno eodemque die in orbe terrarum vim suam exseruerunt omnem.

Festinatio illegitima. *Confestim mane* Mc.: hora circiter

5ª cum dimidia. « Cerne sollicitudinem sacerdotum in malum (s. Hier.) » ; imo diligentiam vere *diabolicam* atque *infernam* (si ita loqui fas est) : *Veloces pedes eorum ad effundendum sanguinem* (Is. 59, 7 ; non Ps. 13). Hora judicii consueta erat tertia (nostra 9ª matutina), ut constat ex Maimonide ap. *Lightf. *Hor. hebr.* ad Mc. : sed fere omnes legitimi juris normae et regulae hic fuerunt praetermissae.

Q. 767. Ubinam congregatum fuit Synedrium mane ?

Duxerunt L. *ανηγαγον*, proprie, secundum vim verbi etymologicam, *sursum duxerunt,* in locum superiorem, in conclave illud magnum, quod in parte domus superiore, sub tecto plano, esse solebat, et in quod Synedrium convenerat (*αναγειν* tamen posset simpliciter significare *adducere*). Conclave autem illud non intelligitur *Gazith*, quod coetibus Synedrii specialiter destinatum erat, sed erat **in palatio Caiphae,** ut novimus ex J. 18, 28 *Adducunt Jesum a Caipha in Praetorium.* Sunt qui putent capitis sententiam *ipso facto* invalidam fuisse, quotiescumque extra *Gazith* ferebatur, secundum *Abod. Zar.* c. 1, f. 8, 1. Olim forte res ita se habebat, verum ab eo tempore quo jus gladii Judaeis ereptum fuerat (4 annis ante necem Jesu) Synedrium in istud solemne cubiculum non amplius convenit : *Sanh.* f. 24, 2 ; *Abod. Zar.* f. 8, 2.

Ut eum morti traderent, M. : id probe notemus : non volunt causam retractare, et videre utrum omnia secundum jus et aequitatem acta fuerint nocte ; multum abest, conveniunt tantum ut deliberent de morte Jesu inferenda, scil. qua ratione perficiant tandem quod a multo jam tempore fixum statutumque est in mente eorum.

Jesus in concilio stans, vinculis, quibus hactenus, ut videtur, adstrictus fuerat, solvitur, ut ficta quaedam ei libertas in defensione concedatur : hoc concludimus ex eo quod M. 27, 12 et Mc. in loco parall. dicant eum vinculis ligatum fuisse antequam ductus fuerit ad Pilatum.

L. *Si tu es Christus :* nunc ab universo concilio fit ista inquisitio, quemadmodum et illa *Tu ergo es Filius Dei ?* Nocte vero utrumque a Caipha petitum fuerat.

His autem prooemii loco notatis, circa synedrium illud matutinum duo sunt examinanda :

Q. 768. 1° Quare Synedrium mane fuit rursum congregatum, cum de nocte Jesus jam capitis damnatus fuisset? 2° Quid in eo actum fuit?

R. ad 1m. Plures afferri possunt rationes :

1° Quia, secundum praescriptiones id temporis apud Judaeos vigentes (cf. Thalm. Sanhedr. IV, 1), licitum non erat ante auroram causas capitales decernere. Ergo senatores speciem quamdam legitimi judicii sententiae suae conferre volunt.

2° Synedristae etiam deliberare cupiebant quomodo sententiam ad effectum perducerent (1); nempe, quorum criminum Jesum accusarent apud procuratorem Romanum, ad quem solum spectabat ultimo supplicio reum afficere : ea enim tempestate Judaeis ablatum jam erat jus gladii : J. 18, 31. Facile intelligebant coram Pilato, viro ethnico et Romano, haudquaquam sufficientem fore accusationem illam de nomine *Filii Dei* a Jesu assumpto. Itaque haud improbabile est accusationes illas, quae postmodum ad Procuratorem delatae fuerunt, in hac sessione antelucana jam fuisse excogitatas et praeparatas.

3° Forsitan aberant quidam judices in coetu nocturno ; ideo mane plenissimum convocatur concilium (M. *omnes*, Mc. *universo concilio*).

Iteratur judicium nocte habitum.

R. ad 2m. Examen et judicium noctu habitum paucis fuit repetitum, fortasse ut judices viderentur inhaerere optimae illi regulae quam Judaeorum magistri tradunt : *Beatus judex qui fermentat judicium suum* (Gem. Sanh. 1).

Primum itterrogant Jesum : *Si tu es Christus dic nobis*. Hic autem respondet cum mira solertia et intrepiditate, ostendens quaestionem illam non animo discendi veritatem, sed propter solam *formam* (ut aiunt) et ficta aequitatis specie, positam fuisse ; igitur satis innuit se in antecessum et *a priori* damnatum esse, ideoque judicium hoc esse plane iniquum. *Si*, inquit, *vobis dixero* me esse Messiam, *non credetis mihi ; si autem* non solum id affirmem, sed *etiam*, ut hoc

(1) Judaei, cum uno eodemque die, quo judicium instituatur et sententia feratur, supplicium capitale perficere velint, iterum peccant contra leges tunc apud eos vigentes : nam Thalmudici (Sanhedr. IV) jubent ut executio saltem in diem sequentem differatur.

demonstrem, vos *interrogavero*, puta de locis Scripturae Messianicis, de miraculis meis etc., *non respondebitis mihi, et*, quamquam ex ipso vestro silentio patebit me innocentem esse, *non dimittetis* (Haec ultima verba *mihi neque dimittetis* nonnullis videntur glossema : desunt enim in B L). Attamen, pergit, non tacebo, neque negabo quod interrogatis, etsi jure ac merito id facere possim : *Ex hoc*, deinceps, *erit Filius hominis sedens*, ego sedebo, *a dextris virtutis Dei* (vide supra ad M. 26, 64).

Per haec verba Jesus se Messiam declarat manifesto : volunt tamen confessionem elicere magis distinctam ; ideo dicunt *omnes :* **Tu ergo es Filius Dei ?** Et ecce, nunc absque ullis ambagibus illud affirmate asserit : *Vos dicitis quia ego sum*, i. e. (cf. ann. M. 26, 25) **Ego sum.** Quo audito, confestim concludunt (ut in coetu nocturno fecerant), eum amplius examinandum non esse : *Quid*, exclamant, *adhuc desideramus testimonium ? Ipsi enim audivimus de ore ejus.* Itaque aperte **blasphemavit** et poena capitis afficiendus est.

Statim ei rursum imponunt vincula, quae, ut diximus, inter examen et judicium ablata fuerant : M. 27, 2 *Vinctum* (δήσαντες) *adduxerunt eum* etc., i. e. cum ligassent eum etc. Pariter Mc. 15, 1 *vincientes*, δήσαντες in aor.

Atque ista quidem Evang. verba *Adduxerunt eum et tradiderunt Pilato* alteram in historia Jesu patientis partem jam indicant : de ea deinceps dicamus necesse est.

TERTIA PASSIONIS PARS,

SEU 3ª SACRI DRAMATIS ACTUS.

JESUS APUD PILATUM: 27, 2 — 31 b.

Argumentum generale hujus 3ae partis.

Accedimus ad mediam dramatis partem, et exspectatio nostra erigitur. Nodus luctuosissimi dramatis nunc denique solvetur, et immutabili quidem ratione, per condemnationem Jesu a supremo judice latam : verumtamen id non tam facile perficietur, quam ex actu praecedenti prospici aut conjici posse videatur; utique, capitis damnabitur rursum Servator, sed postquam Pilatum inter et Synedristas diu acriterque pugnatum fuerit. Inde fit ut, quo longius progrediatur divina haec tragoedia, eo magis intimiusque affectus nostros commoveat, atque mentem nostram alliciat vehementius.

Divisio in tres scenas. Tres, ut supra q. 698, 2° diximus, distinguemus scenas : **in 1ª** judex reum examinat, et declarat eum innocentem esse : ita praeparatur, et quasi eminus ostenditur luctatio pertinacissima, quae **in 2ª** scena describetur. Porro **in 3ª** scena, post ultimos quosdam Pilati jam devicti steriles conatus, qui videntur motus inutiles viri jam sub inimicorum pedibus prostrati, tandem colluctatio absolvitur, atque effectum consequitur fatalem, per sententiam capitis contra Jesum prolatam.

Duo autem narrationis capita praemittimus, quae 1ae scenae proludunt : 1° Jesus ad praetorium ducitur, et 2° Judas terribilissimam sceleris poenam luit : hoc vero ultimum obiter inseritur *(comme un épisode)*.

De cetero, pro majore rerum omnium perspicuitate, seriem factorum breviter indicamus in q. seq.

Series factorum secundum ordinem temporis.

Q. 769. Praecipua rerum capita, quae spectant ad historiam Jesu coram Pilato, ordine temporis enumera.

R. Jesus ad Pilatum ducitur, qua occasione inscritur narratio de fato Judae : haec duo sunt capita praevia.

Scena 1ª : Jesus, coram Pilato accusatus, primum examinatur et innocens declaratur. Posthaec ad Herodem mittitur et mox redit ad Pilatum : hoc autem factum ut appendix 1ae scenae haberi potest.

Scena 2ª : Pilatus contra Synedristas strenue luctatur ut Jesum liberet. Hunc in finem, 1° facultatem populo concedit ut Jesum inter et Barabbam eligat, 2° jubet Jesum flagellari (huic autem flagellorum tormento alterum annectitur, cum Jesus spinis coronatur et illuditur), 3° atque eum cruore perfusum miserationi Judaeorum exhibet *(Ecce homo)*.

Scena 3ª : Pilatus Jesum denuo interrogat, eumque tandem, post ultimos reluctantiae conatus, ad crucis supplicium condemnat.

1m PUNCTUM PRAEVIUM.

Jesus ad Pilatum ductus : 27, 2.

Praeced. vide ante q. 765.

M. 27, 2. Et vinctum adduxerunt eum, et tradiderunt Pontio Pilato praesidi. 3 Tunc videns Judas etc. *Ante q. 775.*

Praeced. ante q. 765.

Mc. 15, 1... Vincientes Jesum, duxerunt et tradiderunt Pilato. 2 Et interrogavit eum Pilatus etc. *Ante q. 781.*

Praeced. ante q. 765.

L. 23, 1 Et surgens omnis multitudo eorum, duxerunt illum ad Pilatum. 2 Coeperunt etc. *Ante q. 781.*

Praeced. ante q. 761.

J. 18, 28. Adducunt ergo Jesum a Caipha in praetorium. Erat autem mane : et ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha. 29 Exivit ergo Pilatus etc. *Ante q. 781.*

Ergo adducunt Jesum ad Pilatum, sed, ut mox videbimus, « Executorem magis saevitiae quam arbitrum causae exquirunt. « Offerunt enim Jesum duris nexibus vinctum..., clamoribus « praedamnatum, ut inter tot praejudicia, quem omnes velint « perire, non audeat Pilatus absolvere (s. Leo, *De Pass.* 8). »

Ordo rei tractandae. **Quatuor** sunt **quaestiones** praecipuae hic exponendae : 1° quare Jesus jam damnatus Pilato judici tradatur. 2° Notitiae quaedam de Pilato, et praetorio ejus, ad pleniorem historiae intelligentiam praemittendae sunt. 3° Quam ob causam Judaei praetorium ingredi noluerint ; hac occasione 4° inquiritur utrum Judaei eodem die quo Jesus Pascha tunc celebraverint : sed

hanc ultimam quaestionem rejicimus ad calcem, in Append. IV, Excurs. 45, q. 1170.

A. Quare Jesus Pilato traditur ?

Q. 770. Quare Judaei Christum, jam examinatum et damnatum, non ipsimet summo supplicio mulctarunt, sed interficiendum tradiderunt Pilato, Procuratori Romano ?

R. Ratio prima et praecipua ea est quae latet in ipsis Judaeorum verbis J. 18, 31 *Nobis non licet interficere quemquam.* Igitur Jesum Pilato tradiderunt :

1° Quia id temporis potestas vitae et mortis ipsis ablata fuerat a Romanis ; ideoque examen et judicium causae capitalis, quemadmodum sententiae prolatio et executio, ad Procuratorem spectabat : cf. infra q. 1032 et 781.

2° Et certe, in hoc casu Romanorum praeceptis libenter obsecuti sunt, atque avide amplexi sunt occasionem Jesum Pilato tradendi, ut invidiam injustae occisionis declinarent, crimenque postmodum, si opportunum videretur, in Romanos rejicerent. Cf. s. Aug. *in Joan.* 114. « Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem « refundere volebant (s. Aug. *In Ps.* 63, 4). »

3° Praeterea, sperabant fore ut condemnatio Jesu omnibus videretur manifestius justa et legitima si non solum a magno Synedrio, sed etiam a Procuratore Romano, qui a partium studio alienus censendus erat, fuisset decreta. « Volebant, ait s. Chrys. *in M.* 26, « 66, malam illi parere famam. »

4° Addi potest, ipsis notum fuisse, mortem quae a Pilato statueretur certius esse inferendam, omnemque populi tumultum, si oriretur, vi atque efficientia majore comprimendum esse. Dixerant enim M. 26, 5 *Non in die festo, ne forte tumultus fieret in populo.* Timebant certe ne inter peregrinos, occasione Paschatis numerosos, multi essent, praesertim e Galilaea, qui Jesu faverent.

5° Vespere illius diei *Pascha manducare* debebant, J. 18, 28 : vel *Pascha proprie dictum* (in sententia eorum qui putant Jerosolymitanos isto anno non eodem die quo Christum Pascha celebrasse), vel *victimas Paschales*, quales edebantur per 7 dies festos (in sententia altera, cf. q. 774) : atqui profanatio quaedam fortasse fuisset

in hoc quod paucis horis antea hominem extremo supplicio affecissent.

6° Tandem suspicari possumus Judaeos, cum Jesum Pilato traderent, etiam hoc adductos fuisse consilio, ut **supplicium crucis,** omnium gravissimum, quod secundum legem Mosaicam cuipiam irrogare nefas erat, Salvatori inferretur (De poenis lege Moysis statutis cf. q. 1177). Haec autem conjectura haud leviter confirmatur ex eo quod Judaei tam sponte tamque obstinate clamaverint *Crucifige eum, crucifige eum.*

Obiter animadverte, cum s. Cyr. *in Joan.* 18, Deum a Judaeis repetiisse poenam talionis, quum eos etiam Romanis tradiderit, fere 40 annis postea, quando Titus urbem Jerusalem expugnavit et destruxit.

B. De Pilato et de praetorio.

a. Pilatus quis et qualis.

Q. 771. Quis erat Pilatus? Quo munere fungebatur? Ubinam erat ejus sedes fixa et stabilis? Qua de causa tunc versabatur Hierosolymis? Quibus saevitiis antea jam offenderat Judaeos, Caesarisque iram in se excitaverat? Tandem indolem ejus paucis describe.

R. **Pontius Pilatus** erat **Procurator** (1) Romanus, Judaeae et Samariae praefectus: haec enim regio, postquam Imperator Augustus, a 6 aer. Dion. (ergo, quando Jesus 10 annos habebat) ethnarcham Archelaum dignitate spoliasset, adjecta fuit Provinciae Syriae, cum hoc privilegio, ut a Procuratore speciali, qui propraetori Syriae esset quidem subjectus, sed ampla tamen potestate, et imprimis Jure gladii, gauderet, gubernaretur.

Pilatus autem erat jam 6ˢ Procurator (non autem *quintus*, ut ait *De Wette in M. 5ᵉ Aufl.*), successor Valerii Grati (Jos. *Ant.* 18, 2, 2), et a sex ferme annis munere illo fungebatur. Post regimen decem annorum magistratu exutus fuit, eodem anno quo Tiberius Imperator mortuus est (2).

Ipse etiam, sicut decessores, Caesareae, in civitate ad litus maris Mediterranei sita (videsis tabul. geogr. huic operi praemissam), sedem fixam habebat. Hierosolymis vero tunc versabatur, quia solebant Procuratores cum militibus eo venire ibique commorari per dies festos majores, et imprimis per octo Paschatis dies, ut tumultus, qui inter Judaeos hac occasione undique confluentes saepissime oriebantur, impedirent vel vi armisque compescerent.

---

(1) **Procuratur** proprie dicebatur, teste Tac., in loco celeberrimo de saevitia Neronis adversus Christianos (*Ann.* 15, 44): « Vulgus, ait, Christianos appellabat. Auctor nominis ejus Christus, « Tiberio imperitante, per *procuratorem* Pontium Pilatum supplicio affectus erat. » Matthaeus autem qui scribit pro Judaeis Pilatum semper vocat *praesidem*, ἡγεμονα, quod nomen minus proprium est, sed forte magis usitatum inter Judaeos.

(2) Mislin: per 11 annos gubernavit, et duobus annis post mortem Christi a Vitellio, praeside Syriae, destitutus fuit.

Idem vero Pilatus odium offensionemque Judaeorum jam pluries incurrerat, atque ideo ab Imperatore Romano, ad quem Judaei querelas suas detulerant, reprehensus fuerat. Quatuor praesertim facta juvabit indicare :

Pilatus antea jam male egerat.

1° Teste Jos. *Ant.* 18, 3, 1, et *B. J.* 2, 9, 3, milites Hierosolymam misit cum vexillis in quibus effigies Imperatoris erat ; quum autem Judaei, ex nimia quasi idololatriae formidine, in urbe sancta nullas admitterent imagines, Pilatum adierunt Caesaream, suaque pertinacissima postulatione tandem impetrarunt ut vexilla ista auferrentur.

2° Postea (Philo, *ad Caium* 38) scuta Tiberio consecrata in palatio Herodis appendere jussit ; ast Judaei, quum scutorum inscriptiones idololatriae suspectas haberent, apud Imperatorem reclamarunt, et Pilatus a Tiberio reprehensus fuit, iterumque Judaeorum voluntati cedere debuit.

3° Alia vice (Jos. *Ant.* 18, 3, 2 et *B. J.* 2, 9, 4) thesaurum Templi adhibuit ad aquaeductum extruendum, et seditionem populi inde commotam crudeliter compescuit, magna tumultuantium strage facta.

4° Addere possumus id quod narratur L. 13, 1, Pilatum sanguinem quorumdam Galilaeorum cum sacrificiis eorum miscuisse : eos nempe fecit occidere in templo, et, ut videtur, in atrio quidem sacerdotum, ubi fiebant sacrificia. — *Nota.* Si illud ultimum admittatur, et sanguis Galilaeorum dicatur vere mistus fuisse cum sacrificiis, ponendum erit viros istos in atrium omnium interius, quod solis ministris sacris patebat, confugisse cum a militibus impeterentur.

Ista omnia historiam Jesu patientis praecesserunt. **Postmodum** vero (Jos. *Ant.* 18, 4, 1) perturbationem in Samaria exortam crudeli violentia exstinxit ; ea de re accusatus apud Praesidem Syriae, ipso jubente Romae causam dixit, et **damnatus** fuit **ad exilium** : videsis infra q. 817.

Q. 771[bis]. Pilati indoles.

Scepticus vir. Quod autem ad indolem ejus attinet, quum e classe equitum procul dubio esset, talis cogitandus est vir, quales eo tempore inter Romanos divites et corruptos multi reperiebantur : igitur homo rebus secularibus et honoribus totus deditus, artibus politicis maxime studens, parumque de veritate, aut religione, aut altera vita curans (*une espèce de sceptique et de Machiavéliste*) ; quod quidem vel ex verbis ejus *Quid est veritas ?* colligi posse videtur, ut dicemus q. 784.

Animo debilis. Ipsi quoque deerat vera animi firmitas ac virilitas, qua perficeret quod aequitas dictabat, quodque ipsiusmet conscientia atque interna persuasio jubebat : quamobrem in causa Jesu Judaeis ignava ratione cessit, et, postquam reum pluries declaraverat innocentem, non erubuit eumdem flagellis caedere crucique affigere. Rectissime igitur in Const. Apost. V, 14 vocatur *ανανδρος*, *ignavus*, nomine *viri* indignus.

Crudelis, saltem ex timore et politica ratione. Multa etiam, variis in rerum adjunctis, crudelitatis haud exiguae indicia dedit, praesertim in Passione Christi ; quamvis tamen natura sua inhumanus aut injustus non esset : invitus enim Jesum ad crucem damnavit multosque adhibuit conatus ut ipsum liberaret, et serio quidem justitiae sensu id fecit ; imo post flagellationem, cum ait *Ecce homo !* misericordia commotus videtur. Nihilominus culpae gravissimae obnoxius dicen-

dus est, quum proprii commodi studio, ut sibimet provideret, gratiamque Caesaris aut munus Procuratoris non amitteret, nefando sceleri se consociaverit. Hoc tamen addi debet, culpam ejus, ipso Jesu judice, Synedristarum culpa longe minorem fuisse : J. 19, 11 *Qui me tradidit tibi majus peccatum habet.* Alia vero immanitatis ejus facinora, non tam ex innata pravitate, quam ex necessitate quadam politica, mala tamen et minime approbanda, oriunda dici possunt.

Superbus. Denique, ut solebant Romani, praesertim in Provinciis administrandis, haud mediocrem ostendit superbiam, iracundiae conjunctam : inde verba *Numquid ego Judaeus sum ? — Mihi non loqueris ? — Quod scripsi, scripsi. — Habetis custodiam : ite* (υπαγετε, angl. *go your way*) *custodite sicut scitis*, quantum potestis, vel modo possitis.

His notatis de Pilati munere, actibus et indole, melius intelligemus ea quae narrant Evangelistae vicissim dicta et gesta fuisse Procuratorem inter et Synedristas, quod attinet ad judicium et condemnationem Jesu. Cf. q. 808.

Cetera vero Pilati fata infra, q. 817, referemus.

b. Praetorium Pilati.

Q. 772. Quid intelligis per *praetorium ?* In qua parte urbis Jerusalem extructum erat praetorium Pilati ? An et ubi manent hodiedum vestigia quaedam istius aedificii ?

R. **Praetorium** proprie est tabernaculum ducis in castris (a *praetor*, dux belli, *prae* et *itor*). Porro, cum *praetoris* nomen etiam magistratibus jus dicentibus, praesidibus provinciarum et propraetoribus daretur, vox *praetorium* sign. etiam domum seu palatium in quo propraetores praesidesque provinciarum habitabant et jus dicebant.

Jam vero, Procuratores Romani solebant occupare palatium principum quibus succedebant ; atque ideo Procuratores Judaeae (qui sedem ordinariam et principalem habebant Caesareae juxta mare Mediterraneum), quando Jerosolymis versabantur, plerumque habitabant in palatio ab Herode M. in monte Sion, ad murum septentrionalem urbis superioris constructo *(à l'angle N. O., attenant aux tours Hippicus, Phasaël et Mariamne, près de la porte actuelle de Jaffa)* ; saltem sub Floro, diu post Pilatum (ab a. 65), id occuparunt, ut testatur Jos. *B. J.* 2, 14, 8 coll. 2, 15, 5 : cf. 'Winer, *Realwb.*, a. *Richthaus*. De situ hujus palatii, videsis Jos. *B. J.* 5, 4, 4 coll. *Ant.* 15, 9, 3 ; Allioli, *Alterth.* I, § 130.

Verumtamen, secundum antiquam traditionem, quae admittitur ab ipsis Protestantibus (v. gr. in opere 'Smith *Dict. of the Bible*, a. *Judgment-hall*, et *Jes.-Chr.*) Pilatus, tempore Paschatis, saltem anno Christi emortuali, sedem habebat **in arce Antonia,** ad septentrionalem Templi partem *(à l'angle N. O.)*, vel in palatio quod arci illi erat applicatum. Ob hanc nempe causam ibi tempore Paschatis morabatur, quod Antonia dominaretur atriis Templi, et quod praeses posset facilius reprimere tumultus et seditiones, quae sat frequenter occasione festi illius maximi excitabantur inter plebem innumeram in Templo congregatam.

Lithostroton, in quo Pilatus tribunal erexit, situm erat ante arcem illam, sc. inter arcem et porticum Templi (porticum atrii gentilium). Ergo erat extra ambitum

Templi, et certe distinguendum est ab illo *Lithostroton* quod erat in atrio gentilium, de quo Jos. *B. J.* 6, 1, 8 et 6, 3, 2 (cf. q. 813).

Antiqua jam traditio praetorium collocat ad septentrionem Templi : sic (1m testimonium) peregrinus Burdigalensis a. 333, infra q. 1195 citatus.

Sunt qui dicant hanc sententiam eo probabilius admittendam esse, quod Herodes Antipas tunc Hierosolymis versaretur, certe, aiunt, in palatio Herodis patris sui : verum alii putant (Fouard) palatium tunc ab Antipa occupatum non fuisse palatium Herodis M., de quo supra diximus, sed palatium Asmonaeorum (antiquam Machabaeorum habitationem), quod erat prope Templum *(à l'angle N. E. du Sion)*, quocum conjunctum erat per pontem supra vallem Tyropoeon exstructum et in porticum occidentalem ducentem. Huc, ait Fouard, recesserunt filii Herodis M., quando palatium patris sui a Procuratore Romano occupatum fuit. Traditio tamen Jerosolymitana, quoad situm palatii Antipae, ab utraque illa sententia recedit : cf. not. ante q. 786.

Quidquid sit, omnino tenemus in arce Antonia fuisse praetorium Pilati ; ergo circiter 1300 passus a domo Caiphae distabat.

Hodiedum pauca manent **praetorii vestigia ;** secundum traditionem, Hierosolymis adhuc exstant tum janua ejus major, ex marmore rubro exstructa, nunc inaedificata, per quam pluries transiit Jesus ; tum etiam *porticus*, sub qua Pilatus Salvatorem Judaeis ostentui tradidit, quaeque nomine *arcus Pilati* seu *arcus Ecce homo* designatur. Tandem Romae pie custoditur *scala sancta* 28 gradibus constans, quae e platea ad porticum illam et inde ad interioria praetorii conclavia ducebat; eadem igitur scala, quam Jesus sexies pede pressit, siquidem ter in praetorium ascendit : 1° ante primam interrogationem, 2° cum ab Herode reversus est, et 3° post flagellationem, juxta sententiam eorum qui censent flagellationem extra praetorium factam fuisse, q. 795 ubi de *loco*.

Atque haec quidem de Pilato ejusque domo : Evangelicam autem narrationem persequi jam oportet.

C. Quare Judaei praetorium non intrarunt ?

Q. 773. Quinam, et quo diei tempore, Jesum ad Pilatum duxerunt ? Quare isti praetorium ingressi non sunt ? Eratne vi legis Mosaicae reipsa quaedam prohibitio ?

R. *Omnis multitudo eorum* L. qui statim antea Jesum in Synedrio mortis damnaverant ; ergo Mc. *summi sacerdotes cum senioribus, et Scribis, et universo concilio.* Tot autem viri ad Pilatum venerunt, tum ut magna copia et nobilitas accusantium criminationi vim tribuerent majorem, tum ut scelesti consilii, contra Dominum suscepti, exitum perspicerent. Multos alios ex Judaeis se ipsis adjunxisse, colligere possumus ex J. 18, 35 *Gens tua et Pontifices tradiderunt te mihi.*

Ad praetorium autem advenerunt **mane** J. πρωι, fl. *vroeg in den morgen*, puta, **hora sexta vel septima.** Certe Pilatus a Synedri-

stis praemonitus fuerit ut eos ante horam consuetam (nonam) reciperet.

Judaei vero domum Procuratoris non introierunt (1), sed remanserunt ante porticum, ad quam ascendebatur per scalam illam 28 graduum, de qua statim diximus. *Ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Talis prohibitio nusquam in Lege certo et aperte reperitur : ideo ex traditionibus Pharisaeorum (fortasse propter verba Deut. 16, 4) eam ortam esse dicendum est. Nimirum statutum erat eos omnes, qui **in domum ethnicam** quamlibet (multo magis, in domum quae tempore Paschali a pane fermentato purgata non erat), intrassent, imo vero qui gentiles, quos omnes ut immundos habebant, tetigissent (Num. 19, 22 ; cf. Mc. 7, 3), immunditie legali affectos et pollutos esse. Cf. Act. 10, 28 *Abominatum est viro Judaeo conjungi aut accedere ad alienigenam.* Ib. 11, 2 et 3 *Quare introisti ad viros praeputium habentes ?* Ideo etiam Petrus viros a Cornelio, conturione Romano, missos, prae foribus alloquitur; neque in domum introducit, priusquam illos esse, de quibus a Deo praemonitus erat, cognovisset : Act. 10, 21-23. Videsis Diss. nostr. *De consuet. Judaeorum cum gentilibus*, in app. *Comm. Act. Apost.* (5ª ed.).

Igitur putabant licitum non fuisse ut ii qui in domum viri ethnici ingressi fuissent, manducarent vespere ejusdem diei agnum Paschalem, aut, secundum aliorum sententiam, victimas Paschales (vide q. seq.)

Obiter animadvertamus insignem **virtutis simulationem** quam Judaici senatores rursum ostendunt ; unde exclamat s. Aug. : « O impia et stulta caecitas! Habitaculo videlicet contaminarentur « alieno, et non contaminarentur scelere proprio ! » Ergo, ut notant s. Chrys. *in Joan.* et s. Aug. *in J.* 114, 2, isti multum solliciti erant de praescriptione minoris momenti, quae traditione humana tantum nitebatur, dum interea gravissima scelera contra Jesum perpetrare non timerent : tales erant Pharisaei *hypocritae*, qui literam sequebantur, et saepe cum nimiis scrupulis, spiritum vero et mentem legis non servabant. Vide quae de moribus Pharisaeorum q. 1080 dicemus.

(1) Non certo constat utrum Jesus tunc introierit : videtur affirmandum, quum non audierit accusationes contra ipsum latas, J. 18, 34.

Q. 774. Judaei praetorium ingressi non sunt, *ut non contaminarentur, sed* **ut manducarent Pascha.** Quid intelligitur per *Pascha*, quod manducare debebant, addendo rationem ?

R. Hoc pendet a sententia quae tenetur in magna quaestione de die quo agnus Paschalis isto anno edendus fuerit, utrum feria 5ª vespere, sicut fecit Jesus secundum Synopticos, an vero feria 6ª vespere, sicut ceteri Judaei, vel saltem sicut Jerosolymitani secundum s. Joannem fecisse videntur.

1ª Sententia. Si ponamus urbis incolas non eodem die quo Jesum, sed postridie, Pascha celebrasse, in verbis Joannis supra recitatis vox *Pascha* sensu proprio et obvio sumitur, adeo ut *manducare Pascha* vere significet (sicut tradunt s. Chrys. *in M.* et s. Cyrill.) **edere agnum Paschalem.**

2ª Sent., quae censet et a Jesu et ab omnibus Judaeis eodem die, sc. feria 5ª vespere, coenam sacram factam fuisse, verba J. *manducare Pascha* sumit sensu quodam lato et metaphorico, nempe **edere sacrificium paschale,** puta illud quod die 15° Nisan ante meridiem mactabatur, et *Chagigah* חֲגִיגָה (a חַג *festum*) i. e. *festivitas* vocabatur de quo Mischna *Pesach* 6, 4 : « Sacrificium Festi « (*Chagigah*) adducebatur ex grege et jumento..., et comedebatur « per duos dies et unam noctem. » *Friedl., *Archäol. der Leidensgesch.* Alias autem, praeter agnum, hostias Paschales a Judaeis comedendas fuisse, constat tum ex 2 Par. 30, 32, ubi dicitur festa Paschalia per 7 dies protrahi, quum ex Num. 28, 16 sq.; Deut. 16, 2 et 3; 2 Par. 35, 7-9, ubi refertur per totum illud tempus oves et boves immolari, epulaque sacrificalia fieri ex carnibus victimarum. Eis autem interesse nefas erat immundis (Lev. 7, 20 immundus sacrificio eucharistico quolibet prohibetur). Addunt patroni hujus 2ae sent. vel ex hoc solo concludi posse non agi de *agno* edendo quod contaminatio contracta per ingressum in domum ethnici mansisset tantum usque ad vesperam, esus vero agni jam pertineret ad initium diei sequentis : cf. Lev. 15, 5 sq., 19 sq., ubi de immunditia simili agitur.

S. Chrys. *in J.* praeter sententiam priorem, etiam hanc affert : « vel, ait, *Pascha* vocat totam solemnitatem. »

Huic 2ae sententiae objicitur, dictionem *manducare Pascha* in N. T. semper significare *edere agnum paschalem:* M. 26, 17; Mc. 14,

12, 14 ; L. 22, 11, 15 : cf. *praeparare Pascha* M. 26, 19 ; Mc. 14, 16 ; L. 22, 8 : pariter *immolare Pascha* 1 Cor. 5, 7 ; L. 22, 7. Seria quidem est objectio, sed majores oriuntur difficultates, si verba Joannis accipiamus de *agno*, et si supponamus festum Paschatis tunc nondum advenisse. Quod ut plenius exponatur generalem tractabimus quaestionem, inter eruditos tam acriter disputatam, utrum necne Jesus ultimum Pascha eodem die quo Judaei celebraverit. Videsis infra ad calcem Excurs. 45, q. 1170. Ponimus tamquam certum et admissum Jesum veram Coenam Paschalem cum agno manducasse : q. 656.

ALTERUM PUNCTUM PRAEVIUM.

(Digressio)

Judas se suspendit. Ager sanguinis. M. 27, 3-10.

Solus M. in Evang. ista narrat ; forte ideo illa refert, quod Judaeis scribens, oraculum quoddam (sc. Jeremiae, v 9) eventu confirmatum fuisse demonstrare velit. Obiter de eisdem mentionem facit L. in Act. 1, 18 et 19.

Duo hic distinguere debemus capitula : 1^{m} de misera Judae sorte, et 2^{m} de agro illo sanguinis, quo sempiterna turpitudinis nota proditori et proditioni inusta fuit.

A. Judas crimine dolet, pecuniam reddit, laqueo sibi vitam eripit : v. 3-5.

Praeced. vide ante q. 770.

M. 27, 3. Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quod damnatus esset : poenitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, et senioribus, 4 dicens : Peccavi, tradens sanguinem justum. At illi dixerunt : Quid ad nos ? tu videris. 5 Et projectis argenteis in templo, recessit : et abiens laqueo se suspendit. 6 Principes autem etc. *Ante q. 777.*

Q. 775. 1° Quandonam Judam proditionis poenituit ? 2° Num bona et sancta fuit ejus poenitentia ? 3° Quid fecit ductus et impul-

sus illo animi affectu? 4° Ostende contra Rationalistas (v. gr. De Wette, *Handb. 4 Aufl.*) verba non pugnare cum narratione L. Act. 1, 18 et 19.

R. ad 1m. Judam criminis poenituit, quando **vidit Jesum damnatum esse** M., i. e. *capite* damnatum, nam loquitur de *sanguine* justo quem tradidit. Quidam hoc intelligunt de sententia a Pilato lata, verum probabilius refertur ad Synedrii judicium: nam haec Judae historia mane, antequam causa apud Pilatum acta fuit, accidisse videtur: cf. statim dicenda ad 3m, b.

Igitur **prima victima** sententiae capitalis a Synedrio prolatae fuit ipsemet ille qui primus auctor ejus fuerat: en justam rerum vicissitudinem!

Sed **quomodo vidit** Judas magistrum suum a Synedrio damnatum esse? Certe ex eo quod Jesus, jubente et comitante Judaeorum senatu, ad Procuratorem vinctus duceretur. Judas nempe, ut quibusdam videtur (Theoph., Mald., Calm. etc.), putaverat Dominum condemnatum non iri; vel potius, quum miser ille Apostolus consilia Synedristarum adversus Salvatorem satis superque cognosceret, speraverat fore ut ipse e manibus inimicorum sese liberaret (Beelen): igitur, quando crimen commisit, sibi forsitan illusit, ut peccatores ante delictum facere solent; sibimet ipse haec vel similia verba forte dicebat: Pecuniam obtinebo ego, Jesu autem nullum accidet malum; ipse enim facile se expediet.

Alii vero auctores talia sensa Judae non adscribenda esse opinantur, et dicunt simpliciter proditorem totam sceleris sui gravitatem clare pleneque perspexisse, postquam semel vidit opus nefandum prorsus consummatum esse; ut homicidae horrere et tremere solent, cum victimam exanimem jam cernunt. Quo sensu Tac. *Ann.* 14, 10 scribit: « Perfecto demum scelere, magnitudo ejus intellecta est ». Hoc enim factum *psychologicum* esse ignorat nemo.

R. ad 2m. **Poenitentia Judae nequaquam bona** et sancta erat, quum aliud dici nequeat quam dolor ex naturalibus animi pungentis stimulis exortus, propter sceleris effectus non praevisos; etenim, ipsum actum in se spectatum non detestabatur, sed dolebat tantummodo de eo quod inde secutum erat. Praeterea, spem veniae, sine qua nulla potest esse poenitentia salutaris, non habebat. Hanc enim si habuisset, se non suspendisset laqueo, sed Jesum adiisset.

Igitur non *resipuit*, neque *in melius mutata fuit mens* ejus (non μετανοηθεις, quod dicitur de Petro et saepissime in N. T. adhibetur de vera et sancta animi conversione), sed tantum priorem mutavit sententiam (μεταμεληθεις, a μετα et μελει *curae mihi est, curo :* gall. *changer de manière de voir, regretter d'avoir fait une chose*), hoc sensu quod vellet rem factam non esse, sc. ob inopinatam actus consequentiam. Gallice dicam : *Ce n'était pas une conversion, c'était un regret.*

Tria facta Judae consequentiam criminis sui deplorantis.

R. ad 3m. Quae fecit iste ad tria capita reducere possumus.

a/ *Retulit* 30 *argenteos principibus Sacerdotum et Senioribus, dicens : Peccavi tradens sanguinem justum*, i. e. tradens vobis hominem innocentem, cujus sanguis injuste effundetur. En **primum,** in narratione de Jesu patiente, redditur **testimonium** de ejus innocentia. Diabolus ante factum oculos Judae excaecavit, ut miser ille vir malitiam actus sui non videret (sibimet ipse illudebat, ut diximus ad 1m) : nunc autem post factum, totam sceleris immanitatem ei depingit, ut eum in desperationem agat : et haec est **consueta daemonis astutia** in peccatores. Magni momenti est ut praedicatores sacri populum christianum hac de re sedulo moneant. Audi s. Chrys. : « Talis diabolus est : eos qui non vigilant, non « sinit peccatum respicere (προ τουτου ante illud), ne semel capti « poenitentiam agant. »

b/ Principes autem isti dure et cum contemptu respondent : *Quid ad nos,* si tu peccasti ? *tu videris*, sc. quomodo dijudicandus aut reparandus sit actus tuus ; tua res est, deque ea non curamus nos. S. Ambr. l. 10 n. 94 *in Luc.* : « Etsi cassa est poenitentia « proditoris..., est tamen nonnullus in scelere pudor culpam « agnoscere. Et quamvis ille non absolvitur, Judaeorum tamen « impudentia confutatur; quos cum professio redarguat venditoris, « scelerate tamen sibi vindicant jura contractus, et exsortes reatus « esse se credunt, dum dicunt : *Quid ad nos ? tu videris.* » Quasi vero ipsimet crimen Judae non participassent, cum ipso pactum ineundo! S. Hier. : « Si peccavit ille qui tradidit sanguinem « justum, quanto **magis Judaei peccaverunt** qui emerunt san- « guinem justum, et, offerendo pretium, ad proditionem discipulum

« provocaverunt. » Imo vero, crimen ejus superarunt, virum innocentem mortis damnando. De caetero, responsio amara erat et simul terribilis, quae quidem digna proditoris merces dicenda est ; sed quae ipsum quasi prostravit et contrivit.

Judaei diabolici. Itaque, viri pessimi, ut solent facere quando aliquem adhibent tamquam criminis instrumentum, misero illo Apostolo usi sunt, quamdiu eo opus habebant : nunc autem nolunt ut minimum quid commune sibi cum ipso sit ; imo vero, *diabolica* usi malitia, « culpam totam in eum rejiciunt (s. Chrys.). » Et certe perversa ista agendi ratione non parum contulerunt ad hoc ut Judas in desperationem actus sit : quae res culpam eorum majorem reddit, ut ait s. Chrys.

V. **5.** Proditor enim, hoc audito, projecit 30 argenteos **in Templo**, εν τω ναω (dat. loco accusativi, quia cogitatur requies quae actum secuta est : projecit nummos, et hi manserunt *in Templo*). Nota scribi ναω non ἱερῳ : ergo projecit eos in aedem sanctam proprie dictam, nempe in eam Templi partem quae *Sanctum* vocabatur. Puta ipsum huc per nefas penetrasse, vel vestibulum intrasse, et remoto velo, quod ante Sanctum erat appensum, nummos in partem interiorem projecisse. Cf. descript. Templi quam tradam q. 1090.

Sed dubium quoddam seu **difficultas** hic oritur : sc. **ubinam et quandonam** Judas adivit sacerdotes ?

Quum Synedristae illi, a quibus pecuniam acceperat, et quibus eam reddere volebat, Jesum ad Pilatum jam ducerent, multi opinantur, vel in via ad praetorium, vel in platea ante praetorium, ad eos accessisse Judam. Sed nummos, quos isti spernebant, projecit in Templum : ex quo concludunt alii interpretes proditorem ad sacerdotes in Templo stantes venisse, sc. ad eos ex Synedristis qui post concionem mane habitam Jesum non comitati erant ad Pilatum, sed abierant in Templum ut sacerdotalibus functionibus praesciptis fungerentur. Non enim cogitandum est omnes Synedristas sese contulisse ad Pilatum. Alli supponunt sacerdotes, cum Jesum ad Pilatum ducerent, et juxta Templum transirent, per quaedam momenta eo deflexisse, ut falsa pietatis specie rem Deo commendarent. Verum, possumus dicere Judam, postquam sacerdotibus frustra obtulisset pecuniam, ad Templum

abiisse, eamque projecisse in sanctuarium, ubi certo sciebat eamdem postea a sacerdotibus colligendam esse, cum nemini praeter illos eo intrare liceret.

Propter difficultatem hic expositam, s. Aug. factum illud Judae postea, sc. post Jesu resurrectionem, accidisse censuit. P. De Buck autumat Judam ad Templum venisse, postquam a Pilato reduces erant sacerdotes, eisque tunc obtulisse pecuniam : ergo, post condemnationem et forte post supplicium Jesu. Sed istud maturius factum fuisse, ex universa narrationis serie apud M. colligendum videtur. Cf. Estium *in M.*

c/ Deinde, ira desperationeque exaestuans, e Templo *recessit*, et *abiens*, puta extra urbem, *laqueo se suspendit*. De hoc autem miserrimo horrendoque fato fusius est dicendum.

Judae desperatio.

In desperationem actus, Judas sibimet ipse dixit quod Cain, qui sanguinem justum pariter effuderat, Deo respondit Gen. 4, 13 : *Major est iniquitas mea quam ut veniam merear.* Imitatus est Achitopelem, proditorem illum, qui regem David, amicum et benefactorem suum, interficere voluerat, quique ideo typus quidam fuit Judae apostatae (cf. supra q. 677) : sicut iste olim fecerat 2 Reg. 17, 23, hic etiam sibi vitam adimere statuit. « Tam perversa ipsius « conversio fuit, ut etiam poenitendo peccaret (s. Leo, *De Pass.* 5). »

At vero, qua ratione ad tale consilium capiendum sensim adductus fuerit, breviter explicandum est.

Videntur jam auribus ejus insonare horrenda illa verba, quae Jesus, paucis abhinc horis, vespere antea, in ultima coena, dixerat, M. 26, 24 : *Vae homini illi per quem Filius hominis tradetur : bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille !* Quasi vero omnia quae ipsi occurrunt, etiam res inanimatae, Dominicam illam exsecrationem imprecationemque contra eum repeterent, et terribilia ista **Vae, vae, vae** conclamarent ! Invisa igitur atque intolerabilis fit ipsi lux diei, intolerabilis vita : et ecce praecipitem se dat in voraginem aeternae damnationis !

Moralia.

Proh Deus! **Quale exemplum** pro sacerdotibus malis, et pro peccatoribus quibusvis! Judas pependit coelum inter et terram, ut res plena horroris, utrimque

repulsa, utrique odiosa. Haud procul inde, mox pendebit etiam Jesus coelum inter et terram, tamquam victima caritatis, terram coelo reconcilians. O quam salutaris erit omnibus duplicis istius victimae assidua contemplatio!

Ut autem triste proditoris exemplum efficacius nos doceat, **causam** perniciei praecipuam notamus. Judas, ut supra dixi q. 645 et q. 717, 3°, **fidem** jam diu **amiserat**, et proinde sine spe emendationis erat subjectus vitio suo capitali, sc. **avaritiae** seu amori pecuniae: hoc ei penitus dominabatur, et quidem sine remedio; nam, fide semel extincta, voluntas erat tota depravata. Inde factum est ut vitium illud sensim increverit, perque longas moras summopere invaluerit, donec tandem pessima ista cupiditas in imum malorum gurgitem eum projecit ac demersit.

S. Chrys. ad verba *laqueo se suspendit* exclamat: « Audite, avari, cogitate quae ille « passus sit: quomodo pecunias amiserit, et scelus perpetraverit; quomodo « avaritiae fructum non tulerit, et animam perdiderit. » Sors similis exspectat avaros, praesertim illos qui nullo jam *fidei* aut pietatis christianae sensu afficiuntur.

Sed jam ad ultimum quaestionis 775 membrum respondendum est.

Matthaeus de morte Judae cum Act. Apost. conciliatur.

R. ad 4^m^. Ex Act. 1, 18 discimus Judam *praecipitem in terram cecidisse,* puta, rupto fune quo se suspenderat, et, ut videtur, vi lapsus illius *crepuisse medium* (v. gr. ponamus eum e loco edito in rupem cecidisse), *et diffusa esse omnia viscera ejus.*

Ita multi : ad me autem quod attinet, malim rem sequenti modo cogitare cum Mald. Judas ascendit in arborem, eique funem alligavit, quem deinde circa collum duxit; posthaec ex arbore se dejecit (πρηνης γενομενος, *pronus* vel *praeceps factus,* Act.), atque adeo se strangulavit (απηγξατο, M., aor. med. απαγχω, constringo : nota vim formae mediae, gall. *s'étrangler*, fl. *zich den strot vernijpen*) : ibi vero per plures dies pependit, ejusque corpori abominando manum admovere ausus est nemo. Cum autem cadaver corrumperetur, *crepuit medium,* ut aliquamdiu post mortem fieri solet : in ventre enim prius et praecipue vim suam exerit dissolutio; vapores inde exorti, et paulatim adaucti, ventrem inflant, inflatumque tandem disrumpunt (inde nota est dictio gall. *crever* pro *mourir*). Atque adeo *viscera* e corpore illo pendente et disrupto mox in terram *diffusa sunt omnia.* Vel saltem admittere possumus cadaver nonnisi post plures dies detectum fuisse, cum jam crepuisset medium. Hoc addo, quia Jos. *B. J.* 3, 8, 5 : « Si qui, ait, se occiderint, apud nos quidem usque ad solis occasum insepultos abjici decretum est. »

Ex utraque autem explicatione colligitur nullam inter M. et L. repugnantiam esse.

*Q. 776. Pro repetitione. Mortem Judae proditoris cum omnibus rerum adjunctis enarra, conciliando M. cum L. in Act. Ap.

Responsum ex praeced. facile colligetur.

Homiliticum. Obiter nota a concionatore sacro utiliter institui comparationem inter agendi rationem Petri et Judae, post peccatum grave ab utroque commissum; deinde etiam inter sortem utriusque adeo diversam. Ex duplici illa consideratione peccatores ad pœnitentiam efficacissime commovebuntur, hinc quidem salutari terrore, illinc vero magna in Deum fiducia in animo excitatis. Imprimis discent magnam latere veritatem in hoc s. Aug. (ed. M. t. V, 138) dicto: « Desperando « plus perdit anima, quam delinquendo. »

De Judae scelere ac fato diximus plurimum: aliquid tamen addendum de singulari eventu, quo flagitii istius memoria, perpetuo quasi monumento, servata atque propagata fuit.

B. Ager figuli fit ager sanguinis.

Praeced. vide ante q. 775.

M. 27, 6. Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam: quia pretium sanguinis est. 7 Consilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. 8 Propter hoc vocatus est ager ille, Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem. 9 Tunc impletum est quod dictum est per Jeremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos pretium appretiati, quem appretiaverunt a filiis Israel: 10 et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus. 11 Jesus autem etc. *Post q. 780.*

Primum dicemus de empto figuli agro (q. 777 sq.); dein de nomine infami quod agro isti datum fuit (q. 780).

Q. 777. 1° Quid factum est de 30 argenteis quos accepit Judas? 2° Quaenam vaticinatio inde eventu confirmata fuit? Eam recita et sensum explica, addendo ex quo libro desumpta sit.

R. ad 1m. Judas eos retulit et projecit in Templum; cf. q. 775. **V. 6.** Principes autem Sacerdotum, cum eos *accepissent* (λαβοντες, melius, cum eos cepissent, sustulissent, sc. post abitum Judae:

gall. *ayant pris ou ramassé ces pièces d'argent*, non autem *ayant reçu ces pièces*), noluerent eos mittere in thesaurum Templi (in *Corbona*, quo nomine vocabatur aerarium sacrum), quia pecunia ista foeda erat, utpote *pretium sanguinis* (cf. q. 780). Ambigentes autem ad quid eam adhiberent, **v. 7** *consilium inierunt* seu inter se deliberarunt; et statuerunt emere **agrum figuli** *in sepulturam peregrinorum* (1) : quod et fecerunt. Haec vero deliberatio et emptio aliquantulum postea, ut notat Mald., festo die transacto, evenisse videntur.

Quod autem attinet ad aestimationem pretii pro agro soluti, in memoriam revocamus summam istam pecuniae ad calculos nostros supra q. 645 revocatam fuisse. De cetero in agro illo, ex quo figuli lutum desumpserant, certe magnae erant excavationes, quae corporum sepelitioni aptissimae fuerint.

Ad 2m. Impleta fuit Prophetia **Jeremiae,** ait M. **v. 9**, sc. haec : *Acceperunt* (in mente Evangelistae subjectum verbi est *principes sacerdotum*) 30 *argenteos*, *pretium appretiati*, sc. Christi, quo nempe pretio principes isti eum appretiaverunt. Proprie : *quem appretiaverunt a filiis Israel : απο υιων*, a parte filiorum Israel, seu nomine populi Israel. *Et dederunt eos in agrum figuli, sicut constituit mihi Dominus*, sicut Dominus jussit mihi Prophetae, supple ut facerem nomine eorum, tamquam typus seu figura eorum.

Sed verba illa apud *Jeremiam* non reperiuntur, quaedam tamen similia habentur apud Zachariam 11, 12 et 13. Inde nata est magna difficultas, in cujus explicatione interpretes omnes, et veteres et recentiores, magnopere laborarunt. De ea jam quaestionem specialem adjicimus.

Jeremias loco Zachariae.

Q. 778. Explica quomodo factum sit ut M. **27, 9,** in recitando quodam veteris Test. oraculo, nomen *Jeremiae* loco *Zachariae* positum fuerit.

R. 1° Sunt qui opinentur Matthaeum ad verba quaedam Zachariae revera respexisse, sed errore memoriae, qui ex recordatione

(1) **Apparens contradictio.** Quod *sacerdotes* dicantur apud M. emisse agrum illum, hoc nullo modo pugnat cum Act. 1, 18 *Hic quidem* (Judas) *possedit*, gr. sibi acquisivit, *agrum de mercede iniquitatis ;* nam sensus est : ager acquisitus seu emptus fuit ipsi, i. e. pecunia ejus, sc. ea quam ut mercedem iniquitatis suæ obtinuerat. Vide *Comm.* nostr. *in Act. Ap.* 5a ed.

Jer. 18, 2 et 19, 1 sq. ortus fuerit, nominasse *Jeremiam* loco *Zachariae :* ita fere s. Aug. *De cons. Ev.* 3, 7, 30 (1), Ven. Beda, s. Thom., et audacius Erasmus *in M.* Verum haec affirmatio divinae Matthaei inspirationi plus minusve opposita videtur. « Scio, ait Mald., aliquos et doctos et catholicos auctores dixisse Evangelistas aliquando memoria lapsos esse. Ego quidem haud intelligo quomodo id, et Spiritu s. dictante, et salva Scripturae fide, fieri potuerit. » Optime s. Hier. *Ep. ad Pammach.* ep. 84 : « Accusent, ait, Apostolum falsitatis, quod nec cum Hebraico nec cum 70 congruat translatoribus ; et, quod his majus est, erret in nomine : pro Zacharia quippe Jeremiam posuit. *Sed absit hoc de pedissequo Christi dicere* etc. »

2° Alii censent errorem esse librariorum (Orig. 1° l. *in M.*; Eus. 2° l. *Dem. Ev.* 10 ; favet Pseudo-Hier. *in Ps.* 77), et contendunt veram lectionem esse *Zachariam*, vel saltem (Jans., Mald.) verbum *Jeremiam* delendum esse. Sed hoc gratuito asseritur et pro libitu excogitatur ; namque lectio *Jeremiam* tot habet testes, ut eam in dubium vocare non liceat : ei enim adversantur tantum cod. 33, 157, vers. Syr., Pers. (p), cod. Vulg. a et b, cod. ap. s. Aug., cod. ap. Luc. Br. Cf. *Tischend.

3° Forsitan praedictio ista apud Jeremiam olim reperiebatur, ut vult Eus. 1° l. (*Dem. Ev.* l. 10), qui scribit eam per quamdam malitiam sublatam fuisse ; vel saltem in libro quodam Jeremiae, qui nunc deperditus sit (2), legebatur, ut putant Orig. 2° l. *in M.*, et s. Hier. « Legi, ait hic, nuper in quodam hebraico volumine, quod Nazarenae sectae mihi Hebraeus obtulit, Jeremiae apocryphum, in quo haec ad verbum scripta reperi. Sed tamen (pergit) mihi videtur magis de Zacharia sumptum testimonium. » Haud improbabile est (Bisping) verba a Zacharia ex deperdito illo libro Jeremiae desumpta fuisse.

---

(1) S. Aug. ib. : « Potuit fieri ut animo Matthaei Evangelium conscribentis pro Zacharia Jeremias occurreret, ut fieri solet ; quod tamen sine ulla dubitatione emendaret, saltem ab aliis admonitus qui ipso adhuc in carne vivente hoc legere potuerunt, nisi cogitaret recordationi suae, quae s. Spiritu regebatur, non frustra occurrisse aliud pro alio nomen prophetae, nisi quia Dominus hoc scribi constituit. » Et hanc tradit mutationis rationem : Dominum significare voluisse, quaecumque per varios prophetas Spiritus s. dixerit, singula esse omnium et omnia singulorum, propter mirabilem omnium inter se unitatem et consensionem. Ita etiam Ven. Beda *in M.*, et glossa ordinaria ; pariter Gerson in *Monotess.* 146.

(2) Mald. censet in 2 Mach. 2, 1 mentionem fieri de libro quodam Jeremiae qui non amplius exstet: sed haec sententia cum verbis graecis istius loci non convenit : cf. Allioli ib.

4° Aliqui (*Lightfoot, *Horae hebr.*, De Rossi *Introd.* § 7) arbitrantur loco *Zachariae* positum fuisse *Jeremiam*, quia hic in volumine posteriorum prophetarum apud Judaeos Palaestinae olim primam sedem occupavit, unde totum volumen more Judaeorum appellatum fuerit *Jeremias*. Verum duo huic opinioni obstant, ut notat Patr. *De Evang.* l. 3, diss. 45, 19 : primum, hunc citandi morem a M. alibi non servari : sic adducit quandoque *Isaiam*, pro quo sane *Jeremiam* dicere debuisset. Dein scriptum hic fuisset : Dictum est *per Jeremiam*, non *in Jeremia*.

5° Knab. dicit Matthaeum respexisse ad duo vaticinia, unum Jer. 32, 6 sq. ubi agitur de *emendo agro ;* alterum Zach. 11, 12 ubi de *pretio 30 argenteorum*, non vero de emendo agro, sermo fit : ea autem in unum quasi oraculum conjunxisse ; et cum imprimis vellet efferre *emptionem agri*, id adscripsisse Jeremiae ; vel (Fouard) Jeremias nominatur quia hic Prophetarum maximus habebatur a Judaeis. S. Aug. praeter sententiam quam statim retuli sub 1°, quaedam addit ib. num. 31 quae favent sententiae de qua hic loquor sub 5° : monet nomen *Jeremiae* positum esse « ut lecto « Jeremia, et non invento testimonio de 30 argenteis, invento « tamen agro empto, admoneatur lector utrumque (Zach. et Jer. « vaticinium) conferre, et inde sensum enucleare prophetiae. » Ita etiam Calm., *Grimm *Einh. der 4 Evang.*, Fill., Fouard etc.

Sed petitur quomodo Jeremias huc spectet. Ager Anatoth, quem excercitus Chaldaeorum occupabat, a Jeremia jussu Dei emitur ut significetur terram, quae mox a Chaldaeis diripietur propter scelera Judaeorum, non semper manendam in possessione hostium, sed Judaeis quondam restituendam : sic emptio agri figuli praecedit alteram Judaeorum cladem sub Tito, et pignus est instaurationis seu conversionis Judaeorum in fine mundi. — Sed quomodo emptio ista pignus vel typus vel significatio hujus instaurationis fuerit, non video ego.

Concludo difficultatem illam nondum perfecte solutam esse : meliora in futuro speramus.

Q. 779. Verba Zachariae Prophetae exponuntur.

Quoquo modo se habeant ista, M. non ad verbum, sed ad sensum et summatim oraculum recitat (ut notat s. Hier.), propterea quod illud lectoribus notum esset.

Jam vero, Zacharias personam Jehovae induit, et loquitur tamquam pastor Israelis : infidelitatibus populi defatigatus, mercedem petit sibi debitam, ut officio pastoris amplius non fungatur, nihil aliud jam cupiens, quam populum suum pravum ingratumque derelinquere : *Si*, ait, *bonum est in oculis vestris*, si hoc placet vobis, *date* mihi *mercedem meam ; et si non* (si vero non placet), *desistite*, i. e. ne solvite eam ; equidem proficiscar vosque deseram (Verba haec acerrimam involvunt exprobrationem et summam indignationem). Isti sane me rogare debuissent ut eos pascere et regere pergerem ; sed id facere noluerunt ; potius *appenderunt* in statera *mercedem meam*, 30 *argenteos*.

Et dixit Dominus ad me : Projice (1) *illud* pretium *ad statuarium* (Vulg.), i. e. ad fictorem, fl. *den beeldhouwer*, vel hebr. *ad figulum*, i. e. ad Deum qui creator et fictor est omnium (ita s. Hier.). Alibi etiam Deus tamquam mundi figulus seu fictor describitur : Is. 27, 11 ; 43, 1 ; 44, 2, 24 ; 45, 11 ; praesertim Jerem. 18, 6.

Verum haec interpretatio s. Hier. minus probabilis est, tum quia M. videtur intellexisse figulum proprie dictum, tum quia contexta oratio apud Zach. ostendit pretium illud a Deo contemni et repelli. Atque ideo explicatio Reinke *Die Messian. Weissag.*, 4r *B.* Giessen, 1862, et Bisp., secundum quam respicitur ad figulum illum, qui officinam in valle impura et exsecranda Hinnom habebat (cf. Jerem. 18, 1 sq. ; 19, 2), mihi magis arridet ; adeo quidem ut sensus sit : pretium illud contemptibile in locum divinae irae devotum projice : germ. *wirf ihn zum Henker, zum Schinder ;* fl. *gooit hem naar den drommel, naar den weerlicht !*

Pergit dein Zach. : *Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis !* quae quidem verba ironiam continent, quasi diceret : Ergone, omnia quae in gratiam eorum feci illo aestimant pretio ! Decorum sane pretium ! Obiter animadvertimus pretium illud pro emendo *servo* apud Hebraeos verisimiliter solutum vulgo fuisse : namque Ex. 21, 32 jubetur ut pretium illud solvatur si bos *servum* occiderit. Erat, ait Bisp., merces annua pastoris *servilis* (*Hirtenknechts*). *Et tuli* 30 *argenteos, et projeci eos in domum Domini ad statuarium*, hebr.

(1) Quod Zachariae praescribitur *Projice* etc., et quod Propheta deinde ait se fecisse *et tuli et projeci* etc., cogitandum est quasi in visione praefigurativa peractum.

ad figulum. Hoc sibi vult : Et feci quod Dominus mihi jusserat; nummos istos odiosos atque invisos projeci *ad figulum*, in locum illum nefandum qui *figuli ager* (in valle Hinnomi) vocatur ; eosdem simul projeci *in domum Domini*, quia haec etiam polluta est et Dei imprecationi obnoxia, sicut ager figuli. In mente vatis sacri idem est nummos projicere *in domum Domini* et *in agrum figuli*, et sensus est : eos cum contemptu summo a se abjicere.

Verba autem illa ad Christum facile referuntur : ipse enim est Pastor Israel κατ'ἐξοχήν ; 30 argentei, quos Judas in Templum projecit, et quibus ager figuli, in valle Hinnom situs, emptus fuit, sunt pretium vile et spernendum quo Judaei Christum, Pastorem suum, aestimarunt, et cujus solutione significarunt se non amplius velle ab eo regi ejusque legibus subjici. Igitur, per divinam Providentiam factum est ut sacerdotes hac in re Deo impellenti vel inscii obtemperarent. Eo vel magis quod agro isti a vulgo datum sit nomen, quo opprobrium rei gestae inustum fuerit sempiternum, ut deinceps dicemus.

Haceldama.

Q. 780. Ad v. **8.** 1° Quid sign. vox *Haceldama* ? Quid hoc nomine designatum fuit, a quibus et quare ? 2° Adde ubinam situm sit illud Haceldama.

R. ad 1^m. Sensus hujus vocis Chaldaicae חֲקַל דְּמָא *chakaldema* est *ager sanguinis* (hebr. דָּם sign. *sanguis*). Ita designatus fuit *ager figuli* (1), qui a principibus sacerdotum emptus fuit in sepulturam *peregrinorum*, puta, Judaeorum pauperum e regionibus exteris, qui, Hierosolymam ad dies festos adventantes, ibi forte moriebantur (Beelen) : cives enim Jerosolymitani, saltem ditiores, propria solebant habere sepulcra in suo quisque fundo (M. 27, 60) ; plebeis erat certe coemeterium quoddam commune ipsis destinatum.

Quum autem probabile sit Judaeos, qui e variis plagis Hierosolymam se conferebant, sicut Synagogas proprias habuisse constat, ita etiam sua sepulturae loca antea jam possedisse, alii sub nomine *peregrinorum* intelligunt **proselytos**, i. e. eos qui natione et origine

(1) Gr. cum articulo, gall. *le champ du potier*, fl. *'t pottersveld* ; non autem *un champ d'un potier*, fl. *een akker van een pottebakker* : est igitur aliquis ager determinatus, vulgo cognitus.

ethnici erant, sed ad verum Deum Israelis conversi fuerant (multi erant tales ea aetate M. 23, 15). S. Hilarius autem *in M.*, 32, cui concinit P. de Buck, putat hic designari ethnicos, quibus vallis Hinnomi maledicta congruebat. Sed obstat horum curam ad sacerdotes non spectasse.

Utut haec sint, ager emptus fuit triginta illis argenteis, quos Judas in mercedem proditionis acceperat, quosque retulerat et in Templum projecerat. Sacerdotes enim pecuniam *in corbonam*, i. e. in gazophylacium seu thesaurum sacrum mittere noluerunt. *Non licet* id facere, aiunt, *quia pretium sanguinis est.* Et re quidem vera, Deut. 23, 18 dicitur : *non offeres mercedem prostibuli, nec pretium canis* (scorti masculi seu pueri meritorii, sc. pretium quod talis obtinuit pro nefando concubitu) *in domo Dei tui.* Inde concludebatur generatim, pecuniam, actu quovis foedo seu turpi, v. gr. occisione viri innocentis, adeptam, in thesaurum sacrum reponendam non esse. Cf. Eccli. 34, 23 *Dona iniquorum non probat Altissimus, nec respicit in oblationes iniquorum.*

Isti hypocritae implicite semet ipsi condemnarunt : si pretium erat indignum Corbona, Judas male illud accepit, male quoque ipsi solutum fuit.

Itaque, sacerdotes ut verum et certum admisisse videntur quod dixerat Judas, pecuniam illam *sanguinis justi* pretium esse ; vel saltem crediderunt lucrum illud, a viro proditore obtentum, foedum esse Deoque exosum. Vide eorum **hypocrisin** in eo quod studium religionis et honestatis simulant. « Culicem liquant et « camelum glutiunt, ait s. Hier. Si enim ideo non mittunt pecuniam « in Corbonam, quia pretium sanguinis est, cur ipse sanguis « effunditur ? »

Nomen fuit monumentum impietatis perpetuum.

Jam vero, ut ait s. Lucas Act. 1, 19, totum illud *notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum Haceldama* (1), *hoc est ager sanguinis.* Igitur nomen illud, quod adhuc in usu erat, quando scribebat M. (10 circiter annis post rem gestam, vel aliquot annis postea, quando facta fuit versio nostra

(1) Vox *Haceldama* apud M. glossema est, ex Act. 1, 19 desumptum. Vera enim lectio apud ipsum est : *Vocatus est ager ille ager sanguinis usque in hodiernum diem.*

graeca), ut patet ex verbis v. 8 *usque in hodiernum diem*, a vulgo datum fuit agro illi in memoriam istius pretii, quippe quod *pretium* esset *sanguinis*, i. e. pretium pro occisione hominis solutum : atque ita rei istius fama, quam certe abolere voluissent Sacerdotes, per eorummet ipsorum actum, seu per locum ab ipsis electum, quasi per publicum monumentum, in perpetuum servata fuit : quod non sine *Dei providentia* factum est. S. Chrys. : « Nomen loci clarius « quam tuba, caedem ab illis perpetratam omnibus proclamat... « Si enim in Corbonam pecuniam conjecissent, res non sic mani- « festa fuisset : ipsi vero, agrum ementes, sequentibus genera- « tionibus totum patefecerunt. » Et s. Hier. « **Aeternum « impietatis** suae reliquerunt ex agri emptione **monumentum.** »

Situs. R. ad 2m. Haceldama « ad australem plagam montis Sion situm est », teste s. Hier. *Onom.*, *Acheldama :* hodiedum ostenditur in meridionali declivitate vallis Hinnom. Vide tabulam topographicam huic operi praefixam. S. Helena mediam partem istius agri muro includi fecit, et arenae copiam exinde Romam transtulit, ut *campum sanctum* prope Basilicam Vaticanam ea sterneret. Id quoque fecerunt Pisani a. 1218, quando celeberrimum *campum sanctum* in urbe sua exstruxerunt.

Sed jam tempus est ut ad Jesum revertamur, eumque coram Pilato stantem, Synedristarum accusationibus et judicis interrogationibus respondentem, pie contemplemur.

SCENA I.

Jesus coram Pilato accusatus, primum examinatur et innocens declaratur.

Tractationis ordo et summa. 1° Referemus verba Evangelistarum in varias distributa sectiones, ut loca parallela melius videantur. Dein 2° totam narrationis seriem summatim exponemus. 3° Seorsum disputabimus de accusationibus contra Jesum latis, earumque diabolicam astutiam et falsitatem certissimam demonstrare conabimur. 4° In specie et fusius dicemus de regia Christi potestate, deque ejus regno (quo spectabat unum e praecipuis istis criminibus). Tandem sequetur 5° quaedam appendix scenae 1ae, nempe missio Jesu ad Herodem. Unde 5 puncta.

P. I. Narratio Evangelica.

A. Judaei contendunt Jesum maleficum esse. Vult Pilatus ut ipsimet eum judicent.

Praeced. vide ante q. 770.

J. 18, 29. Exivit ergo Pilatus ad eos foras, et dixit: Quam accusationem affertis adversus hominem hunc? 30 Responderunt et dixerunt ei: Si non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum. 31 Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate eum. Dixerunt ergo ei Judaei: Nobis non licet interficere quemquam. 32 Ut sermo Jesu impleretur, quem dixit: significans qua morte esset moriturus. 33 Introivit etc.

B. Judaei accusationes magis distinctas jam adducunt.

Praeced. vide ante q. 770.

L. 23, 2. Coeperunt autem illum accusare, dicentes: Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari, et dicentem se Christum regem esse. 3 Pilatus etc.

C. Pilatus Jesum rogat num rex sit.

Praeced. vide ante q 775.

M. 27, 11. Jesus autem stetit ante praesidem, et interrogavit eum prases, dicens: Tu es rex Judaeorum? Dixit ille etc.

Praeced. ante q. 770.

Mc. 15, 2. Et interrogavit eum. Pilatus: Tu es rex Judaeorum? At ille etc.

L. 23, 3. Pilatus autem interrogavit eum dicens: Tu ex rex Judaeorum? At ille respondens etc.

J. 18, 33. Introivit ergo iterum in praetorium Pilatus, et vocavit Jesum, et dixit ei: Tu es rex Judaeorum? 34 Respondit etc.

D. Respondet Jesus regnum suum non esse terrenum.

J. 18, 34. Respondit Jesus: A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me?

35 Respondit Pilatus: Numquid ego Judaeus sum? Gens tua, et pontifices tradiderunt te mihi: quid fecisti?

36 Respondit Jesus: Regnum meum non est de hoc mundo: si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent ut non traderer Judaeis: nunc autem, regnum meum non est hinc. 37 Dixit itaque etc.

E. Affirmat tamen se regem esse.

M. 27, 11... Dicit illi Jesus: Tu dicis. 12 Et cum accusaretur etc.

Mc. 15, 2... At ille respondens ait illi: Tu dicis: 3 Et accusabant eum etc.

L. 23, 3... At ille respondens ait: Tu dicis: 4 Ait autem Pilatus etc.

J. 18, 37. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo rex es tu? Respondit Jesus: Tu dicis quia rex sum ego. Ego in hoc etc.

F. Innuit rursum munus suum spirituale esse.

J. 18, 37... Ego in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati: omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. 38 Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exivit etc.

G. Pilatus Jesum innocentem esse pronuntiat.

L. 23, 4. Ait autem Pilatus ad principes sacerdotum, et turbas: Nihil invenio causae in hoc homine. 5 At illi etc.

J. 18, 38... Exivit ad Judaeos, et dicit eis: Ego nullam invenio in eo causam. 39 Est autem consuetudo etc. *Ante q. 790.*

H. Instant accusatores: tacet Jesus, mirante Pilato.

M. 27, 12. Et cum accusaretur a principibus sacerdotum, et senioribus, nihil respondit. 13 Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quanta adversum te dicunt testimonia? 14 Et non respondit ei ad ullum verbum, ita ut miraretur praeses vehementer. 15 Per diem autem etc. *Post. q. 789*

Mc. 15, 3. Et accusabant eum summi sacerdotes in multis. 4 Pilatus autem rursum interrogavit eum, dicens: Non respondes quidquam? vide in quantis te accusant. 5 Jesus autem amplius nihil respondit, ita ut miraretur Pilatus. 6 Per diem etc. *Post q. 789.*

L. 23, 5. At illi invalescebant, dicentes: Commovet populum, docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc. 6 Pilatus etc. *Ante q. 786.*

P. II. Expositio continua universae narrationis.

Ante notamus a synopticis nonnisi unam Jesu interrogationem apud Pilatum referri: sed Joannem rem plenius narrare, et duplex distinguere examen, alterum ante flagellationem, alterum vero post eam institutum. Igitur, omnes et singuli tradunt Jesum rogatum fuisse essetne rex, verum solus J. aliam quaestionem *Unde es tu?* ponit.

Q. 781. Omnia et singula, quae fecerit Pilatus, antequam Jesum ad Herodem miserit, ex ordine narra et explica.

R. 1° Quum Synedristae ad praetorium advenerunt, Jesus, ut

videtur, in ipsum palatium introductus fuit (J. 18, 28 citat. supra p. 960); ipsi vero domum illam, a viro ethnico occupatam, ingredi noluerunt, *ut non contaminarentur*. Pilatus autem, quamquam erat alienigena, Judaeorum tamen legem reveritus est, et morem qui apud eos obtinebat religiose servavit.

Idque Romani in Provinciis ex prudenti quadam indulgentia facere solebant: quod testatur Jos. *Ant.* 16, 2, 3; *Bell. Jud.* 6, 6, 2; *Contra Ap.* 2, 6, ubi dicet admiratione dignam esse « Romanorum magnanimitatem atque modestiam, qui subditos suos ad patriorum institutorum violationem non cogant. » Atque idem ille historicus *Ant.* 14, 10 plurima refert Romanorum decreta in Judaeorum gratiam edita, quibus eis permittebatur ut patriis moribus et sacris uterentur.

Ideo Procurator J. *exivit ad eos foras*, sc. in porticum de qua q. 772 venit; et dixit *Quam accusationem affertis adversus hominem hunc?* Secundum Jus Romanum (Act. 25, 16) postulat positivam quamdam accusationem de crimine. Jam aliquid audierat de proposito Synedristarum comprehendendi Jesum, quum cohortem in hunc finem concessisset: sed nondum distincte noverat cujus criminis homo ille accusaretur. Dictio *hominem hunc* nullum involvit contemptum hic in ore Pilati.

Synedristae autem cum **supercilio** et **stomacho** respondent, crimen omnino generale, quod nihil habet certi et definiti, adducentes: *Si*, aiunt, *non esset hic malefactor, non tibi tradidissemus eum.* Nota *hic*, οὗτος: propter contemptum odiumque Jesum nomine proprio vocare non dignantur (simile quid vide Act. 5, 28).

Itaque, auctoritatem suam sufficere existimant, etiam ad hoc ut Jesus morte dignus censeatur, et hoc audent sibi arrogare cum rara **impudentia**. Produnt simul sceleratam suam mentem: etenim expetunt « exsecutorem magis saevitiae [alias *sententiae*], « quam arbitrum causae (s. Leo, *De Pass.* 8). » Quasi dicerent: A nobis, magni Consilii judicibus, universae gentis primoribus, postulas accusationem adversus hominem quem tibi tradimus? Ex hoc solo, quod istum ad tuum adducimus tribunal, scire satis potes eum esse facinorosum.

Sed quanta sit **istorum arrogantia**, nemo non videt. Ergone tam justi tamque sancti erant, ut nefas esset Pilato suspicari eos ex

invidia, vel odio, aliave animi malitia, contra virum innocentem quidpiam moliri, aut eum vexare ac calumniari umquam potuisse ? Verum, et Evangelica et profana historia docet quales fuerint isti ; et certe ipsemet Procurator eos jam probe noverat.

Hic quidem ex verbis istis facile intelligit eorum mentem esse, ut contendant rei examen a se institutum plane sufficere ; sed supponere potest causam agi de aliquo delicto non capitali : igitur sese ostendit attonitum quod vir ille maleficus ad se perducatur. Haud ullum est dubium quin libenter abstinuisset ab istorum negotiis, atque eorum judicia tam aequa tamque honesta! eismetipsis relinquere voluisset. Ideo promptus respondet J. v. 31 : *Accipite eum vos, et secundum legem vestram judicate :* poterant enim Judaei causas decernere minores, quae capitis poenam non exigerent (1).

Dixerunt ergo ei Judaei : *Nobis non licet interficere quemquam* (2), secus ad te non venissemus : vir iste facinorosus, secundum sententiam a nobis latam, extremo dignus est supplicio ; verum, cum sine te causa illa expediri nequeat, sceleratum illum coram te sistimus, ut a te capitis damnetur, utque jussu tuo cruci affigatur.

Genus mortis praedictum. Obiter animadverte pontifices Deo disponente (inscios tamen) egisse, *ut sermo Jesu impleretur quem dixit significans qua morte esset moriturus* J., sc. a/ **crucis** supplicio : J. 12, 32 *Si exaltatus fuero a terra* etc. Ib. 3, 14 *Sicut*

---

(1) *Vos* et *vestram* haud carent emphasi. Satis callidum est responsum : nam, si isti velint loqui de judicio capitali, quod forte suspicatur Pilatus, crimen certum et definitum allegare debebunt. Sunt qui opinentur ipsum certo novisse capitis poenam requiri, ideoque *ironiam* vident in verbis ejus. Calmet vero censet ipsum propter metum Judaeorum de jure suo nimium cessisse. Fere concinit P. de Buck *Passieb.* qui putat Pilatum licentiam dedisse ut Judaei causam Jesu terminarent et reum supplicio afficerent (certe lapidibus eum obruendo). Haec ultima opinio parum probabilis est : Romanus ille vir non talis erat qui tam facile de jure suo *praecipuo* cessisset : vide quae supra dixi *de indole Pilati* q. 771bis.

(2) **Jus gladii Judaeis ereptum.** Ex verbis istis, ut nobis videtur, recte ac merito colligitur jus gladii id temporis Judaeis ereptum fuisse a Romanis (cf. q. 1032) etiam in causis religiosis (contra *Selden *De Syn.* 2, 15, 11, et *Kuin.).

Quaestio est satis intricata, et multum controversa, ut ait *Winer *Rwb. Synedr.* Praesertim difficultas est si agatur de causis religiosis : nam Jos. *Ant.* 14, 10, 2 refert decretum Julii Caesaris, quo conceditur Hyrcano ut judicium penes ipsum sit, *quando inter Judaeos quaestio oritur de Judaicis institutis*. Pariter apud Jos. *B. J.* 6, 2, 4 Titus affirmat Judaeis permissum fuisse ut qui septa in Templo transiret [ethnicus ingrediens in atrium Israelitarum] necaretur, etiamsi Romanus esset.

Quidquid sit, saltem arbitraria est explicatio illorum, qui dicunt sensum esse : Nobis non licet, *quia solemne Paschatis est,* sc. « Propter diei festi sanctitatem (s. Aug. *in J.*) ; » vel, nobis non licet interficere quemquam seditionis et Laesae-Majestatis reum ; vel Judaeos ita locutos fuisse propterea quod Dominum *cruci affigi* cuperent, quasi hic fuisset verborum sensus : Nobis non licet occidere quemquam *in cruce* (ita Theoph. post. s. Chrys.). Idem dicendum de sententia Patrizi *in J.*, qui opinatur Judaeos assentatorie egisse, eo fine ut capitis sententiam a praeside facilius obtinerent.

Moyses exaltavit serpentem etc. Ib. 8, 28 *Cum exaltaveritis Filium hominis* etc. M. 20, 19 *crucifigendum* coll. Mc. et L. in locis parall. (q. 540). Si a Judaeis supplicium irrogari potuisset, Jesus *lapidatus* fuisset tamquam falsus Propheta, Deut. 13, 5. Apud Romanos autem crucifixio erat poena contra seditiosos inferioris conditionis statuta (q. 847). Ceterum, in ista morte **crucis** erat alta quaedam significatio : Gal. 3, 13 *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum, quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.* b/ Christus etiam praedixerat se afficiendum morte a *gentilibus*, non a Judaeis, inferenda, M. 20, 19 *Tradent eum gentilibus* etc.

2° Judaei porro, ut Pilato demonstrent de causa majore jam litem haberi, cujus cognitio ad solum Procuratorem spectet, utque simul comprobent virum istum de capite damnandum esse, singillatim adducunt L. v. 2 tres accusationes gravissimas, diabolica astutia, quam statim indicabimus q. 782, inventas : sc. ab eo gentem subverti, tributum Caesari negari, imo regnum affectari.

3° His auditis, intelligit Pilatus reum, cui tot tantaque imponantur crimina, secundum juris normam a se interrogandum esse : ideo interius praetorii conclave ingreditur (*introivit iterum in praetorium* J. : istud *iterum* non sign. alterum introitum, sed indicat eum regressum fuisse in locum ubi antea erat : cf. J. 6, 15 ; 10, 17) ; et advocato Jesu, in praecipuam accusationem, quae alias includit, nempe utrum reipsa se regem Judaeorum dicat, inquirit (1). Hanc autem juridicam interrogationem, J. v. 33-38, quae a Procuratore exclamante *Quid est veritas ?* subito abrupta fuit, dedita opera lateque exponemus infra in quaestione speciali, sc. q. 783. Sed hic incidit **objectio** quam solvere debemus.

***Strauss** perfide rogat quomodo Joannes scire, et distincte referre potuerit quae dicta sint, quando Jesus secreto interrogatus fuit a Pilato. Sufficiat unam inter plures indicasse viam ac rationem. Facile, credo, admittetur, viros quosdam e comitatu Procuratoris huic examini adstitisse ac per istorum relationem notitiam rerum divulgatam fuisse.

4° Cum autem Procurator responso Jesu didicisset, de regno

(1) Pilatus, cum esset tantum *Procurator*, non habebat quaestorem, atque ideo ipsemet interrogationem juridicam instituit.

quodam spirituali, quod neminem offendere posset, controversiam fieri, iterum exiit ad Judaeos J. 38 et dixit : *Nihil invenio causae in hoc homine* (**judex primum declarat innocentiam Jesu**). Sed isti perrexerunt accusare eum : quare Pilatus eum adduxit foras, ut reum coram accusatoribus sisteret, mutuaque eorum disputatione veritas plane detegeretur.

5° Jam vero, Servator nihil respondit M. v. **12** ad omnes accusationes ; quamobrem praeses, illud admiratus silentium, eum compellavit, dicens Mc. : *Non respondes quidquam ? Vide in quantis te accusant. Non audis* M. v. **13** *quanta adversum te dicunt testimonia ?* Neque etiam ad haec respondit Dominus M. v. **14**, neque *ad ullum verbum,* quod adjecerunt vel Pilatus vel Judaei : ergo *amplius nihil respondit* Mc., *ita ut miraretur praeses vehementer* M. Tanto magis mirabatur, quanto facilius fuisset Jesu, cujus innocentiam ex instituto examine jam noverat, crimina objecta diluere omnia.

Silentium Jesu est nobis exemplum.

In silentio Jesu mirabatur Pilatus singularem ejus patientiam, summam animi tranquillitatem, heroicam fortitudinem et constantem mortis contemptum : quae certe omnia humanae naturae longe superiora esse videbantur. Nos etiam miremur, verum potius imitemur Salvatorem nostrum. « Bene tacet, ait s. Ambr. *in* c. 23 *Luc.*, qui « defensione non indiget. Ambiant defendi qui timent vinci ;... quid timeret, qui « non ambiret salutem ? Salus [forte legendum *solus*] omnium suam prodit [salutem] « ut acquirat omnium. » Bene tacet, qui stat coram iis qui veritatem audire nolunt. Bene tacet qui per hoc ipsum suam testatur innocentiam, adversariorumque vincit calumnias. « Scivit Salvator, ait Ps.-Aug. (in *Serm. suppos.* s. Aug., apud Migne in « append. *Serm.* 152), qui est Sapientia, quomodo tacendo vinceret. » Divinitus tacet, qui per silentium antiqua comprobat oracula (Is. 53, *7 Oblatus est quia ipse voluit, et non aperuit os suum : sicut ovis* etc.), quique admirabile patientiae et mansuetudinis exemplum simul dat. O quam saepe juvat tacuisse, quam saepe nocet locutum fuisse, praesertim cum injuria aut probro afficimur !

Christus silet interdum, interdum vero loquitur, ut in utroque doceat nos linguae usum secundum Dei et proximi caritatem moderari, atque adeo perfectioni Evangelicae assidue studere : etenim *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir* (Jac. 3,2).

Procuratori vero non respondit, probabiliter ideo quod iste aurem praebere noluisset, quando ab ipso seorsum interrogatus, in interiore conclavi praetorii, paratum se ostendebat ut veritatem doctrinae suae ipsi explicaret, J. 18, 38.

6° L. *At illi* (Synedristae) *invalescebant dicentes* : Tu, Pilate, nihil invenis causae in hoc homine? Sed *commovet populum* doctrina sua,

utpote *docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea* et pergens *usque huc* in Jerusalem. Hisce verbis unam ex accusationibus, quas contra eum adduxerant (*subvertit gentem* L.), confirmare conabantur. De **Galilaea** autem non sine malitia et astutia mentionem ingerunt: Galilaei enim viri fortes, ad rebellionem prompti, habebantur. Judas Gaulonita, de quo Act. 5, 37, Galilaeus erat. Deinde, haud diu antea Pilato graves et molesti fuerant quidam Galilaei, *quorum sanguinem ipse miscuerat cum sacrificiis eorum* L. 13, 1.

Verumtamen Procurator his commotus non fuit, neque accusatoribus fidem adhibuit: sed audiens *Galilaeam*, interrogavit si homo Galilaeus esset; et ut cognovit rem ita se habere, ad Herodem, qui princeps erat Galilaeae, eum remisit.

Atque haec quidem apud Pilatum, ante missum Jesum ad Herodem, gesta sunt: postquam autem ea generali ratione et ex ordine narravimus, nonnulla jam rerum capita singulatim fusiusque tractanda suscipimus. Ac primum quidem, de variis criminibus, contra Jesum ante Romanum judicem objectis, dicemus.

P. III. Accusationes tam astutae quam falsae.

Hic, in scena I, nonnisi de criminationibus, quae ante missionem Jesu ad Herodem, coram Pilato a Judaeis prolatae fuerunt, dicendum esset: verum universi tenor dramatis melius intelligetur, si omnes accusationes, etiam illas, quae post reditum Jesu ab Herode adductae fuerunt, simul consideremus. Eas autem A/ recensebimus omnes ex ordine, B/ diabolicam earum astutiam, et C/ insignem falsitatem ostendemus. Sit igitur quaestio sequens:

Q. 782. 1° Quaenam accusationes per vices coram Pilato contra Jesum allatae fuerunt? 2° Ostende eas diabolica malitia inventas, earumque singulas solerter dispositas atque ordinatas fuisse. 3° Easdem porro falsissimas fuisse demonstra.

A. Accusationes ex ordine recensentur omnes.

R. ad 1m. Jesus accusatus fuit primum generali quodam modo et infinito, sc. quod esset vir scelestus et facinorosus: *Si non esset hic* **malefactor,** *non tibi tradidissemus eum*, J. Dein distincte et singillatim explicarunt Judaei quorum scelerum ipsum crimina-

rentur : contenderunt enim eum **Laesae-Majestatis** reum esse ex triplici capite. 1° **Perturbator** est, aiunt (gall. *un séditieux, un révolutionnaire)* : namque *Hunc invenimus subvertentem gentem*, L. Sensus est: *invenimus*, vel instituto examine in forma juris, vel ex iis quae publice fecit et dixit. 2° **Prohibet** quominus **tributa** Caesari pendantur, et 3° dicit *se Christum* **regem** *esse :* L. Nota Χριστον βασιλεα ειναι, absq. art., germ. *Christus, einen König :* omittitur articulus, quia ad hominem alienigenam loquuntur.

Postea vero, cum Jesus jam flagellatus fuisset et populo exhiberetur, Judaei audientes Pilato mentem esse ut eum absolvat, accusationem immutant, affirmant ipsum contra legem Mosaicam gravissime peccasse, cum se **Filium Dei** faceret, J. 19, 7 : atque adeo crimen religiosum (quasi sit falsus Messias), coram Synedrio jam objectum, tandem renovant (4ª **accusatio distincta**).

B. Diabolica accusationum astutia.

R. ad 2m. Primum dicunt Jesum **malefactorem** esse, quod cum nihil certi ac definiti prae se ferat, facile asseri potest (cur facinus illud non dicitis ? exclamat s. Chrys. *in J.*) : sperant autem fore ut Pilatus argumenta aut testimonia, quibus probetur ista accusatio, petiturus non sit, sed simpliciter confirmaturus sit atque executurus sententiam ab ipsis, post sufficiens examen, ut innuunt, prolatam. Eo vel magis illud futurum esse confidunt, quod Synedrii capita adsint, incriminationemque sua muniant auctoritate suprema. At vero, Procurator Romanus, ad quem solum spectat causam capitalem decernere, statim ac intelligit ultimum supplicium contra reum expostulari, juri suo cedere nec potest nec vult. Ideo jam coguntur *criminum speciem* distincte explicare.

Ea autem **astute** eligunt, quae mentem viri Romani, munere politico insigniti, maximopere commovere nata sunt (lege Act. 18, 12 sq., ubi Gallio, Romanus judex, accusationes *religiosas* repellit). Ista vero deducunt ex eo quod statim antea Jesus in Synedrio se Christum Dei Filium professus fuerat : vulgo enim Judaei putabant Messiam fore regem terrenum. Tria jam distincta allegant.

1° *Hunc invenimus subvertentem gentem nostram :* διαστρεφοντα, *distorquentem*, ab obedientia Romanis debita *avertentem*, verbo, hominem seditiosum, **perturbatorem**. Sed undenam probatur

gravissimum illud Laesae-Majestatis crimen ? *Invenimus,* inquiunt, istum talem esse : numquid de testimonio nostro dubites ?

Certe sufficiebat crimen illud unum. Verum 2° aliud addunt, aeque grave, quo primum simul confirmatur : *invenimus eum* **prohibentem tributa dare Caesari.** Quid sentis, Pilate ? Nihil sane tibi magis cordi est quam ut tributa solvantur, quum haec sit muneris tui praecipua pars ut pecunia diligentissime colligatur : forsitan et tui interest, adeo quidem ut nonnulli ex istis nummulis tuo cedant emolumento. Cogita Judam illum Gaulonitam, qui Judaeos a tributis pendendis pariter prohibebat, tantamque molestiam Romanis intulit, abhinc viginti et aliquot annis (cf. Act. 5, 37 ; Jos. *Ant.* 18, 1, 1), etiam ex Galilaea, sicut Jesum, exiisse.

Callida gradatio in accusationibus. Numquid, cedo, terribilius afferri possit crimen ? Utique : nam manet adhuc **tertium,** illudque omnium maximum, quod solum sat superque sollicitare Pilatum debet, sed quo simul duo priora ineluctabili vi corroborantur.

Itaque 3°, *Invenimus eum*, pergunt, *dicentem se* **Christum regem** *esse!* Audistine, Pilate ? Non Tiberius Caesar, nec tu Procurator ejus, hic regnas, hic imperas : Jesus iste regnum affectat, nomenque *regis* sibi arrogat; et quo securius, quo vehementius populum in suas trahat partes, se dicit *Christum.* Jam vero, si Pilatus velit ulterius inquirere quid tandem lateat in illo *Christi* cognomine quod Jesus assumpsit, libenter id explicabunt Synedristae, et dicent : Per *Christum* intelligimus Dominatorem illum et Liberatorem, quem prophetae nostri olim praenuntiarunt, quemque Deus ipse nobis promisit. Igitur reus iste nomine Dei summam auctoritatem suam populo universo imponit.

Perfidi Judaei ! Nota eorum perfidiam : Jesum criminantur de hoc ipso quod a Messia suo fieri maxime desiderabant, et ad quod obtinendum prompte voluissent eum sequi tamquam ducem. Jugum enim Romanorum aegerrime ferebant, illudque excutere avide appetebant ; imo dentibus frendebant quod essent coacti tributum pendere peregrinis ethnicis, quos amabant vocare *canes*. Neque id ignorabat Pilatus, unde non potuit non suspicari aliud quid subesse : ideo criminationibus eorum diffidens, Jesum interrogat : *Tu es rex Judaeorum ?* q. 783.

Quid in fine egere isti accusatores versuti ? Postea autem, cum istarum inanitas accusationum judici jam prorsus perspecta esset, Judaeis nihil aliud supererat, quam ut redirent ad *crimen religiosum*, propter quod Salvator in Synedrio damnatus fuerat : J. 19, 7. Equidem vir ethnicus hac de re judicare non poterat : sed eo ventum erat tunc, ut per fas et nefas extorquere vellent sententiam : atque ideo accusationem in minas converterent terroremque Pilato injicerent.

Notatu etiam dignum videtur callidos istos accusatores diligentissime abstinuisse ab omni mentione **prodigiorum**, quae Jesus patrare solebat. Timebant certe ne Procurator de istis examen institueret.

Hisce et similibus rationibus **diabolicam** Synedristarum in arguendo reo **astutiam** solertiamque abunde perspicimus. Manet jam ut larvam eis detrahamus, atque inanitatem necnon impiam malitiam istarum criminationum breviter demonstremus.

C. Falsitas istarum accusationum.

R. ad 3^m^. *Malefactorem* dicunt eum qui *pertransiit benefaciendo* Act. 10, 38. Interrogentur igitur et respondeant, exclamat s. Aug. *In Joan. tr.* 114, 3, qui a maligno spiritu liberati fuerunt, sanati paralytici, mundati leprosi, surdi nunc audientes, muti jam loquentes, caeci videntes, mortui quos ad vitam revocavit, et praesertim insipientes illi quos sapientes reddidit : respondeant numquid sit *malefactor*.

Quod autem attinet ad tres alias accusationes, imprimis notemus (quod jam animadvertimus) falsum simulatumque animum eorum, qui de Romanorum juribus et potestate sollicitos se ostendunt nunc, sed qui alias dominatores semper odio habent, eisque acriter adversantur.

Hoc praemonito, petimus ut vel unus indicetur casus, quo Jesus *gentem subverterit*, vel eam contra Romanos excitaverit. Num forte quando mites et pacificos beatos praedicavit, aut quando patientiae necessitatem toties commendavit? « Paupertatem elegit (ait s. Leo, « *De pass.* 10), obedientiam suasit, mansuetudinem praedicavit : « hoc est vere, non Caesarem impugnare, sed adjuvare. » Praesertim notare juvat sequentia.

Observatio maxime attendenda. Jesus multa eaque durissima contra magistratus et superiores *Judaicos* dixit, **numquam** vero **contra** gubernatores et praesides **Romanos**, aut contra eorum ministros, vel unum verbum protulit, quum tamen sciret istos omnes populo haudquaquam gratos esse : imo vero, identidem ipsi exprobratum fuit quod publicanorum, qui tributa pro Romanis colligebant, esset amicus.

Mendacium rarae impudentiae. In specie, tantum abest ut Judaeos a tributis Caesari solvendis prohiberet, ut tertio ante die, publice in templo, aperte et dedita opera contrarium docuerit, dicens : *Reddite quae sunt Caesaris Caesari* M. 22, 16-21. Numquid igitur mendacium audacius et impudentius enuntiatum fuit umquam ?

Sed, aiunt, vult se regem facere. Tunc utique, quando, sciens *quia venturi essent ut raperent eum et facerent eum regem, fugit in montem solus* J. 6, 15. Aut forsitan quando explicavit regnum suum mere spirituale esse : L. 17, 21 *Regnum Dei intra vos est.* Aut quando J. 7, 3 renuit audire cognatos suos qui volebant ut iret *in Judaeam*, sc. Hierosolymam, et ibi *se manifestaret mundo*, certe ut in urbe principe dignitatem quamdam supremam et politicam sibi vindicaret. Mirus sane *regni affectator*, qui se abscondit quando magna populi multitudo cupit honorem regium ei deferre ; qui manifestationem suae potentiae quaerere recusat, qui uti non vult occasione oblata augendi suam famam suamque auctoritatem in urbe regia totius regni capite. Mirus rex, qui rudes quosdam ex Galilaea piscatores eligit sibi in duces, et magnates, et aulicos, qui divitias et honores constanter spernit, qui sinit se ab inimicis comprehendi et conspui, quum tamen uno verbo in terram eos omnes prosternere possit etc. !

Sed haec hactenus : satis et ultra diximus, ut calumniatoribus istis os occludamus, atque affirmate asseramus Jesum in judicium vocatum fuisse, non quod sceleris quidquam commisisset, sed quod *nimium boni fecisset*, quodque ideo *mundus totus post eum abiret* J. 12, 19, ut ipsimet adversarii fassi sunt ; ergo **ex invidia,** quia timebant ne *omnes crederent in eum* J. 11, 48, ob eamque causam a multo jam tempore decreverant *expedire ut* iste *unus moreretur homo pro populo*, ib. 50. En verum, en **unicum Jesu scelus !**

De crimine porro religioso, quod *Filium Dei* se faceret, sufficiat hoc unum notasse : Jesum fuisse verum Dei Filium, ut certis argumentis demonstratum erat ; indeque nihil aliud concludendum fuisse, quam ipsum qua talem recipiendum atque adorandum esse.

P. IV. De regia Jesu potestate, et de regno ejus.

His generatim dictis de variis Judaeorum accusationibus, oportet nunc longe lateque explicare crimen **Laesae-Majestatis,** de regno a Jesu affectato ; eo vel magis quod illud omnium gravissimum esset, mentemque Procuratoris Romani magnopere movere deberet. Ideo etiam Pilatus Jesum de eo primum interrogavit.

Q. 783. 1° De quo Pilatus primum interrogavit Jesum ? Quid hic respondit ? explica ejus verba, praesertim haec : *Regnum meum non est de hoc mundo.* 2° Proba ex Scriptura Christum vere *regem* esse.

R. ad 1m. Primum interrogavit (1) eum de illa Judaeorum accusatione, quae alias omnes pondere superabat et in se includebat, nempe de **regia dignitate** quam ipse sibi arrogaret (vide supra p. 990) : *Tu es rex Judaeorum ?* istud *tu* vi haud caret : tu, isto habitu, ista conditione ?

Jesus, antequam directe respondit, petiit J. : *A temetipso hoc dicis, an alii dixerunt tibi de me ?* i. e. tune revera putas me regem esse Judaeorum, an vero id rogas ex aliorum sententia ? Jesus non adfuerat quando Judaei ipsum apud Procuratorem accusaverant (statim enim in praetorium interius introductus fuerat, q. 772) ; sed pro certo ponit, et merito quidem, illam Pilati quaestionem ex eorum delatione et criminatione exortam esse.

Solertia Jesu. Quid igitur sibi vult per verba illa ? Ad tria quidem, ut mihi videtur, animum intendit : 1° cupit sensum definire quaestionis a judice propositae, statuendo utrum Pilatus ipsemet revera putet Jesum regem esse vel regnum affectare ; quo casu nomen *regis* in sensu Romanorum necessario sumitur, et nihil aliud significare potest quam regem politicum : an vero

(1) **Graece loquebatur Pilatus.** Quod Pilatus ipsemet reum interroget, plane consentaneum est cum iis quae ex Antiquitatibus Romanorum novimus : procuratores enim quaestorem, qui examen moderaretur judiciale, non habebant. Probabile admodum est praesidem lingua *graeca*, quae tunc sat vulgaris erat apud Judaeos (patet ex Act. 22, 2 Paulum potuisse graece loqui ad populum, quamvis libentius auditus fuerit eo quod hebraica uteretur lingua), quamque certe Jesus identidem usurpabat, interrogationes proposuisse. Similiter factum est cum Pilatus Synedristas ipsamque plebem alloquel atur.

repetat tantum quod alii, sc. Judaei, dixerunt, quo posito, per nomen *regis* indicatur Messias a Judaeis exspectatus : jam vero, Messias ille falso habetur tamquam rex politicus, ut statim explicabit Jesus. Igitur, cupit sibi viam parare ad declarandum qualis sit rex. 2° Forsitan etiam vult cogere judicem ut adversarios adducat et coram sistat. 3° Simul ejus conscientiam pungit (Mald.), quasi dicat : Tu utique scis me regem Judaeorum non esse, sed istud ex inimicorum meorum sententia rogas.

Praeses autem, illa Jesu libertate **offensus,** respondet cum stomacho et acerbitate quadam : Non certe ex mea sententia id inquiro : ego Judaeus non sum, multum abest (J. *Numquid ego Judaeus sum ?* interrogatio pro vehementi negatione) (1) ; et proinde regem Judaeum neque agnosco, neque exspecto. Sed hoc peto, quia de affectata regia dignitate accusaris a gente tua (*gens tua* et imprimis *pontifices tradiderunt te mihi,* contendentes quod tu te regem Judaeorum jactes) : **quid fecisti ?** puta, quod attinet ad illud crimen.

Tunc directe ad quaestionem respondit Jesus, sed primum negando aliquid, deinde aliud affirmando.

Etenim a/ **Regnum meum,** inquit, **non est de hoc mundo,** J., i. e. « Rex quidem sum, sed non qualis tu suspicaris, verum « longe splendidior (s. Chrys. *in J.*) ; » non sum rex eo sensu quo Judaei me accusant ; rex terrenus sicut alii reges, civilem politicamque cupiens potestatem : verum **rex** sum **spiritualis,** adeoque regnum meum coeleste est et internum, et qua tale in animos, non in corpora, suum exserit imperium ; et, quod inde consequitur, veritate doctrinae vitaeque sanctitate, non autem armorum vi aut jure belli stabilitur. Ideo, ut acute notat s. Aug. *in Joan.*, regnum ejus est *in hoc mundo,* quamvis non sit *de hoc mundo ;* sicut discipuli ejus sunt *in mundo* J. 17, 11, quamvis non sint *de hoc mundo* v. 14.

Itaque his verbis « declarat, ait Ben. XIV, c. 7, 42, se reum non « esse Laesae-Majestatis, nullumque principem hujus mundi « debere de eo quidquam suspicari, aut ab eo sibi cavere. » Etenim, ut cantat Ecclesia in festo ss. Innoc., « Non eripit mortalia, qui regna dat coelestia. » Cf. q. 785.

(1) Verba ista *Numquid ego Judaeus sum ?* ostendunt vehemens odium magnumque in Judaeos contemptum Pilato fuisse : quod quidem ex iis quae supra q. 771 sq. notavi satis explicatur.

Deinde pergit Salvator, et, quod statim dixerat, invicto argumento demonstrat : *Si ex hoc mundo esset regnum meum, utique* haberem *ministros meos*, qui *decertarent* vi et armis *ut non traderer Judaeis :* sed nolui ut quis me defenderet, atque ita satis declaravi regnum meum non esse hujus mundi. Quamobrem nihil est quod potestati tuae vel imperatoris tui a me timeas. — Observatum ab omni tempore est, ait *Byn. *De morte J.*, eos, qui regnum aliquod ambiunt, coegisse magnam armatorum manum. Nemini affectati imperii crimen objici potest, nisi qui deprehensus fuerit tale quid perfecisse.

Pilatus certe hujusmodi Jesu responsum, quo sibi regnum et proinde regiam dignitatem vindicabat, non exspectaverat : ideo cum insigni ludibrio rogat *Ergo rex es tu ?* Fateris te esse regem ?

b/ Jam oportet ut Jesus affirmate et asserendo respondeat ; atque ideo sine ullis ambagibus se regem declarat, et talia addit verba quibus naturam regni sui interni et spiritualis clare definiat : *Tu*, ait, *dicis quia rex sum ego*, i. e. **utique sum rex !** Et ecce quale est regnum meum : *Ego in hoc natus sum* etc., q. 784.

Christus in Scriptura demonstratur rex.

R. ad 2m Igitur Christus rex erat, et nunc est, et semper erit : in eo factum est quod Angelus Mariae praedixerat : *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Quare Apoc. 19, 16 *Habet in vestimento et in femore suo scriptum : Rex regum et Dominus dominantium.* Ipse enim de se Ps. 2, 6 *Ego*, ait, *constitutus sum rex ab eo* (Deo Patre, *super Sion montem sanctum ejus* (super Ecclesiam Dei), *praedicans* (ut praedicem) *praeceptum ejus...* Et re quidem vera, olim jam dixerat ad eum Deus Pater ib. 8 : *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.* Ideo etiam ipse Jesus loquens Apostolis : *Data est*, inquit, *mihi omnis potestas in coelo et in terra* M. 28, 18 ; et m rito hanc sibi vindicavit potestatem, quum (cf. Ps. 109) *sedes* ejus sit *a dextris Dei*, utpote qui regno Patris sit consociatus ; *virga* seu sceptrum *virtutis* et potentiae ejus *e Sione* egreditur, ut *dominetur in medio inimicorum*, utque omnes perfecte sibi submittat (quasi fiant *scabellum pedum* ejus). Quidquid jam *fremant gentes* adversae, quidquid *populi meditentur inania* contra regiam ejus potestatem (Ps. 2, 1) : *oportet* (nota vim verbi hujus) *illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus* 1 Cor. 15, 25.

Id agnoscamus, et cum summo mentis obsequio, seu melius cum vero cordis amore, dicamus verba illa praeclarissima, quae in obelisco, ante ecclesiam s. Petri in Vaticano Romae erecto, inscripta leguntur : *Christus vincit, Christus regnat, Christus imperat.*

Regnum regis Christi veritas.

Q. 784. Ostende ex verbis Jesu ad Pilatum regnum ejus esse *veritatem*. An serio respondit Pilatus : *Quid est veritas ?*

Porro Jesus, postquam diserte asseruerat se regem esse, quaedam addit ad naturam regni sui magis magisque explicandam. Utique, ait, rex sum ego : neque id abscondere volo : etenim J. *in hoc natus sum, et ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati*, utque veritatem nuntians, homines veram religionem doceam : en munus meum, en regiam dignitatem, en auctoritatem meam ! *Natus sum* et *veni in mundum* bis idem non est : primum significat ortum, alterum munus seu officium ; utrumque vero in unum recidit apud Jesum, et nonnisi ut major sit vis verborum distincte exprimitur (Bisp.).

Pergit autem Salvator : *Omnis qui est ex veritate*, qui rectum et sincerum habet animum, veritatisque studiosus est, *audit vocem meam*, meam amplectitur doctrinam : isti sunt cives ditioni meae subjecti ; haec est ratio qua regnum meum extendam. Inde facile dijudicare poterat Pilatus, quo sensu Jesus se regem diceret, et quaenam tandem esset natura regni ejus.

Praeterea, Procurator iisdem verbis ad conversionem indirecte allicitur (s. Chrys. *in J.*) ; quod cum sentiat, petit : **Quid est veritas ?** τι εστιν αληθεια ; Nota art. deesse, ergo sensus est : *was ist Wahrheit*, non *was ist die Wahrheit wovon du sprichts ?* Latine *Quid significat ista vox Veritas ?* seu *Veritas, veritas, quid hoc est ?* Non : *quid est veritas illa*, de qua loqueris, quam dicis a te praedicari, et propter quam affirmas te in mundum venisse ?

Igitur, **verba** sunt **hominis** fastidientis, levis et mundani, **animo sceptico praediti**, res terrenas tantum curantis, religiosas philosophicasque disquisitiones contemnentis : quasi Pilatus secum dixisset : « Veritas ! veritas ! merum nomen, flatus venti, phantasma ! Quam insipiens est ille, qui in re hujusmodi omnem vitae suae operam impendit, multo magis qui tam inani fundamento regnum sibi vult superstruere ! Vel saltem, res homini prorsus abscondita et impervia, ab intelligentia sensuque disjuncta ! »

Hunc autem fuisse Procuratoris animum, colligimus ex eo quod ipse Jesu responsum non exspectaverit. De cetero, jam a tempori-

bus antiquis philosophi gentium ea fuerunt in opinione, veritatem cognosci non posse : unde Socrates (teste Cic. *Acad. quaest.* 1, 16) dicere solebat se unum scire, nempe quod nihil sciret.

Opinio parum firma. Sunt qui putent Pilatum animo serio et sincero exclamasse *Quid est veritas ?* Dic mihi quid sit, ut eam etiam amplectar ; vel saltem hoc sensu : Utinam quis posset mihi patefacere veritatem ! Utinam tu, utinam quilibet posset mihi dicere quid sit veritas ! Quasi judex ille habendus sit ut vir veritatis avidus, qui tristis exclamet veritatem homini absconditam esse. Sed istorum interpretatio minime probabilis est : namque Pilatus, si ita fuisset animatus, Jesu responsum utique exspectasset; deinde indoles ejus et tota agendi ratio huic repugnant.

Obiter nota, inter illud examen in Jesu responsis admirabilem **animi tranquillitatem** atque patientiam imperturbatam constanter resplenduisse. S. Chrys. *in J.* 18, 37 ea de re inquit : « Mira- « bilis res est *patientia*, quae animam, a fluctibus spiritibusque « malignis liberatam, quasi in tranquillo portu constituit ! »

Animadverte etiam, ad interrogationem Jesu coram Pilato non referri illud 1 Tim. 6, 13 *Testimonium reddidit sub Pontio Pilato* (contra *Byn. *De morte J.*) : videsis verum sensum in comm. nostro *Epist. Paul.* 6ª ed.

Hactenus de iis, quae Jesum inter et Pilatum in prima interrogatione judiciali dicta fuerunt, satis disputavimus. Manet ut verba *Regnum meum non est de hoc mundo*, quae nostra aetate saepe male explicantur, altius et plenius perscrutemur, atque ostendamus contra civilem Romani Pontificis potestatem inde nihil concludi posse.

De duplici potestate, et de Romani Pontificis civili principatu.

***Q. 785.** 1° In quibus rerum adjunctis dixit Jesus verba celeberrima *Regnum meum non est de hoc mundo ?* (solus J. haec refert) 2° Ex vero eorum sensu collige, his non repugnare regiam civilemque Summi Pontificis, Christi Vicarii in terris, potestatem.

R. ad 1m. Vide q. 783.

R. ad 2m. Ut in praec. jam indicavi, Christus non negat se in hoc mundo imperare, sed indicat sibi imperium esse supernum, humano longe majus ac splendidius (s. Chrys.) : igitur, affirmat se non esse regem sensu vocis consueto et

vulgari, potestate civili seu politica praeditum, proinde sibi mentem haudquaquam esse ut Pilato aut Caesari eripiat principatum ; sed simul innuit (quod paulo post apertius significat, cum dicit *Ad hoc veni in mundum ut* etc.) se regem esse alio sensu, regem non *de hoc mundo*, sed *de altero mundo*, **regem** coelestem et **spiritualem,** cujus dominium sit **in rebus spiritualibus,** i. e. talem qui cum suprema potestate animum et conscientiam hominum regat, quid verum sit et justum et sanctum decernat, cujus legibus obedire teneantur omnes, non solum in vita privata, sed etiam in vita publica, id est in muneribus civilibus et politicis (quod postulat regnum Christi *sociale*, si ita loqui fas est), etc.

Aliis verbis, tacite docet **duas** esse **potestates** distinctas, alteram quidem spiritualem, quam sibi vindicat, alteram vero terrenam et politicam, quam legitimis principibus relinquit ; quarum **prior superioris** est **ordinis** et jure divino independens, posterior vero inferioris est gradus, nihilque efficere licite potest quod priori repugnat : cf. supra annot. in M. 22, 21.

Jam vero, ista utriusque potestatis distinctio non impedit 1° quominus Ecclesia **externi regiminis jura** habeat, quibus regnum suum spiritale et tueatur et promoveat ; neque ulli potestati civili licet jura ista infringere.

2° Nihil etiam obstat quominus, in quibusdam rerum adjunctis, propter graves causas, **utraque potestas** in manu unius ejusdemque personae, sc. Romani Pontificis, **conjungatur :** haec autem conjunctio in praesenti mundi politici statu utilissima, imo vero necessaria est, ad plenam libertatem perfectamque independentiam supremae potestatis religiosae, summo Pontifici divinus collatae.

Declarationes solemnes de Rom. Pont. civili principatu. Quod quidem praeclare docuit Pius IX, in alloc. consist. 9 jun. 1862 decernens : « Hunc *civilem* « *s. Sedis principatum* Romano Pontifici fuisse singulari divinae Providentiae con- « silio datum, illumque *necessarium esse, ut* idem *Romanus Pontifex*, nulli umquam « principi aut potestati civili subjectus, *supremam* universi Dominici gregis « pascendi regendique *potestatem* auctoritatemque, ab ipso Christo Domino divini- « tus acceptam, per universam Ecclesiam *plenissima libertate exercere,* ac majori « ejusdem Ecclesiae et fidelium bono, utilitati et indigentiis consulere *possit.* » Pridie jam, sc. die 8 Jun. 1862, Episcopi 400, tunc Romae praesentes, sequentem ediderant declarationem, quae coram summo Pontifice lecta atque ab eo approbata fuerat : « Civilem s. Sedis principatum ceu quiddam necessarium, ac providente « Deo manifeste institutum, agnoscimus ; nec declarare dubitamus, *in praesenti* « *rerum humanarum statu, ipsum hunc principatum civilem pro bono ac libero Ecclesiae* « *animarumve regimine omnino requiri.* » Vide *Syllab.* 8 Dec. 1864, prop. 75 et 76. Leo XIII in Encycl. 21 Apr. 1878 pariter decrevit : « Principatum hunc (civilem) ad « plenam libertatem spiritualis potestatis tuendam conservandamque esse neces- « sarium. »

Tandem 3° **distinctio** non est **separatio,** multoque minus **oppositio ;** sed contra, oportet ut potestas civilis in eumdem finem ultimum ac potestas ecclesiastica tendat, adeoque regnum Christi spirituale adjuvet et promoveat (in ordine tamen suo manens) : *Caesar* etiam, tamquam persona privata et tamquam *Caesar*, debet *Deo reddere quae sunt Dei* sicut singuli cives.

Sed jam tempus est ut eo, unde digressa est, referat sese oratio, utque historiam Jesu patientis tandem repetamus.

Diximus supra p. 998 Pilatum, quum audiret reum de Galilaea esse, eum ad Herodem, Galilaeae tetrarcham, misisse. Hac de re deinceps tractandum, sed juvat animadvertere factum illud nonnisi secundarium esse in dramate Passionis, quum parum vel nihil ad nodum solvendum contulerit : ideo id trademus ut appendicem ad 1^m^ scenam. Gall. dicere liceat : *Au fond ce n'est qu'un épisode, qui n'affecte pas, ou presque pas, la marche du drame.*

P. V. Appendix 1æ scenae.

Jesus ad Herodem missus, acerbe irridetur et mox redit ad Pilatum.

Praeced. vide ante q. 781.

L. 23, 6. Pilatus autem audiens Galilaeam, interrogavit si homo Galilaeus esset. 7 Et ut cognovit quod de Herodis potestate esset, remisit eum ad Herodem, qui et ipse Jerosolymis erat illis diebus.

8 Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde : erat enim cupiens ex multo tempore videre eum, eo quod audierat multa de eo, et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri. 9 Interrogabat autem eum multis sermonibus. At ipse nihil illi respondebat. 10 Stabant autem principes sacerdotum, et Scribae constanter accusantes eum. 11 Sprevit autem illum Herodes cum exercitu suo : et illusit indutum veste alba, et remisit ad Pilatum. 12 Et facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die : nam antea inimici erant ad invicem. 13 Pilatus autem etc. *Ante q. 789.*

Solus L. de Jesu ad Herodem misso scribit ; attamen factum illud, quod apud M. inserendum est post 27, 14, paucis exponemus, ut historiam Christi patientis completam atque omnibus numeris absolutam narremus. Ante notamus palatium Herodis, secundum traditionem Hierosolymitanam, haud procul a praetorio Pilati (circiter 100 passus) situm fuisse : nimirum *sur la colline Bezétha, au N. O. du Prétoire, entre la porte de Damas et la porte d'Hérode* (1).

(1) Ita Mislin : verum **dubia** mihi videtur **traditio,** quum de isto palatio nihil inveniam apud Allioli, Danko aliosque viros eruditos, ubi aedificia praecipua urbis describunt. Ideo recentiores plerique ab ista traditione locali recedunt, et putant Antipam occupasse palatium splendidum patris sui, prope turrem *Hippicum*, de quo diximus q. 772 ; vel potius (Fouard), cum palatium illud primarium totius urbis Procuratori Romano videatur traditum fuisse, Antipas manebat in antiquo Asmonaeorum palatio prope Templum, ut notavi ib.

Omnia et singula, quae ad pleniorem facti hujus expositionem requiri videntur, in seq. quaest. ex ordine describere conabimur.

Compendium analyticum.

Q. 786. 1° Quam ob causam Pilatus Jesum ad Herodem misit? Quis erat ille Herodes? 2° Quaenam fuerunt sensa ejus, quando Dominum vidit? Adde unde orirentur sensa illa. 3° Quid factum est de Jesu apud Herodem? Ostende principis hujus nequitiam hac in re et astutiam. 4° De *veste alba*, qua indutus fuit Servator, quaeritur a/ vestisne intelligenda sit pulchra; b/ utrum necne a Christo ad Pilatum redeunte gestaretur; c/ cujus rei signum seu figura haberi possit. 5° Quomodo Herodes erga Pilatum affectus fuit per istam Jesu missionem? 6° Quaenam poena Herodi divinitus irrogata fuit?

Responsa ad singula quaestionis membra separatim trademus, in totidem pericopis distinctis, pro majore rerum perspicuitate atque ordine.

A. De Herode, et de causa quare ad ipsum missus sit Jesus.

Herodes iste, cognomine **Antipas**, Herodis Magni filius, erat vir impudicus et crudelis, qui Joannem Bapt. occiderat M. 14, 10, contra quem Salvator discipulos monuerat (Mc. 8, 15 *Cavete a fermento Pharisaeorum et fermento Herodis*), homo astutus et Christo inimicus (L. 13, 31 et 32 *Herodes vult te occidere... Dicite vulpi illi* etc.), eo vel magis quod putaret ipsum esse Joannem ad vitam revocatum Mc. 6, 16; unde videmus isti principi etiam animum fuisse superstitiosum: jure igitur ac merito Jesus ab eo cavebat, atque ex ejus territorio recesserat, in iis rerum adjunctis quae M. 14, 13 narrantur.

Jam vero, cum Herodes **Galilaeae et Peraeae** esset **Tetrarcha,** Christus *de potestate ejus* erat, i. e. de ipsius ditione, ejusque tribunali subditus erat, non solum ratione habitationis, sed etiam propter ortus locum (habebatur enim Nazarethanus, etsi Bethlehemi natus): attamen Pilatus, quamvis jurisdictionem non haberet in Galilaeam, potuisset et debuisset ipsum judicare, quia in Judaea captus fuerat, accusabatur de crimine in Judaea commisso, et ad tribunal Praesidis Romani res semel delata fuerat.

Pilatus callidus. Pilatus autem, ex ore accusatorum audiens Jesum Galilaeum esse, et aliunde sciens Herodem, Galilaeae principem, hoc ipso tempore Jerosolymae versari (1), Jesum ad eum

(1) Herodes Antipas, utpote Judaeus, patre natus proselyto, Hierosolymam, ubi palatium habebat, occasione Paschatis venerat.

misit (Vulg. *remisit* (1) ανεπεμψε), libenter, ut videtur, hanc arripiens occasionem ut ab ista causa se liberaret: ab una enim parte, persuasum habebat Jesum esse innocentem, eumque damnare nolebat; ab altera autem parte, timebat displicere Judaeis eum absolvendo, eo vel magis quod alias jam eos pluries offendisset (cf. q. 771). Forte etiam opportunum ei videbatur observantiae cujusdam signum Herodi exhibere, ut amicitiam ejus sibi conciliaret (vide infra dicenda sub litera E).

B. Sensa Herodis Jesum videntis.

L. *Herodes autem, viso Jesu, gavisus est valde: erat enim cupiens a multo tempore videre eum* (idque L. jam testatus est 9, 9 dicens *quaerebat videre eum*), *eo quod audierat* (graece *audiebat*, i. e. frequenter, constanter audiebat) *multa de eo*, puta de doctrinis ejus rebusque gestis mirabilibus (cf. M. 14, 1 et loca parall. ib.); *et sperabat signum aliquod videre ab eo fieri.*

Olim quidem L. 13, 31 quaesierat eum e ditione sua per dolum removere, quia tanta turba ad eum accurrebat, et inde timebat plebis tumultus iramque Romanorum. Nunc autem principi huic levi sese offerebat occasio per quam sine minimo periculo curiositatem suam satiare posset: ideo *gravisus est.*

C. Quid coram Herode actum fuerit.

Ad tria rerum capita omnia revocari possunt.

a/ *Herodes*, aulicis circumdatus, *interrogavit eum multis sermonibus: at ille nihil respondit* (animadverte *multis* ex una parte, et *nihil* ex altera parte), quia noverat serium non esse istud examen, utpote ex mera et vana curiositate institutum: imo vero, forsitan cum levitate animi et contemptu loquebatur Herodes, quasi ad incantatorem quemdam seu veteratorem, qui plebem deciperet, verba faceret. Certe rarae pravitatis, et improbissimae mentis fuisse principem istum impudicum et astutum dicere oportet, quum Jesus vir ille humillimus, qui peccatores vocare venerat, eosque tam diligenter quaerebat ut *amicus publicanorum et peccatorum* haberetur L. 7, 34, ne ullum quidem verbum ipsi respondere

(1) *Remisit* propria est Romani juris vox, ait *Grotius: nam *remittitur* reus, qui, alicubi comprehensus, mittitur ad judicem aut originis, aut habitationis.

dignatus fuerit. **Nemini**, in universa Evangelii historia, **reprehensio acerbior**, seu potius major magisque aculeata ignominia, **a Jesu illata fuit**, quam homini isti effeminato et fastuoso.

b/ Interea temporis *stabant principes sacerdotum et Scribae constanter* (εὐτόνως, *vehementer*, magna cum contentione) *accusantes eum*, certe imprimis de affectato regno.

c/ Istae tamen accusationes Herodem minime moverunt, et frustrata fuit spes Synedristarum, qui aestimabant apud principem suae gentis necessarios non fore falsos praetextus ut Jesus tamquam Pseudo-Messias damnaretur ; vel saltem sperabant accusationes tales quales bene accipiendas esse. Herodes autem videtur non multum attendisse ad istorum vehementes sermones contra Jesum : vir enim erat origine Idumaeus, inclinatus ad incredulitatem Sadducaeorum, religiosasque quaestiones flocci faciens. Ante omnia quietem suam quaerebat (*amans quietis*, Jos. *Ant.* 18, 7, 2), et nondum sane oblitus erat terrores quos subierat post necem Joannis B., M. 14, 2. Ideo Jesum dimisit, sed non honorifice, ut facere debuisset ; contra, contumeliose egit in eum.

Vidit enim a rege isto nihil timendum esse : igitur *sprevit eum* ut hominem vilem, impotentem, quas' semi-fatuum ridicula ambitione inflatum, qui se putaret regem. *Sprevit eum cum exercitu suo* (στρατεύμασι in plur., cum militibus, satellitibus suis), i. e. ipse omnisque comitatus ejus, satellites et ministri ejus omnes ; et *illusit indutum veste alba*, per irrisionem et ex contemptu induit eum VESTE ALBA, *et remisit ad Pilatum*.

Herodes autem, hac agendi ratione, non solum virum nequam et improbum, sed simul etiam **vulpem** astutam (L. 13, 32) se demonstravit : etenim, et Pilato reddidit honorem quem ab eo acceperat, et Judaeis gratum se praestitit illudendo Jesum, et a molestia istius causae, cujus judicium exitumque potuisset postea Procurator male interpretari, facile et jocose se liberavit, universum illud negotium Pilati arbitrio relinquens.

D. De veste alba.

Statim diximus Jesum, ludibrii causa, jussu Herodis, indutum fuisse veste alba. Hac de re specialem juvat instituere investigationem : quae quidem ut completa omnibusque numeris absoluta

sit, tria inquirere oportet : 1° estne intelligenda vestis *pulchra* ? 2° Cum Jesus ad Pilatum rediret, an vestem illam adhuc gestabat? 3° Cujus rei signum seu figura in eadem inveniri potest ?

a. Vestis erat pulchra, forte albi coloris.

Vestis, qua Jesus indutus fuit (1) dicitur λαμπρα, i. e. **splendida,** pulcherrima, pretiosa, qualem reges, praesertim diebus festis, gerebant, vel (ut ait Ben. XIV) qualis virum decebat primarium. Ergo, a veritate prorsus aberrant concionatores sacri, qui vestem illam sordidam detritamque pingunt. Herodes, cum Jesum irridere vellet ut ementitum regem, talem elegit vestem, quae regiae dignitati conveniret, ut in scena fieri solet. Sententiam porro illorum (v. gr. Danko, *Hist. rev. N. T.*) qui putant Jesum veste alba indutum fuisse tamquam regni *canditatum*, secundum morem Romanorum, minus approbo, quoniam res agitur a Judaeo et cum Judaeis. Fouard opinatur *albam* vestem electam fuisse, quasi ageretur de viro fatuo, criminis incapaci.

Quod autem colorem attinet, proprie loquendo, in scriptura Evangelistae primigenia non dicitur vestem fuisse *albam* : forte alius fuit coloris splendidi, v. gr. hyacinthini, vel (Syr.) coccinei etc. Saltem, si *alba* fuerit, oportet supponere eam arte fullonis splendidam factam fuisse (Mc. 9, 2), et candidam sicut nivem (Jac. 2, 2 *veste candida*, λαμπρα) ; vel ex materia pretiosiore confectam, necnon ornamentis acu pictis decoratam. Reipsa *albam* fuisse probabilius est (M. 17, 2 ; Act. 10, 30 ; Apoc. 3, 5 ; 7, 9 et saepius), propterea quod in usu vulgari et consueto, olim apud Judaeos sicut et hodiedum in Oriente, vestimenta *alba* saepius gestarentur : intelligitur (quando agitur de usu communi) color ille albus, qui per se et ex natura proprius est materiis adhibitis, ut lanae, lino et gossipio (gall. *coton,* germ. *Baumwolle*).

b. Jesus ad Pilatum rediens, vestem illam gestasse videtur.

Petitur jam utrum Jesus, rediens ad Pilatum, vestem illam splendentem gestaret.

---

(1) Per se patet intelligendam esse vestem superiorem, seu *pallium*, non vero *tunicam*.

Plerique auctores credunt ita factum esse, eique opinioni favet textus graecus, qui non habet καὶ ante *remisit* et in quo, juxta *Tischend., virgula non est ponenda post λαμπρὰν : tunc enim sic vertendum erit : *Sprevit autem eum Herodes cum militibus suis et illusit : indutum veste splendida remisit ad Pilatum*, i. e. postquam induisset veste splendida, remisit eum ad Pilatum. Ergo Herodes cum satellitibus eum sprevit et illusit, deinde eum veste splendida induit, et sic indutum remisit ad Pilatum; quod videtur supponere Jesum apud Herodem praeter ludibrium vestis alias passum fuisse irrisiones.

Vulgatae autem, quae legit *καὶ et* ante *remisit*, alius sensus adscribi potest, secundum quem Jesus, postquam veste pulchra indutus et illusus fuerat, deinde veste illa detracta remissus fuit ad Pilatum : ita Schegg. Verum nihil impedit quominus Vulgatam etiam explicemus accommodate ad opinionem communem ; neque ab ea recedendum esse arbitrer ego.

c. Quid figuret vestis illa splendida.

Vestis illa *splendida*, quae, ut diximus, probabilius *albi* erat coloris, nobis in mentem revocat Christi 1° dignitatem regiam, 2° victoriam (vestis triumphalis), 3° gloriam (Apoc. 7, 9-17), 4° immortalitatem (recogita corpus gloriosum, instar lucis splendens), 5° innocentiam (Is. 1, 18 *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur :* cf. Ps. 50, 9 *Super nivem dealbabor*), ac tandem 6° puritatem virginitatemque (de sponsa enim *virgine*, cum ad nuptias ducitur, ait Apoc. 19, 8 *Datum est illi ut cooperiat se byssino splendenti et candido*).

Deus enim, qui regum etiam scelestorum corda regit et quasi manu portat, rem ita ordinavit, ut agendi ratio Herodis eximias Jesu dotes declararet : unde s. Ambr. de vestimento illo : « Immaculatae, ait, indicia passionis, quod Agnus Dei « sine macula cum gloria peccata mundi susciperet. »

Haec de veste illa ejusque significatione mystica : restat ut de missione Jesu ad Herodem verbulum dicamus ultimum.

E. Effectus ex missione ad Herodem secutus.

L. *Facti sunt amici Herodes et Pilatus in ipsa die ; nam antea inimici erant ad invicem.* Nescitur causa istius inimicitiae : forsitan Pilatus auctoritatem Herodis aliquo modo laeserat, v. gr. quando Galilaeos quosdam jussit interfici, dum illi Hierosolymis sacrificarent : de hoc facto mentio fit L. 13, 1. Jam vero, per illam Jesu missionem laeso Herodi satisfactio quaedam dabatur.

De Herode silet deinceps Evangelium ; verum satis de malitia ejus dixit, ut poenam ipsi divinitus immissam paucis notare deceat.

F. Misera Herodis sors.

Decem annis postea (an. 39 aer. Dion.), ab imperatore Caligula, propter accusationes nepotis, sc. Herodis Agrippae, ad perpetuum damnatus fuit exilium, relegatusque *Lugdunum in Gallia* (Jos., *Ant.* 18, 7, 2). Idem Fl. Josephus alibi (*B. J.* 2, 9, 6) dicit eum mulctatum fuisse fuga (exilio) in *Hispaniam*, ibique obiisse. Vel Josephus se ipse emendavit, vel Herodes primum in Galliam relegatus fuit, et deinde in Hispaniam. Forte *Lugdunum* illud intelligi debet *Lugdunum Convenarum*, nunc *S. Bertrand de Comminges*, ad Pyrenaeos montes, in vicinia Hispaniae.

Sed de isto principe, cujus interventus vix ullam in historia Passionis habuit efficientiam, satis actum est : seriem dramatis, aliquantisper interruptam, denuo persequi necesse est.

SCENA II.

Pilatus contra Synedristas luctatur ignave et indigne.

Quaestio 787.

Consideratio praevia. En ab Herode redux est Jesus : Synedristae instant ut damnetur ; Pilatus novit eum esse innocentem, sed absolvere non audet, ne Judaeos offendat ; ideo, ut in praecedentibus vidimus, conatus erat causam illam molestam a se removere, reum ad alium judicem remittendo : verum frustra fecit. Nunc igitur urget necessitas rem judicandi et decernendi, neque ullum deinceps manet effugium ; quasi vero hostis stricto ense iter occludat : certandum est, velit, nolit Procurator.

In medio dramate. Quae cum ita sint, dramatis progressus, vi cujus actio princeps ordine evolvitur, jam ad praecipuum accedit momentum et argumentum. Gallice dicam : *Nous entrons dans le vif de la question, dans le cœur du drame, s'il est permis de parler ainsi : l'action s'anime par le jeu et la lutte des passions les plus violentes ; aussi nulle part plus de vie que dans le cœur.*

Turpis lucta. Etenim pugnabit Pilatus, et diu quidem et acerrime ; sed verae virilisque fortitudinis signa non dabit ulla ; pugnabit cedendo et retro abeundo ignaviter et ignominiose, vir tamen *Romanus*, et *judex*, et *procurator!* Imo, per hoc ipsum quod lucta-

tionem contra Judaeorum proceres aggrediatur, triplici isto honoris nomine jam indignus est. Sed, quod omnia superat, armis utitur turpissimis: primum, Jesum cum Barabba comparat, deinde eum crudelissime flagellat ut plebis miserationem excitet. Dicam quod sentio : hoc non est dimicare pro viri innocentis liberatione, sed ultima justitiae probitatisque vestigia in semetipso delere, atque alieno sceleri turpissime servire.

Divisio hujus scenae in duas partes. Duo, ut ex dictis colligere licet, momenta in tragica sed ignava ista colluctatione distinguere oportet. Liceat gall. dicere: *Dans la lutte de Pilate contre les chefs des Juifs, il y a* **deux grandes phases**, *caractérisées chacune par l'emploi d'un moyen étrange, que Pilate a imaginé pour obtenir son but : dans la 1e un criminel, Barabbas, est comparé a Jésus : que l'on choisisse ! Dans la 2e Jésus apparaît couvert de sang, couronné d'épines :* ECCE HOMO ! *Dans ces deux phases se résume toute la lutte véritable : il est vrai qu'elles seront suivies d'une troisième dans la scène suivante. Pilate semblera faire un dernier assaut plus vigoureux que les précédents, mais il est vaincu d'avance : il lance un trait, telum imbelle sine ictu. Ce n'est plus un combat en règle ; ce sont les derniers efforts d'un homme déjà terrassé : il se débat avec fureur et désespoir, mais en vain : il est sous les pieds de ses adversaires, les bras et les mains liés : il ne peut plus rien !*

Igitur scena haec 2a in duas dividitur partes : quarum in priore Jesus cum Barabba comparatur ; in posteriore vero, idem Jesus, sanguine perfusus, et cruentis caesus flagellis, populi miserationi exponitur.

De his mox fusius disputabimus: sed ut ea quae statim diximus, de variis Pilati conatibus, plenius intelligantur, utque rerum series universa totiusque dramatis progressio melius perspiciatur, antea ponimus quaestionem generalem.

De iis quae Pilatus vicissim fecit ut Jesum damnare non deberet.

Q. 788. Ex ordine indica omnia et singula, quae fecit Pilatus, ut a Jesu condemnando sese expediret.

R. « Pilatus, ait s. Aug. *in Ps.* 63, 4 institit quantum potuit ut « Jesum ex Judaeorum manibus liberaret. » Et re quidem vera :

1° Postquam eum primum interrogaverat, certamque ejus innocentiam perspexerat, exivit foras ad Judaeos ut pronuntiaret se *nihil invenire causae in hoc homine.*

2° Cum nihilominus accusatores instarent, et invalescerent quidem, eum ad Herodis tribunal remisit, ut istius negotii molestias a se repelleret. At vero, Jesus re infecta mox reversus est : quid tunc Pilatus ?

3° Voluit ut Synedrii judices, quorum nonnulli jam abierant, forte cum Jesus ad Herodem profectus fuerat, nunc coram se iterum congregarentur omnes ; simul vero *plebem* convocavit, quia sperabat populi praesentiam Jesu propitiam fore. Mens enim ei fuit ut Jesu innocentiam *coram omnibus* demonstraret, atque adeo eum e manibus Synedristarum liberaret ; saltem, si haec declaratio non sufficeret, ut illud obtineret, plebi optionem dando Jesum inter et Barabbam (quae materia est prioris partis hujus scenae, eamque statim tractabimus).

4° Cum nihil profecisset hoc artificio, Jesum crudeliter flagellari jussit, ut, multitudinis misericordia excitata, inimicorum invidiam sedaret (haec est altera pars hujus scenae, de qua infra).

5° Tandem, hac etiam spe frustratus, reum iterum interrogavit, atque Judaeorum iram extinguere ultimum conatus est : at inanem sumpsit operam. Isti enim non acquieverunt ei ; e contrario gravissimas jam minas contra eum protulerunt, quibus perterritus consilium iniit, iniquo certe et invito animo, capitis sententiam ferre ; antea tamen manus coram omnibus lavit, crimenque sanguinis justi a se in Judaeorum caput rejecit (videsis scenam III, infra).

His generatim dictis, de variis rationibus quas Pilatus excogitavit tentavitque, ut injustae sententiae, quam Synedristae contra Jesum extorquere conabantur, ferendae sese subtraheret, jam ad priorem partem scenae 2ae , in qua narratur una ex istis rationibus a Pilato adhibitis, plenius exponendam accedimus.

P. I. Jesus Barabbae posthabitus.

Subdivisio. A/ Pilatus, antequam Servatorem Judaeis simul cum Barabba, insigni latrone, proponat, declarat Jesum publice

interrogatum fuisse, nullamque in eo noxam inventam fuisse ; quod quidem in hunc finem facit, ut populus rei liberationi vel statim assentiatur, vel saltem eum Barabbae certo certius praeferat. Haec autem ad materiam propriam hujus pericopae proludunt. Deinde B/ Pilatus plebi facultatem dat eligendi Jesum inter et Barabbam. Huic annectitur C/ narratio facti cujusdam secundarii, sc. de monitu quem uxor Pilati viro suo dedit. Posthaec D/ series historica postulat ut exponamus quomodo Judaei Barabbam liberandum et Jesum cruci affigendum esse clamaverint.

Igitur quatuor distinguemus rerum capita, sub literis A, B, C et D.

A. Pilatus iterum decernit Jesum mortis reum non esse.

Praeced. vide ante q. 786.

L. 23, 13. Pilatus autem convocatis principibus sacerdotum, et magistratibus, et plebe, 14 dixit ad illos : Obtulistis mihi hunc hominem quasi avertentem populum, et ecce ego coram vobis interrogans, nullam causam inveni in homine isto ex his in quibus eum accusatis. 15 Sed neque Herodes : nam remisi vos ad illum, et ecce nihil dignum morte actum est ei. 16 Emendatum ergo illum dimittam. 17 Necesse etc. *Ante q. 790.*

Q. 789. 1° Quomodo Pilatus probat Jesum ab Herode reducem esse innocentem ? 2° Quid addit iste cum dialectica vere *Pilatica.* ?

Nunc jam altera vice Pilatus aperte declaravit Jesum esse **innocentem** (primum id fecit p. 987), idque non tantum declaravit, sed firmissime demonstravit, duplici quidem argumento : 1° ex eo quod reus iste, publice et coram omnibus interrogatus (ergo tali modo ut nemo quidquam fraudis suspicari possit), nullius criminis convictus fuisset ; et 2° ex eo quod Herodes eum mortis dignum non judicasset, quum tamen princeps ille maxime gnarus esset omnium quae apud Judaeos agerentur causarum. Unde tandem Procurator ad hanc clausulam, satis miram planeque iniquam, veniat, reum castigatione afficiendum esse (puta, *flagellandum*, cf. L. 23, 22, et J. 19, 1), ac deinde liberandum : *Emendatum ergo*, ait, i. e. castigatum, praemissa castigatione, *illum dimittam.*

Notari debet istud **ergo Pilaticum.** Ego, inquit judex iste parum dialecticus, nullam causam in viro illo inveni, neque

Herodes eum capitis reum judicavit ; *ergo* castigábo, i. e. flagellis caedam ipsum, et tunc dimittam ! Sed horum neutrum in praesentia fecit judex ignavus, ideo certe quod videret absolutionis sententiam Judaeis minime placere.

Quid igitur consilii iniit, in isto rerum statu difficillimo ? Aliam Jesum liberandi viam ac rationem excogitavit : nempe plebem rogavit an Jesus, potius quam Barabbas, occasione Paschatis dimittendus non esset.

De novo hoc Pilati conatu nunc dicendum est.

B. Optio datur Jesum inter et Barabbam.

Praeced. vide ante q. 781.

M. 27, 15. Per diem autem solemnem consueverat praeses populo dimittere unum vinctum, quem voluissent. 16 Habebat autem tunc vinctum insignem, qui dicebatur Barabbas. 17 Congregatis ergo illis, dixit Pilatus : Quem vultis dimittam vobis : Barabbam, an Jesum, qui dicitur Christus ? 18 Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum. 19 Sedente autem illo etc. *Ante q. 791.*

Praeced. ante q. 781.

Mc. 15, 6. Per diem autem festum solebat dimittere illis unum ex vinctis, quemcumque petissent. 7 Erat autem qui dicebatur Barabbas, qui cum seditiosis erat vinctus, qui in seditione fecerat homicidium. 8 Et cum ascendisset turba, coepit rogare, sicut semper faciebat illis. 9 Pilatus autem respondit eis, et dixit : Vultis dimittam vobis regem Judaeorum ? 10 Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum summi sacerdotes. 11 Pontifices etc. *Post q. 791.*

Praeced. ante q. 789.

L. 23, 17. Necesse autem habebat dimittere eis per diem festum, unum. 18 Exclamavit etc. *Ante q. 792.*

Praeced. ante q. 781.

J. 18, 39. Est autem consuetudo vobis, ut unum dimittam vobis in Pascha : vultis ergo dimittam vobis regem Judaeorum ? 40 Clamaverunt etc. *Ante q. 792.*

Q. 790. 1° Qua occasione Pilatus optionem dedit inter Jesum et Barabbam ? 2° Quare sperabat fore ut Jesus praeferretur ?

R. ad 1m. Occasio fuit consuetudo quaedam qua solerter usus est Pilatus, sive sua sponte eam proponens, sive, ut innuit lectio Vulgatae, libenter accipiens postulationem Judaeorum hanc consuetudinem exigentium. Haec jam plenius explicabimus.

M. v. **15.** *Per diem solemnem*, seu *per diem festum* Mc., L., puta, diem solemnem seu festum κατ' ἐξοχήν, nempe Paschatis (non aliis diebus festis : nam J. expresse dicit *in Pascha*), *solebat* Procurator singulis annis *dimittere Judaeis unum ex vinctis, quemcumque petissent.* Consuetudo autem illa non a Romanis, ut videtur, sed a Judaeis oriebatur : etenim apud J. Pilatus *Est autem*, ait, *consuetudo vobis.*

Dein, cum Pascha in memoriam liberationis ex Aegypto institutum esset, liberatio vincti cujusdam festo illi diei omnino congruebat. Jam vero, tam inveteratus erat mos ille, ut quasi vim legis adeptus esset, unde L. *Necesse habebat dimittere* etc.

Nota tamen hac de re apud Flav. Jos., aliosque scriptores, qui de moribus institutisque Judaeorum agunt, reperiri omnino nihil (*Byn., *De morte J.*). — De cetero, Romani, ut ex historia novimus, in provinciis devictis consuetudines religiosas et populares libenter servabant, ut nomen magnanimitatis sibi conciliarent, utque eo facilius submissionem civilem obtinerent.

Lectio varians.

Antequam progrediamur, notamus apud Mc. duplicem esse lectionem : 1° *cum ascendisset turba, coepit rogare*, vel 2° *cum clamasset turba, coepit rogare.*

Secundum priorem lectionem αναβας (B D, It., Vulg., goth., copt., sahid., adopt. a Lachm. et Tisch.) ipsa turba initium dedit facto illi, et Pilatus ista populi postulatione solerter usus est tamquam opportuna occasione Jesum liberandi. Rem ita cogita : eo ipso tempore, quo Pilatus secum recogitat quomodo Jesum liberet, *turba ascendit* Mc. ad ipsum, i. e. quidam ex turba, nomine omnium, *ascendunt* in locum illum paulisper elatum, sub dio situm, coram praetorio (gall. *une terrasse devant le palais*), qui vocabatur *Gabbatha* J. 19, 13, quique lapidibus stratus erat (λιθοστρωτον J. ib.) : ibi enim sedes erat seu tribunal judicis (1). Accedentes ad Pilatum, incipiunt rogare ut faciat, *sicut semper faciebat illis* Mc., ut vinctum unum dimittat.

Verum alia lectio habet αναβοησας : *turba edito clamore coepit rogare* (ACEGHKMSUVXΓΔ syr. utraq.) : si hanc admittamus, possumus dicere (atque illud quidem probabilius videtur), ipsum Pilatum rem illam suscitasse, adeo ut ipsemet illam rei conficiendae rationem excogitaverit. In hac sententia, nullum sane dubium est quin Procurator hoc jam in mente habuerit, quando plebem convocare fecit. Sic igitur rem intelligamus : Pilatus turbam

(1) Cf. q. 813. **Sedes** judicis seu Procuratoris Romani (βημα), ex ligno confecta, portatilis erat, et nunc erecta fuerat in loco *Gabbatha*. Alibi, sc. in stadio seu circo magno, locata erat, in iis rerum adjunctis quae narrat Jos. *B. J.* 2, 9, 3.

alloquens : *Consuetudo*, ait, *est vobis ut unum dimittam vobis in Pascha* J. Quo audito, turba statim *clamat* (αναβοησας) et *incipit rogare* (gall. *la foule se met à demander à grands cris*) ut faciat *sicut semper faciebat illis* Mc.

16. Pilatus *autem habebat*, ait Vulg. apud M., seu potius Judaei *habebant* (nam vera lectio est ειχον) : non certe *in suo carcere* habebant, nam hoc posito absque interventu Romanorum eum liberare potuissent ; sed *habebant* de Judaeis dicitur, quia talis cogitatur quem Judaei sibi petere poterant. *Habebant tunc vinctum insignem qui dicebatur* **Barabbas.**

Quidam codices minusculi cum vers. Syr., Hier. et Armen. legunt *Jesus Barabbas*, eamque lectionem adoptavit Bisping, praesertim ideo quod additio istius nominis non explicetur, dum contra ejus omissio facile fieri potuerit ex offensione propter nomen Salvatoris. *Tisch. tamen rejicit hanc lectionem.

Igitur Procurator dat eis facultatem ut liberationem alterutrius, vel Jesu vel Barabbae, petant v. **17** : *Quem vultis dimittam vobis, Barabbam an Jesum qui dicitur Christus ?*

Consilium Pilati satis solers. R. ad 2^m^. Inter duos tantum, et viros quidem adeo diversos, electionem coarctat, quo certius obtineat ut Jesum petant. Imo, illud quasi suadet, cum addit Mc. et J. *Vultis dimittam vobis regem Judaeorum ?* Certo sperabat fore ut Jesum praeferrent : namque ex una parte, *sciebat*, sive praeterita fama, sive praesenti synedristarum agendi ratione, *quod per invidiam tradidissent eum* M. v. **18**, nempe *summi Sacerdotes* Mc.; ergo ex egoismo hieratico ; et sperabat fore ut populus, qui paucis abhinc diebus Jesum laetus acclamaverat, sensa ista Synedristarum non participaret. Ex altera parte, Barabbas erat vinctus *insignis* M. i. e. nequitia celeber, utpote a/ *latro* J., λῃστης, gall. *brigand*, fl. *baanstrooper ;* b/ seditiosus, c/ imo juxta Vulgatam erat homicida, *qui in seditione fecerat homicidium* ait Vulgata apud Mc. Sed loco *fecerat*, vera lectio in graeco est *fecerant* (pluralis refertur ad *cum seditiosis erat vinctus*), adeo ut Barabbas hic dicatur *socius* fuisse seditiosorum, qui homicidium fecerant, imo probabiliter fuit eorum caput. Nota ipsum alibi, sc. Act. 3, 14, aperte dici *homicidam* (ergo non tantum *socius* homicidarum).

Quaenam fuerit ista seditio omnino nescimus : supponendum

videtur eam a Judaeis approbatam non fuisse, ideoque Barabbam non fuisse virum ipsis gratum, secus Pilatus in eo proponendo parum solertiae prodidisset.

C. Monitum uxoris Pilati.

Praeced. vide ante q. 790.

M. 27, 19. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum uxor ejus, dicens: Nihil tibi, et justo illi: multa enim passa sum hodie per visum propter eum. 20 Principes autem etc. *Ante q. 792.*

Omnia et singula quae de hoc facto investiganda sunt ad tria rerum capita in q. seq. revocamus.

Q. 791. 1° Quid de uxore Pilati narratur? 2° Ejusne somnium fuit supernaturale et a Deo immissum? 3° Num Pilatus uxoris petitioni annuit?

R. ad 1m. Dum Pilatus responsum populi exspectat, tribunal ascendit, ut in gratiam Jesu, quem non dubitat a turba postulandum esse, sententiam liberationis e solio pronuntiet. *Sedente autem illo pro tribunali* (1), ait M. (qui solus hac de re loquitur), mittit ad eum uxor ejus (2) aliquem nuntium, qui nomine ejus dicat *Nihil tibi et justo illi;* latinius (Erasm.): *Ne quid* rei *tibi sit cum justo illo*, germ. *Mache dir nichts mit jenem Gerechten zu schaffen* (Bisp.), fl. *bemoei u niet met dien rechtveerdige, trek u hem niet aan.* Sensus est: Nihil facias, nihil decernas adversus illum justum (modus iste loquendi apud Hebraeos tritus admodum est, sed apud Graecos etiam reperitur, teste *Bynaeo: vide q. 1024): *multa enim passa sum hodie,* hocce mane, *per visum*, seu potius *per somnium* (κατ' ὄναρ), *propter eum.*

Ultimum illud erat **monitum**, quod divina Providentia Pilato dabat **de innocentia Jesu**: « Uxor non modo videt [visionem « habet], ait s. Chrys., sed etiam multa patitur, ut Pilatus ipsi « condolens tardior ad caedem veniat. »

R. ad 2m. Somnium illud, angore et dolore plenum, potuit esse naturale, si pro certo ponamus mulierem de Jesu, ejusque mira-

(1) *Pro tribunali* in hoc sensu *super tribunal* optime latinum est.

(2) Olim quidem praesidibus et procuratoribus Romanis non licebat per leges uxorem secum in provincias adducere: verum a principatu Tiberii invaluerat consuetudo contraria, ut colligitur ex Tac. *Ann.* 3, 33 et 34; 4, 20; item Flav. Jos. *Ant* 20, 11, 1.

culis et doctrinis, multa audiisse, eamque, cum mane in lecto adhuc esset, didicisse (v. gr. ab una ex ancillis) virum illum extraordinarium ad mariti sui tribunal adductum fuisse ; vel de comprehensione Jesu nuntium quemdam vespere sero seu multa jam nocte in praetorium allatum fuisse : sed cum plerisque auctoribus opinamur somnium fuisse *divinitus immissum* (1), quia agitur de re summi momenti, nempe de omni dubio circa innocentiam Jesu tollendo ; quare Providentia rerum eventus ita disposuit ut innocentia illa omni modo et a personis omnis generis esset testificata.

Quoquo modo haec se habuerint, notatu dignum videtur mulierem illam praeclaro nomine Jesum designasse, cum diceret *Justo illi*, atque adeo de innocentia Christi insigne dedisse testimonium (2).

R. ad 3m. Videsis infra.

D. Dimitte Barabbam, Jesum crucifige.

Praeced. vide ante q. 791.

M. 27, 20. Principes autem sacerdotum, et seniores persuaserunt populis ut peterent Barabbam, Jesum vero perderent. 21 Respondens autem praeses, ait illis : Quem vultis vobis de duobus dimitti ? At illi dixerunt : Barabbam. 22 Dicit illis Pilatus : Quid igitur faciam de Jesu, qui dicitur Christus ? 23 Dicunt omnes : Crucifigatur. Ait illis praeses : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant, dicentes : Crucifigatur.

24 Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua etc. *Vide post q. 812.*

. . . . . .

26 Tunc dimisit illis Barabbam : Jesum autem flagellatum tradidit etc., *infra post q. 812.*

Praeced. ante q. 790.

Mc. 15, 11. Pontifices autem concitaverunt turbam, ut magis Barabbam dimitteret eis. 12 Pilatus autem iterum respondens, ait illis : Quid ergo vultis faciam regi Judaeorum ? 13 At illi iterum clamaverunt : Crucifige eum. 14 Pilatus vero dicebat illis : Quid enim mali fecit ? At illi magis clamabant : Crucifige eum.

15 Pilatus autem, volens populo satisfacere dimisit illis Barabbam, et tradidit Jesum etc.

Post q. 812.

Praeced. ante q. 790,

L. 23, 18. Exclamavit autem simul universa turba, dicens : Tolle hunc, et dimitte nobis Barabbam. 19 Qui erat propter seditionem quamdam factam in civitate, et homicidium, missus in carcerem.

20 Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere Jesum. 21 At illi succlamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum.

22 Ille autem tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit iste ? Nullam causam mortis invenio in eo : corripiam ergo illum et dimittam. 23 At illi instabant vocibus magnis postulantes ut crucifigeretur : et invalescebant voces eorum.

24 Et Pilatus adjudicavit fieri petitionem eorum. 25 Dimisit autem illis eum qui propter homicidium et seditionem missus fuerat in carcerem, quem petebant : Jesum vero tradidit etc. *Post q. 812.*

---

(1) S. Bern. *Serm. 1 de Pasch.* n. 3 et, testibus Baronio et Ben. XIV, etiam s. Ignat. M. *ep. ad Polyc.* 8 et *ad Phil.* 5 censent somnium illud fuisse a daemone inditum, ut mors Jesu et hominis redemptio impedirentur : sed hoc probabile nonest ; nam, si diabolus voluisset Christi mortem inhibere, potius Judaeos, totius tragoediae auctores, somniis aliisve modis terruisset : hoc autem non fecit, imo paulo ante Judam impulit ad proditionem.

(2) Uxor Pilati secundum traditionem erat *proselyta portae* (*Evang.* apocryph. *Nicod.* 2), et vocabatur *Procla* seu **Claudia Procula** (Niceph. 1, 30) ; imo vero Orig. *in M.* hom. 35 diserte affirmat eam postea factam esse christianam. De ipsa autem ait auctor quidam (in *Serm. suppos. s. Aug.*, ap. Migne in Append. *Serm.* 150) : « In nativitate mundi uxor ducit virum ad mortem, in passione « Christi uxor provocat ad salutem : illic serpentis subtilitas praecipitat, hic terror angelicus « revocat «

SUMMATIM S. JOANNES.

Praeced. ante q. 790.

J. 18, 40. Clamaverunt ergo rursum omnes, dicentes: Non hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro. 19, 1. Tunc ergo etc. *Ante q. 794bis.*

Praemonere oportet rerum ordinem apud M. 27, 24 et 25, ut nobis videtur, nonnihil turbatum esse ; opinamur enim ista quae refert M. de tumultu increscente, de manibus a judice lotis, deque execratione Judaeorum (*Sanguis ejus super nos* etc.), serius accidisse, nempe statim antequam capitis sententia contra Jesum a Procuratore lata fuit. Atque ideo locum illum Matthaei infra, post q. 812, explicabimus.

Sed Evangelicae contextum historiae persequamur.

Q. 792. Narra et expone quae evenerint relate ad optionem inter Jesum et Barabbam quam Pilatus Judaeis dederat.

Resp. Pilatus solio sedet, uxoris monitum animo certe recogitans, et deliberandi spatium plebi concedit sufficiens. Interea temporis, principes sacerdotum et Seniores *concitant* Mc. turbam, eique *persuadent* M. v. **20**, puta rationibus verborumque blanditiis, forte etiam promissis, aut minis, aut distributa pecunia, ut petat Barabbam, Jesum vero perdat.

Et re quidem vera, quando judex iterum loqui exorditur (*respondens*, M. v. **21**, ex hebraismo pro *prenant la parole*), et quaestionem, quam aliquamdiu antea posuerat, repetit dicens *Quem vultis vobis de duobus dimitti?* exclamat simul universa turba, (1) vociferaturque J. : *Non hunc, sed Barabbam* ; seu potius et fortius L. : **Tolle hunc**, *et dimitte nobis Barabbam!* « O execrandam mentem, « ait s. Chrys. *in Joan.!* Moribus sibi similes, et noxios dimittunt, « innoxium vero plecti jubent; hic enim jam olim mos illorum « erat. »

Clamaverunt omnes, ait J. Ubinam ergo erant amici Jesu ? Ubi innumeri illi quibus sanitatem tantaque miraculorum beneficia donaverat ? Nemo audet se opponere furori principum. Sicut Apostoli fugerant pavidi, alii discipuli jam se absconderant anxii

(1) J. 40 *Clamaverunt rursum omnes :* istud *rursum* retertur ad *omnes*, hoc sensu : tota turba clamavit, sicut antea *omnes* clamaverant v. 31 *Nobis non licet interficere quemquam.*

de semetipsis, vel, si quidam adstent, tacent tumultu devicti. Haec erat hora iniquitatis!

Obiter notent pictores ex verbis *Tolle hunc* etc. concludendum non esse, ut quidam faciunt, Barabbam a latere Jesu stetisse, et utrosque simul populo exhibitos fuisse. *Hunc*, dicunt L. et J., quia statim antea Pilatus de Jesu locutus fuerat, secundum narrationem L. et J.

Non hunc sed Barabbam: ergo « Latronis nomen dicitur, Christus « non nomine dignus habetur : gravis erat eis ad nominandum qui « gravis erat eis ad vivendum (Innoc. III, *Serm.* 15, *in Parasc.*). »

Bene animadvertamus oppositionem seu **antitheton Jesum inter et Barabbam** : *Vos*, ait s. Petrus ad Judaeos Act. 3, 14, *sanctum et justum negastis, et petistis virum homicidam donari vobis, auctorem vero vitae interfecistis!* Populus iste eousque excaecatur, ut latronem insignem, caput homicidarum, sibi eligat.

Homicidam eligunt, et voti compotes erunt. Etenim, permittente Deo, secundum votum fiet ipsis : mox sibi inducent crudelissimos homicidas, nempe Romanos, qui duce Tito ingentissimam Judaeorum multitudinem occident. Imo vero, Ven. Beda *in Mc.* 15, 11 : « Haeret Judaeis, ait, usque hodie sua petitio, « quam tanto labore impetrarunt... Merito salutem perdiderunt et « vitam, et patriam regnumque suum : et hactenus eam, quam « vendidere, sive animae sive corporis libertatem, recipere non « meruerunt. »

Liceat hic, data opportunitate, **moralem** quamdam interjicere **conclusionem**, hanc videlicet : christianos, qui, abdicato Dei servitio, peccato se tradant, imprimis qui ad cupiditatem quamdam pravam satiandam, vel, inordinatis animi motibus, ut ira, invidia etc., obcaecati, eligant id quo Deus offendatur, quique inimicis Ecclesiae assentiantur et faveant, Judaeorum imitatores se praebere manifestos. Unde et Orig. in h. l. : « Omnes etiam qui Judaeis sunt similes, vel in « dogmate vel in vita, Barabbam sibi solvi desiderant. »

Pilatus autem istud turbae excaecatae responsum aegre ferens, insistit verbis in hunc finem ut mutetur sententia L. v. **22** : *Quid igitur*, ait, *faciam de Jesu, qui dicitur Christus*? (nota hoc additamentum) ; seu potius Mc. *Quid ergo vultis* (nota istud *vultis*) *faciam regi Judaeorum*? Imprudenter talia profert verba, turbae, quam noverat contra Jesum excitatam, tradens potestatem judicandi (*quid vultis*?). Et non tantum imprudenter, sed omnino *injuste* : ita loqui

nefas erat judici : ipse enim sciebat, et scire debebat, ex instituto rei examine, quid faciendum esset. Vult tamen (s. Chrys.) plebem inducere ut effectum voti sui computet, ac potius Jesu liberationem petat, saltem simul cum dimissione Barabbae : conscientiam enim adstantium quasi pungit, cum excitat eos ad gravissima stolidae optionis consectaria attente consideranda.

M. v. **23**. At illi *omnes iterum clamant* Mc., et ei *succlamant* (*ἐπιφωνουν*, fl. *zij schreeuwden er tegen in*) : **Crucifigatur !** M., vel alii, ut in magna turba, clamabant : *Crucifige, crucifige eum !* Animadvertat lector mentem Judaeorum, seu potius Synedristarum (nam ipsi sic populum instigaverant), qui cupiebant ut **crucis** supplicium Jesu inferretur, hic primum aperte declarari.

Quum crux esset poena seditionis, sequitur Synedristas turbae persuasisse Jesum esse *seditiosum*. Ergo supplicium petunt omnium crudelissimum et ignominiosissimum, et supplicium quidem alienigenarum, quorum tamen consuetudines et dominationem abhorrebant. Perversitas vere diabolica ! *Crucem* volunt, et per justam talionis legem *crucem* ipsimet subierunt : q. 819 ad 2m.

Proh Deus ! quanta **populi inconstantia** ! Hic enim sexto ante die, principes licet ferrent aegerrime, acclamaverat Jesu *Hosanna Filio David !* jam vero, a principibus subito et temere persuasus, contra vociferatur postulatque ut crucifigatur (Luc. Brug.).

Pilatus vero, istis clamoribus commotus, sed nondum plene devictus, rursum conatur Jesum salvare, simul tamen injustae populi voluntati aliquantulum cedit, atque aequitatis jura turpiter relinquit, mox ad graviorem culpam delapsurus. Incipit disputare cum plebe furiosa et insana : non advertit turbas ita reddi audaciores et impudentiores, quippe quae coerceri nequeant nisi per firmitudinem et auctoritatem tenacem. *Quid enim,* ait, *mali fecit iste ? Nullam causam mortis invenio in eo* (**tertio** declarat Praeses Jesum esse innocentem) : *corripiam ergo illum et dimittam.*

Iterum nota, quod supra jam animadvertimus, apertam esse repugnantiam in verbis illis judicis : vel Jesus erat innocens et corripi non meretur, vel crimina quorum accusabatur admiserat, et dimitti haudquaquam debet. « *Quelle logique !* exclamat cl. Foisset. *Et pourtant qui de nous n'a connu Pilate ?* » Istud *ergo* rursum est vere *Pilaticum.*

M. *At illi magis clamabant (instabant vocibus magnis..., vocibus invalescentibus* L.) : *Crucifigatur !* Tanto magis clamant, quanto minus habent quid respondeant : ideoque, ut saepe fit, causae loco clamorem augent. Tunc Pilatus, *volens populo satisfacere* (Mc. : vide'n finem iniquum quo ducitur judex ille ?), *adjudicavit fieri petitionem eorum* L., et *dimisit illis* (vis magna est in isto pronomine *illis*) *Barabbam*, et aliam excogitavit viam et rationem liberandi Jesum, nimirum flagellorum tormentum (de quo infra, p. II). At vero, incassum rem tentabit ; nihil enim lucrabitur.

Bona observatio. Hac occasione apte animadvertit Fillion *Comm. de s. Matth.* (Paris 1878) semper talem esse plebem, ut nemo eam sedare possit per hoc quod ignave et serviliter iniquis ejus postulationibus acquiescat.

Potest hic inquiri quare Judaei (puta *Synedristae*) supplicium **crucis** tantopere affectent. Resp. s. Chrys. *in J.* 19, 15 : « Quia « ignominiosa mors illa erat : timentes ergo ne qua in posterum « ejus memoria servaretur, hoc probrosum supplicium ipsi infer- « re student, nescii impedimentis veritatem extolli. »

Repetendi causa, duas adjicimus quaestiones.

* **Q. 793.** Quid in Evang. narratur de iis quae spectant ad Barabbam ? R. Omnia reducuntur ad tria rerum capita sequentia. 1° Erat vinctus insignis, qui Jerosolymis in carcere detinebatur, eo tempore quo Jesus passus est. 2° Vir prorsus scelestus : latro, seditiosus, caput homicidarum, et ipse homicida. 3° Petentibus Judaeis a Pilato fuit liberatus, in iis rerum adjunctis quae supra narravi.

* **Q. 794.** 1° Quare Barabbas fuerat incarceratus ? 2° Quomodo libertatem consecutus est ? Qua occasione Jesu antepositus fuit et a quibus ? — Responsum ex dictis facile eruetur.

Hactenus de Barabba impie electo : gradum jam addamus in via nostra lacrimosa, primumque Jesu supplicium intueamur.

P. II. JESUM, flagellis caesum, Judaei inhumane repellunt, atque ut cruci affigatur expostulant.

Connexio et divisio. Pilatus, iniquissimus judex, victus fuit in prima luctatione : **alteram** jam aggredietur, sed majoris malitiae scelus sibi inducet. Etenim, in priore concertatione tentamentum adhibuit ignominiosum, cum Jesum Barabbae, viro pessimo, quasi aequaverit : nunc autem ratione utetur crudelissima, et Jesum

diris flagris laceratum in miserrimam detrudet conditionem, eo fine ut, plebis miseratione excitata, ipsum e morte eripiat.

Hoc punctum II in duas subdividitur partes: A/ Jesus loris conciditur, atque a militibus protervis spinea corona ei imponitur, aliaque opprobia inferuntur; B/ cruore perfusus populo in spectaculum offertur foedissimum.

A. JESUS flagellis spineaque corona cruciatur. 27, 26b-31a.

Praeced. vide ante q. 792.

M. 27, 26... Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur.

27 Tunc milites praesidis suscipientes Jesum in praetorium, congregaverunt ad eum universam cohortem: 28 et exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei, 29 et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput ejus, et arundinem in dextera ejus. Et genu flexo ante eum, illudebant ei, dicentes: Ave, rex Judaeorum. 30 Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, et percutiebant caput ejus.

31 Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt etc. *Vide ante q. 828.*

Praeced. ante q. 792.

Mc. 15, 15.... Et tradidit Jesum flagellis caesum, ut crucifigeretur.

16 Milites autem duxerunt eum in atrium praetorii, et convocant totam cohortem, 17 et induunt eum purpura, et imponunt ei plectentes spineam coronam. 18 Et coeperunt salutare eum: Ave, rex Judaeorum. 19 Et percutiebant caput ejus arundine: et conspuebant eum, et ponentes genua, adorabant eum.

20 Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis, et educunt illum etc. *Vide ante q. 828.*

Praeced ante q. 792.

J. 19, 1. Tunc ergo apprehendit Pilatus Jesum, et flagellavit.

2 Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti ejus: et veste purpurea circumdederunt eum. 3 Et veniebant ad eum, et dicebant: Ave, Rex Judaeorum: et dabant ei alapas. 4 Exivit ergo etc. *Ante q. 804.*

Q. 794bis. *Quatuor Evangelistae inter se comparantur quod attinet ad duplex illud factum.*

Utrumque tormentum, tum flagrorum quum spineae coronae, videtur arcte conjungendum, adeo quidem ut hoc illud proxime secutum fuerit: utrumque autem, antequam Jesus traditus fuit ut cruci affigeretur, accidisse dicendum est: igitur M. et Mc. factum, quod postea tantum futurum erat, praevertunt; atque ideo adv. *tunc* M. v. 27 lato sensu sumitur, pro *sub idem tempus*, puta, paulo ante: Joannes autem, qui Christi cruciatus diligentissime describit, ex ordine narrat omnia.

Porro L. coronam spineam aliaque ludibria solus praetermisit, forsitan ideo quod apud M. et Mc. ista satis narrata videret. Factum autem illud refert J., ut (secundum quorumdam conjecturam) rerum ordinem, apud M. et Mc. paululum perturbatum, distinctius tradat: eadem fere habet ac isti, sed paucis ea contrahit, quasi **nimis cruda**

nimisque dura animo ipsius tenerrimo visa fuerint. Quod vero ad flagrorum tormentum spectat, omnes de eo mentionem faciunt (sed uno tantum verbo) : M., Mc. et J. expresse et directe, L. autem tacite, cum scribat Pilatum, ante condemnationem Jesu, plebi dixisse mentem sibi esse ut reum *emendaret* et *corriperet*, i. e. flagellaret, et dein ipsum dimitteret : L. 23, 16, 22.

Ut lucidior sit rerum expositio, bina statuimus capitula sub literis a et b.

a. JESUS FLAGRIS CAEDITUR QUAM CRUDELISSIME.

Q. 795. Quid de hoc supplicio novimus ?

R. Valde pauca ex Evang. novimus ; unico verbo utuntur auctores sacri ; sed quanta vis in illo ! Ut id plenius intelligamus, plurima ex auctoribus antiquis colligemus, ea nempe quae firmis rationibus comprobata et tenenda videntur. Cetera vero, quae luxuriante atque inordinata piorum auctorum mente, pro arbitrio et ex conjecturis inanibus, cumulate excogitata fuerunt, vel praetermittemus omnino, vel animadversione quadam notabimus.

1° Jussu Pilati illata fuit ista poena ; non ab ipso Pilato, ut putat Ven. Beda *in Mc.*, sed a militibus : hoc enim sensu intelligenda sunt verba J.

2° Et quidem antea quam sententia capitalis contra Jesum pronuntiata fuerat, istud supplicium illatum fuit ; quamvis M. spineae coronae ludibrium, quod flagellationem statim secutum fuisse videtur, narret, postquam dixerit Jesum damnatum fuisse ut in crucem ageretur: oportet enim ut, in hac parte historiae Dominicae, Joanni, qui rem totam distinctius refert, adhaereamus.

3° **Quid intendit Pilatus quando Jesum flagellare fecit ?** Ex eodem Joanne concludere possumus, Pilato mentem fuisse ut per flagellorum tormentum miserationem plebis excitaret erga Jesum, et ita eum liberaret (1). Huic autem opinioni favet s. Chrys. *in J.*: « Flagellavit eum Pilatus, forte ut, sedato Judaeorum furore,

(1). **Poena hic specialis.** Igitur flagellatio Jesu non illa fuit poena, quae vi legis viris facinorosis, ad crucis supplicium damnatis, inferri solebat (contra s. Hier.). Fortasse gravior et crudelior fuit quam haec ultima, ut statim dicemus. Non autem probabile est Salvatorem, postquam mortis sententia adversus eum lata fuisset, iterum verberibus mulctatum fuisse: ideo apud M. 27,26 verbum φραγελλωσας *retrospective*, si ita loqui fas est, sumi debet.

« illum erueret. » Firmius hoc asserit s. Aug. *In Ps.* 63, 4 : « Non « persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere « volens, ut vel sic jam mitescerent et desinerent velle occidere. » Imo idem s. Doctor *in Joan.* tr. 116 putat Pilatum jussisse (quod tamen nos non admittimus), vel saltem permisisse, ut milites Jesum non solum flagellarent sed etiam spinis coronarent : « Ut, ait, haec « Jesu ludibria inimici ejus libentissime biberent, et ulterius san- « guinem non sitirent. » Inde merito conjicimus valde crudele solitoque acerbius fuisse tormentum, ut Jesus Judaeis spectantibus eo miserabilior videretur.

4° De cetero, ex auctoribus profanis novimus, apud Romanos verbera crucis supplicio plerumque praemissa fuisse. Tit. Liv. l. 34 de servis conjuratis scribit : « Multi occisi, multi capti, alii verberati cruci affixi. » Jos. *B. J.* 2, 14, 9 narrat quosdam Judaeorum nobiles a Floro, procuratore Romano, flagellis caesos fuisse antequam in crucem agerentur. Idem fecit Titus de eis quos ceperat in pugna : Jos. *B. J.* 5, 11, 1.

5° Qua ratione, et in quibus rerum locique adjunctis, poena ista de Servatore nostro sumpta fuerit, distincte non explicant Evangelistae : dicunt tantum ipsum fuisse *flagellatum* (M. et Mc. adhibent vocem latinam φραγελλοω *flagellare*), utique per milites Romanos, siquidem jussu Procuratoris istud fiebat. Hoc probe notandum est, propterea quod, si a Judaeis caesus fuisset, **virgae** (Prov. 10, 13), vel saltem *scuticae (courroies de fouet)* non autem *flagella (lanières de cuir)* adhibenda fuissent vi legis Mosaicae (1), **nec plus quam quadraginta verbera** infligi potuissent, secundum Deut. 25, 3 *Plagae quadragenarium numerum non excedant.* Ideo Judaei nonnisi undequadraginta ictus inferre solebant (Jos. *Ant.* 4, 8, 21, ubi de 39 ictibus per scuticam illatis loquitur), ut certi essent nihil contra Legem actum fuisse : cf. annot. nostr. in 2 Cor. 11, 24 (6ª edit. *comm.* nostri *in omn. epist. Paulin.* 1899).

---

(1) Sunt qui putent seriore aetate *flagella* apud Judaeos aliquando in usu fuisse : citant 3 Reg. 12, 15 *caedere flagellis ;* sed, ut videtur, sensus in hebr. est *caedere scuticis*, nam ibi est שׁוֹט *schôt*, quod Prov. 26, 3 dicitur adhibitum pro equis (*un fouet*). Sub dominatione Syrorum mentio fit de tortura per *flagra* 2 Mach. 7, 1 ; sed haec non erat Judaica.

Quaedam notitiae probabiliores de flagellatione Jesu.

Quod autem Evangelium non docet, aliunde supplere, quantum fieri possit, satagemus; ideo de *loco*, *verberantium numero*, *instrumentis*, *modo*, ac tandem *crudelitate*, tum generali pro omnibus sontibus, quum speciali pro Jesu, singillatim dicemus.

Locus autem, secundum traditionem localem, fuit cubiculum quoddam vel hypogeum, in infima parte domus praetorio vicinae *(vis-à-vis, de l'autre côté de la rue,* Mislin, *Les s. Lieux*, 2e éd.; F. Liévin, *Guide* 2e éd.; P. De Buck, *Passieb.)*. Et re quidem vera, Mc. 15, 15 et 16 videtur innui flagellationem extra praetorium locum habuisse. Alii aliter interpretantur Marcum, et censent illud supplicium factum fuisse in *atrio praetorii* (de quo atrio loquitur Mc., quando irrisionem spineae coronae narrat), atque huic opinioni favet contextus apud Joannem. Tandem quidam (Beel.) putant ante tribunal Pilati, in loco publico, coram inimicis Jesu ibi adstantibus, poenam irrogatam fuisse.

Numerus porro **verberantium** non definitur; quod enim dicitur de congregata universa cohorte, hoc ad ludibrium spineae coronae refertur. Secundum morem Romanorum, unus tantum carnifex huic supplicio praefici solebat : nota enim sunt verba : « I, lictor, « colliga manus, caput obnubito, virgis caedito ; » vel « Summove, « lictor, despolia, verbera (Liv. I, 26). » Aliquando tamen plures adhibebantur lictores, teste Cic. *in Verr.* 5, 54 : « Sex, ait, lictores « eum circumstant valentissimi, ad pulsandos verberandosque « homines exercitatissimi : caedunt acerrime virgis etc. » Plures vero milites Christo manus intulisse, et proinde etiam ingentem fuisse plagarum numerum (1), haud dubitem, quia solito crudelius actum est, ut Jesus ad statum miserabiliorem reduceretur. Vide statim dicenda q. 795bis.

Instrumenta autem, quae adhibebantur, erant vel *virgae*, quando levior erat poena, qualis inferebatur sontibus conditionis minus abjectae (Act. 16, 22; 2 Cor. 11, 25); vel, ut fieri solebat ante crucis supplicium, terribiliora *flagella* seu *flagra*, (Hor. *Sat.* 1, 3, 119 *hor-*

(1) « Quantus fuerit numerus plagarum affirmare non possumus, quia neque in Evangelio habetur, neque a ss. Patribus traditus est. » Suarez, ap. Ben. XIV, *De festis* 7, 56. Ex Act. 16, 23 patet *multas* aliquando illatas fuisse plagas.

ribile flagellum), i. e. lora (*lanières de cuir*), quibus quandoque affixa erant ossicula, vel clavi, vel stellulae metallicae (μαστιξ αστραγαλωτη, Athenaeus ; *flagrum pecuinis ossibus catenatum*, Apul.) (1). Longe probabilius est Jesum *flagellis* seu *loris* (non *virgis*, ut vult Mald.) verberatum fuisse : quod a/ innuunt verba φραγελλοω et μαστιγοω ; eo vel magis quod b/ flagella saepius in usu essent, imprimis quando servis inferebatur poena illa ; et quod c/ mens esset Pilato Jesum gravius lacerare ac dilaniare : tandem hoc etiam notandum, d/ milites hic adhibitos fuisse immanissimos, ut patet ex eo quod poenae praescriptae suo marte addiderint crudele coronae spineae tormentum atque irrisiones acerbissimas.

Modus in isto supplicio usitatus. Miseri illi homines, qui virgis vel flagellis caedendi erant apud Romanos, veste detracta, et aliquando per vim *discissa* (Act. 16, 22), nudabantur (*despolia*, supra: Cic. *Verr.* 5, 62 *in foro medio nudari*), saltem usque ad lumbos (vide infra ante q. 795bis ; in not. marg.) ; deinde alligabantur manibus ad annulum, qui stipiti humili aut parvae columnae usque ad medium corpus pertingenti infixus erat, adeo ut rei ad hanc poenam damnati starent inclinati, dorsumque verberibus praeberent (apud Hebraeos autem humi prosternebantur, et coram judice verberabantur, Deut. 25, 2). Sic Eusebius *H. E.* 8, 10 refert martyres columnae fuisse alligatos vultibus inter se adversis ; et s. Greg. Nazian. *Orat. in Julian.* narrat martyres, dum flagellarentur, manibus amplexos fuisse columnam : quod quidem utriusque scriptoris testimonium comprobat eos ligatos fuisse antrorsum. Pariter s. Cyr. Al. dicit Dominum *tergum dedisse in flagella*. Prud. *Enchir. Vet. ac N. T. :*

« Atque columnae
Adnexus, tergum dedit, ut servile flagellis. »

Haud tamen improbabile est etiam *pectus* ejus (ut ait s. Hier.) discissum fuisse : puta flagella tam longa fuisse ut, in dorsum immissa, usque in partem corporis anticam sese inflecterent.

De reliquiis *s. Columnae* videsis infra q. 1198.

(1) **Ne quid nimis.** S. Vinc. Ferr. in *Serm. de Pass.* ait Christum flagellatum fuisse primum spinis et vepribus acutissimis, secundo flagellis aculeatis, tertio catenis hamatis. Talia non dicerem ego, utpote minime probata : sufficit jam id referre quod historice verum demoustratur, vel saltem verisimiliter fieri potuit, secundum morem consuetum. Ob eamdem rationem silentio premere duxi extraordinarias illas notitias, circa plagarum numerum aliaque id genus, quae in Revelationibus s. Birgittae similibusque libris passim narrantur. Ista non nego quidem, sed huc non pertinentia putaverim.

CRUDELITAS FLAGELLATIONIS.

Ut gravitas istius supplicii Jesu illati probe cognoscatur, dicemus 1° de crudelitate ordinaria, quatenus refertur ad quoslibet damnatos ; 2° de speciali supplicii acerbitate relate ad Jesum.

1° Crudelitas ordinaria.

Utcumque se habeant ista, quae de numero verberantium, de plagarum copia, de instrumentis adhibitis, ac tandem de situ corporis dicta fuerunt, certum est tormentum fuisse **crudelissimum,** adeo quidem ut caesi inter cruciatum nonnumquam animum efflarent, vel saltem exanimes et sensibus destituti e loco supplicii auferri saepius deberent (1). Cf. Ulpian. *De poenis* l. 8 : « Non ea quidem poena damnari quem oportet, ut verberibus necetur, vel virgis interimatur ; quamvis *plerique*, dum ita torquentur, deficerent. » Videsis etiam Cic. *Verr.* 5, 54. Porro Jos. *B. J.* 6, 5, 3 narrat Jesum quemdam, Anani filium, qui perpetuo clamabat *Vae Jerusalem*, jussu Procuratoris Romani tam crudeliter flagellatum fuisse, ut ossa ejus essent denudata. Et Philo in *Flacc.* 40 : « Flaccus, ait, jussit nudatos flagellari, ut concisi verberibus aliquot mox, ut inde sunt elati, exhalarint animam, reliqui desperata salute cum diuturno morbo conflictati sint. » Cf. Lips., *De cruce* I, 3. Imo vero, saepe adeo dilaniabantur carnes, ut non solum ossa sed et viscera essent detecta : cf. Epist. eccl. Smyrn. c. 2, apud Eus. *H. E.* 4, 23.

Praeterea, aliud est quod gravitatem poenae acerbissimam demonstrat, videlicet eam non crudelem tantum sed simul **ignominiosam** fuisse, tum quia flagellandus denudabatur (2), tum etiam

---

(1) Juvat quaedam excerpere ex opere Rohault de Fleury, *Mémoires sur les instr. de la Passion*. « Le fouet, *flagellum*, formé de cordes nouées ou de lanières de cuir, fut probablement employé pour N. S. ; et cet instrument est plus douloureux que les *verges*. Il est caractérisé par l'épithète *horribile*. Les blessures qu'il faisait sont exprimées par des mots qui indiquent l'action de couper, *caedere, saecare, scindere*.... Beaucoup de martyrs perdirent la vie sous le *flagellum*, qui, au lieu de meurtrir seulement les chairs, en enlevait des lambeaux. » *Flagella* autem stricte dicta, qualia apud Romanos in usu erant, v. gr. cum annexis aculeis, apud Judaeos non videntur fuisse adhibita, ut diximus p. 1020.

(2) **Christus non omnino nudus.** S. Birgitta *Revel.* I, 10 et IV, 70, Suarez, et post ipsum Ben. XIV *De festis*, c. 7, 53, sicut et Jahn *Arch.*, ubi de poenis § 255, opinantur Christum cum caederetur fuisse omnino nudum, adeo ut ne velum quidem haberet circa verenda. At vero argumenta, quae afferunt, non tanta nobis videntur ut recedendum sit a sententia Calmeti, qui in Diss. *De supplicis s. Script.* dicit Christum usque ad lumbos vestibus exutum fuisse.

quia nonnisi servis et cruci addictis inferri solebat. Servilem proprie poenam fuisse testatur Macr. *Serv.* 10, t. *de poenis :* « In quibus causis liber fustibus caeditur, in his servus flagellis caedi jubetur ». Porro notum est civem Romanum *flagellare* nefas fuisse : cf. Act. 22, 25 coll. 16, 38, in comm. nostro. Poterat tamen *virgis* caedi, modo antea de capite legitime damnatus fuisset.

2° Crudelitas major contra Jesum.

Q. 795bis. *Ostende crudelitatem specialem, atque solito majorem ignominiae acerbitatem fuisse in flagellatione Jesu.*

His vero omnibus, quae poenae magnitudinem in genere spectatam aliquantulum notam facere possunt, addere oportet quinque observationes, quibus demonstratur specialem quamdam solitoque majorem in flagellatione Jesu fuisse acerbitatem.

1° Tormentum illud, quod per se tam horrendum erat, singulari cum saevitia Servatori illatum fuit, tum propter finem a Pilato intentum, quippe qui vellet reum ad statum miserrimum adducere ; tum etiam propter protervitatem et inhumanitatem militum, quibus Jesus traditus fuerat. Quum enim isti tam petulantes fuerint in spineae coronae irrisione, quae neque jussa neque expetita erat, facile suspicari possumus quales fuerint in re praescripta, sc. in flagellorum supplicio.

2° Non obliviscamur poenam, qua Jesus affectus fuit, non habitam fuisse, tamquam consuetam praeparationem ad crucem, sed ut supplicium per se stans, cui aliud tormentum, ut putabat Pilatus, succedere non deberet, adeo ut victimae, ne verberibus necaretur, parcendum non esset. Forsitan etiam aderant nonnulli Judaeorum proceres, qui milites voce gestuque excitabant.

3° Jesus, unicus Dei Filius, ignominiam istam intimius pleniusque sensit, quam homo quilibet : acerbitatem quoque dolorum in corpore suo perfectissimo et tenerrimo crudelius vehementiusque, quam ceteri mortales, percepit.

4° Tanta passus est ut cruci ferendae esset impar, et a Simone Cyrenaeo adjuvari debuerit.

5° Tandem, manet adhuc ultima consideratio, ex qua incredibilem istius supplicii gravitatem colligere, et quasi *a priori* per

conjecturam metiri possumus : nempe, tunc **eventu confirmata** fuisse **oracula,** quae terribilissimos Christi cruciatus descripserunt. Etenim ipsum loris concisum respiciunt, in sensu typico, haec verba Ps. 128, 3 *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolungaverunt iniquitatem suam :* quae quidem verba longe majorem habent vim in hebraeo : cf. magnum *Comm.* nostrum *in Psalmos,* 3ª ed. Pariter Is. 53, 1-7 *Non est species ei neque decor,* etc. : vide totum illum locum. Rursum Is. 50, 6 *Corpus* (hebr. *dorsum*) *meum dedi percutientibus.* Quanta significationis copia, quanta vis in istis Isaiae vaticinantis verbis (1) !

*Q. 796. Homilitica quaedam et moralia.

Ad dolores tantos subeundos Christum adegit amor singularis vereque immensus : unde ille pulcherrimus versus :

Cernis ut in toto corpore sculptus amor ?

Sed *quis ptus siccis oculis, et absque intimi cordis gemitu,* spectaculum illud cernere possit ?

Nostra cum solum tibi, Christe, culpa
Causa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita : vitam
Dedimus ipsam. (Off. de ss. Sind.)

Jam vero, quaenam imprimis culpa per illud tormentum expiata fuit, nisi **impudicitiae flagitium** ? Accedant igitur miseri illi peccatores qui pravae libidini se tradunt, atque opus suum contrito corde contemplentur ! Accedant, lacrymarumque voce veniam a Jesu cum fiducia implorent! Etenim, ut ait s. Hier., « Illud sacratissimum corpus Jesu pectusque Dei capax flagella secuerunt, quia « scriptum erat *Multa flagella peccatoris* (Ps. 31, 10), ut, illo flagellato, nos a verberi- « bus liberaremur. »

***Q. 797.** Pro exercitatione memoriae. Ubi flagellatus fuit Jesus ? Cujus jussu ? Quem in finem ? A quibus ? Quomodo ? Quaenam adhibita fuerunt instrumenta ? Undenam novimus illud supplicium fuisse a/ valde crudele, b/ atque ignominiosissimum ; omnibus quidem, sed praesertim Jesu ? — Vide q. 795.

Transitio. In Passione Domini duo sunt quae vicissim et quasi continenter sese excipiunt : et **pati** et **contemni** ; unde Apostolus de Christi cruciatibus ἀκριβῶς : *Humiliavit,* inquit, *semetipsum... usque ad mortem... crucis.* Vidimus modo dirum flagrorum **tormen-**

(1) **Sensus accommodatitius.** Multi hic etiam citant Is. 1, 6 *A planta pedis usque ad verticem* etc. Sed minus recte, quum ista de populo Israel ob iniquitates ad miserrimam conditionem redacto dicantur. Attamen, in quantum populus ille, peccatis inquinatus, figuram gessit Christi, peccatis nostris onusti, verba illa ad Jesum flagellatum *accommodare* aliquatenus possumus, cum Ecclesia in Off. *De 5 Plagis.*

tum, jam succedit summa lusus theatrici irrisio, spineaeque coronae dura **humiliatio.**

b. Jesus spinis coronatus et turpissime illusus.

Q. 798.

Textum Evangelicum vide ante q. 794 bis. **Locus impiae comoediae.** Post flagellorum poenam, quae, ut diximus, secundum traditionem (a qua tamen recedunt plures), in domo aliqua prope praetorium facta est, Jesus vestimenta induit, et a militibus reducitur *in praetorium* M. v. **27,** seu potius, ut ait Mc., εσω της αυλης, ὁ εστιν πραιτωριον, *intus atrii, hoc est in praetorium*, quod Vulgata recte videtur reddere per *in atrium praetorii*. Verisimiliter intelligitur *area sub dio* in palatio quod tunc occupabat Procurator. Huc autem Jesum ducunt, quia, utpote in arce Antonia, Romanum praesidium ibi sedem habebat, et mens erat ipsis omnes convocare milites.

S. Aug. tr. 116 *in Joan.* censet, ut jam animadvertimus (p. 1020), Pilatum jussisse vel permisisse id quod perpetrarunt isti : potius credam ipso inscio factum fuisse ; sed istud reprobasse non videtur, cf. J. 19, 5.

His praenotatis, singula jam examinemus, quae in luctuosa atque acerbissima ista comoedia facta fuerunt.

1° *Tunc* M. *milites praesidis*, iidem qui Jesum modo flagellaverant, *convocant totam cohortem* : intelligitur cohors militum Ramanorum, qui Hierosolymam praesidio tenebant ; cohors autem pars erat legionis decima, habebatque 425 milites, quandoque 500, vel si legiones majores erant etiam 600 (cf. Lips., *De mil. Rom.* 1, 4). Certe non oportet necessario admittere, universam cohortem in atrium venisse et Jesum circumstetisse ; sed sensus est, omnes milites cohortis Romanae, qui in praetorio tunc forte aderant, a sodalibus convocatos fuisse ; nec dubium quin multi ex eis huc accurrerint, promissi spectaculi nuntio et spe oblectationis allecti.

Regia inauguratio per ludibrium.

Jam vero, tantam quantam possunt cogunt catervam, quia ritus solemnes, quibus rex inaugurabatur, quique coram ingenti testium

hunc in finem convocatorum multitudine et cum maximo apparatu fieri solebant, configere et ad ludibrium componere volunt. Audierant enim Jesum dictum fuisse *regem* Judaeorum, imo ipsummet sibi affectare et vindicare regiam dignitatem. Ideo sistunt eum **tamquam regem ridiculum,** cum pallio, sed certe sordido et detrito; cum corona, sed spinea; cum sceptro, sed arundineo; cum ministris et civibus ditioni ejus subjectis, qui eum venerantur, sed isti sunt milites petulantes, qui crudelissimo ludo saevitiam libidinemque suam explent, illudentes, caedentes, conspuentes etc. (1).

Milites autem isti, ut notat Ludov. de Sax. in *Vita Ch.*, non intelliguntur generosi, nobiles et equites, sed stipendiarii seu viles mercenarii. Valde probabile est (Knab.) eo tempore in praesidio Romano multos fuisse milites e Samaritanis conscriptos.

Sed cur milites Romani, qui non sicut Judaei odio et invidia in Jesum ferebantur, hoc fecerunt? Quia contemptum et odium, quo isti Judaeos prosequebantur, explere poterant; etiam certe, quia illatae contumeliae ipsis, utpote hominum generi crudeli et procacissimo, voluptati erant. Addit s. Chrys. instigationem diabolicam: « diabolus, ait, tunc apud omnes debacchabatur, et quasi choreas agebat. »

2° Magna igitur coacta militum turba, jam M. v. **28 exuunt** Jesum, probabiliter **pallio** tantum, non *tunica*, namque loco vestis detractae *pallio* eum induerunt. Objicitur tamen, per vocem ἱματια in plur., quae v. 31 adhibetur, cum dicitur ipsum vestimentis quibus spoliatus fuerat rursum indutum fuisse, plerumque significari pallium et tunicam simul (M. 11, 8 in textu originali *hominem in mollibus vestibus* ἱματιοις; 17, 2 *Vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix*, in Transfiguratione; M. 24, 18 *Qui in agro* est, *non revertatur tollere* τα ἱματια): verum, fieri potuit ut pluralis pro singulari usurpatus fuerit, quemadmodum de solo pallio dicitur M. 21, 7 *Imposuerunt* super asinam et pullum *vestimenta*, et M. 21, 8 *Straverunt vestimenta sua in via*, etiam Mc. 5, 30 coll. v. 27; pariter J. 13, 4 *Surgit a coena et ponit vestimenta sua*, probabiliter de sola tunica dicitur, cf. supra q. 660.

3° Detracto Jesu pallio, **chlamydem coccineam** M., seu Mc. et

(1) Simile ludibrium in virum quemdam insanum, nomine Carabam, ab Alexandrinis factum fuisse, ut Herodes Agrippa offenderetur, narrat Philo in *Flacc.* 6.

J. *purpuream circumdant ei.* Chlamys seu *sagum* erat pallium e lana rubra confectum, non valde longum, humero dextro per fibulam adnexum, eo quidem modo ut partem corporis sinistram usque ad genua cooperiret. S. Isid. *Orig.* 19, 24 : « Chlamys est, ait, quae « una parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur. » Igitur illam facile colligere poterant dimicaturi, et brachium sinistrum ea loco scuti munire, ut narrat Plutarch. in *Alcib.* : « Sinistrae manui suam chlamydem circumvolvens, dextra vero stringens gladium, dejecit se. » Milites tum Graeci et Romani ea utebantur super tunicam et loricam. Pallium simile, sed longius et pretiosius, v. g. colore splendido, coccineo vel purpureo, tinctum, gestabatur a viris nobilioribus, imperatoribus, regibus et ducibus (latine *paludamentum*).

Jesus autem induitur sago quodam vel paludamento, quod certe milites in palatio repererant : quodque, secundum M., coloris erat **coccinei,** secundum J. autem **purpurei.** Evangelistae inter se conciliantur, si cogitemus pallium istud vetustum fuisse, adeo ut color coccineus (gall. *écarlate*), paululum deletus, factus esset quasi purpureus (gall. *violet*). De cetero uterque color, *purpurae* et *cocci*, similis est, et saepe fit ut alter pro altero nominetur, teste *Schleusn., v. πορφ. : cf. Gretser, *De cruce* I, 11. Sic Horat. *Sat.* 2, 6, 102 vestem *cocco tinctam* mox v. 106 vocat *purpuream*. Probabile non est, quod putat s. Ambr. in *L.*, plures fuisse vestes, chlamydem *coccineam*, et *purpuream* tunicam.

Purpura, sicut diadema, erat insigne dignitatis *regiae* et solebat concedi principibus summisque regni ducibus (*Winer *Rwb. Purpur*) ; pro idolis quoque in usu erat (ib.), et apud Hebraeos pro vestibus sacerdotalibus velisque Templi (ib.).

Accommodatio homilitica. « Veste autem coccinea, notat Luc. Brug., passus est se illudi, primum quidem ut pro abusu vestium nostro satisfaceret, deinde ut etiam stolam gloriae nobis promereretur. » Possumus etiam hac in re figuram quamdam et signum (gall. *symbole*) videre, quo nobis in memoriam revocetur Christum in se assumpsisse peccata, ut ea expiaret : color enim *ruber* vel *coccineus*, teste Ben. XIV *De festis*, peccati imaginem refert ; quod eruitur ex Is. 1, 18 *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur ; et si fuerint rubra quasi vermiculus* (ut coccum), *velut lana alba erunt* (Nota parallelismum membrorun poeticum). Idem innuit quod narratur Num. 19, 6, de *coccino* quod sacerdos in rogum, quo vacca rufa cremabatur, injiciebat, ut significaret peccata populi simul cum victima igne absumi.

4° Deinde M. v. **29** *plectentes* **coronam de spinis,** i. e. de ramis spinarum flexibilibus, *ponunt super caput ejus*, loco diadematis regii (1). Quum autem spinae (2) tunc florescerent, aptius certe meliusque coronam imitabantur : imo vero, sunt qui putent (*Hasselquist cit. apud *Smith l. i., et etiam *Winer, a. *Dorn*) tales adhibitas fuisse spinas (sc. rhamni *Nabeca* vel *Nebek*, ut eas vocant Arabes), quarum folia similitudinem habent cum hedera, qua triumphatores Romani caput cingere solebant.

Corona autem illa spinea, secundum Tert. cit. in marg., quem sequitur Luc. Brug., tempora Christi circumdabat sicut diadema; verum Ben. XIV opinatur cranium et partem capitis superiorem

---

(1) **Opprobrium et cruciatus simul**. Corona quidem Jesu imposita fuit ad illudendum ei, ut patet ex tota narratione : verum hoc non impedit quominus milites simul habuerint finem alium, nempe dolorem inferendi acerbissimum (contra *Smith, in *Dict. of the Bible*, voc. *Crown*); quemadmodum ad irrisionem et simul ad poenam caput arundine percutiebant alapasque dabant. « Certe, « ait Tert. *De cor. milit.*, praeter figuram contumelia in promptu est,... et his implexa *saevitia*, quae « tunc Domini tempora et foedaverunt et lancinaverunt. » Quanto dolore sacrum Jesu caput vulneratum fuerit, cogitatione vix assequi quis poterit : non tamen cranium perforatum fuisse dicendum est.

Annotatio summi momenti, et sedulo legenda.

(2) S. Greg. Turon. *De gloria mart.* I. 1 et 7, Pseudo-Anselm. *De Pass.*, Lyran., Tolet. (*Rat. div.* apud Ben. XIV *De festis* 7, 58, qui et ipse anceps haeret), opinantur per *spinas* intelligi **juncos marinos;** sed prorsus erronea est haec opinio : isti quidem junci sunt acuti, verum nequaquam tales ut caput admodum vulnerent (cf. Baron ad a. 34, n. 86, et Barthol. *De cruce*, hypomn. 3, qui juncum strenue rejiciunt). Oportet admittere fuisse veras spinas, stricte dictas : nam Evangelistae dicunt ακανθα, quod numquam *juncum* vel marinum, vel alium significavit; sed quaenam e variis spinarum speciebus, quae in Palaestina crescunt (de quibus cf. *Winer *Rwb.*, a. *Dorn*), intelligenda sit, multum disputatur.

Hug ib. cit. opinatur fuisse *lycium spinosum*, germ. *Bocksdorn*, cujus nempe rami valde flexibiles sunt. Verum probabilius erant **spinae e rhamno paliouro** (vulgo *Spina Christi*, gall. *nerprun*), quae frequentes sunt in vicinia Hierosolymae (Mislin); vel e specie cognata quae ab herbariis (gall. *botanistes*) vocatur *rhamnus zizyphus*, quales etiam saepe crescunt in illa regione, sc. longe majores durioresque quam nostrae spinae : Gen. 22, 13 mentio fit de ariete qui cornibus inter vepres haerebat. Negat quidem *Smith l. c. fuisse spinas e rhamno, propterea quod spinae istae non possent flecti in coronam : at vero, minime valet haec ratio. Etenim ex iis corona facile confici poterat, sequenti modo : rami spinarum, inter se implicati in modum parvi pilei, per **circulum juncorum** retenti erant. Circulus hic, qui adhuc exstat, e multis juncis simul ligatis compositus, capite humano latior est (*son diamètre est de 21 centimètres*), quia intra aeque ac extra illum (interius et exterius) rami spinosi inserti erant. Porro junci fasciae hujus seu diadematis vulgares sunt, non marini ; nec mirum, quum mare a Jerosolymis procul distet.

Haec est ipsissima **corona, quae Parisiis custoditur** in thesauro ecclesiae cathedralis, quaeque olim pie colebatur in celeberrimo sacello regio, ad honorem istarum Reliquiarum a s. Ludovico, Galliarum rege, elegantissime constructo sub nomine *La Sainte Chapelle*. Observandum igitur est, ibi non haberi proprie *s. Coronam Spineam*, sed partem tantum coronae spineae, illum nempe **circulum junceum** qui tamquam limbus coronam spineam circumdabat : omnes spinae, omnesque spinei ramusculi desunt. Variis in ecclesiis, imprimis Pisis in capella *S. Maria della Spina*, inveniuntur nonnullae ex istis spinis, cauli ligneo adhuc insertae. Cf. Rohault de Fleury, *Mém. sur les instrum. de la passion de J. C.*, Paris, 1873. Cf. etiam *Notice sur la s. Cour. d'ép.* (auct. Gosselin), Paris 1828.

per modum pilei contecta fuisse. Haec ultima sententia, quam tenet etiam Corluy, longe probabilior est, ut ostendit nuper ROHAULT DE FLEURY, l. c. in marg.: corona enim ex ramis spinarum aptius et facilius confici debuit sub forma pilei, si admittatur tamquam authenticus circulus ille junceus *capite multo latior,* de quo hic in marg. Quod si verum sit, eo crudelior sane fuit cruciatus, adeo quidem ut plurimi sanguinis rivuli, ex aculeis infixis erumpentes, per faciem Jesu decurrerent atque oculos ejus implerent et foedarent.

Sententiae morales et homiliticae in spineam coronam.

Q. 779. Apte animadvertit hic Luc. Brug., coronas regum hujus mundi vel **aureas** esse, vel **argenteas,** vel **ferreas,** quia regna terrena opibus, splendore, viribusque constant: Christi autem coronam **spineam** esse in hoc mundo, quia regnum ejus multis miseriis et paratur et constat: in coelis vero, Christum pro corona contumeliae gloriae corona ornari.

Quinque coronae. Praeter *coronam* a/ **pretiosam** *fulgidamque* (ex auro, margaritis gemmisque etc.), et b/ coronam *duram validissimamque* (**ex ferro et aere**), quales reges gestant, quaeque divitiarum et potentiae imaginem referunt, est etiam c/ *corona* **laurea,** quae signum est victoriae et triumphi; deinde est et d/ *corona* **florum** (de qua Sap. 2, 8 *Coronemus nos rosis, antequam marcescant*), quae figura est (gall. *emblème*) voluptatis: sed nulla ex istis quatuor decet Jesum, quamdiu in forma servi manet; e/ sola **spinea** convenit ei, qui venit ut peccata mundi susciperet et expiaret, cujusque vita in terris obnoxia fuit doloribus et cruciatibus continuis (gall. *comme une longue et continuelle Passion*).

Jam vero, si **tropologice** atque in re morali illa contemplemur, nobisque accommodare velimus, saluberrima salutis documenta inde colligamus oportet. Pseudo-Bern. *Vitis myst.* seu *Tract. de Pass.*: « Non decet, ait, membrum delicatum esse sub capite crucifixo », eo vel magis quod Jesus, qui caput est nostrum, praeter tormenta crucis dolores spineae coronae patientissime toleravit. Ideo Godefridus Bullonius, rex Hierosolymorum, cum diadema sibi imponeretur, exclamavit: « Non decet regem christianum corona aurea insigniri in illa urbe in qua Christus gestavit spineam. »

Apparitio facta s. Catharinae. Dominus Jesus, quum quodam die s. Catharinae Senensi spectandum se praeberet, **duas** ei obtulit **coronas**, hinc quidem **spineam,** illinc vero **gemmeam**, fecitque ei facultatem eligendi quam mallet: sed hac lege ut, si alteram postularet in hac vita, in vita futura alteram ejus vice reciperet.

Obiter etiam notamus clericorum **tonsuram** signum seu *symbolum* esse spineae coronae.

Schema concionis.

S. Bern. *Serm. 5o de diversis* quatuor coronas Christo adscribit:

a/ Coronam **miseriae,** quam in Passione gessit, quaeque peccatores invitat ad delictorum poenitentiam;

b/ Coronam **misericordiae,** quae justos ad imitationem provocat ;
c/ Coronam **justitiae,** quae impios perdet ;
d/ Coronam **gloriae**, quae sanctos remunerabitur.
Nonne schema praeclarae concionis tradit nobis Doctor Mellifluus ?

Sed ad propositum, a quo paululum defleximus, jam revertamur, atque ignobile spectaculum, in atrio Pilati nobis oblatum, describere pergamus.

5° Post pallium autem, post coronam, **tertium** jam addunt regium decus et **ornamentum :** in dextera Jesu ponunt **arundinem, loco sceptri** regii, quod potestatis signum erat. Arundo illa verisimiliter erat *arundo donax,* cujus stipes durus est ligneusque, et altitudinem 8 pedum attingit (fl. *Spaansch riet*) ; atque ideo ad metiendos agros (Ezech. 40, 3 sq. ; Apoc. 11, 1 ; 21, 15 sq.) et tamquam baculus (4 Reg. 18, 21 ; Is. 36, 6 ; Ezech. 29, 6) adhibebatur. Cf. * Winer, *Rwb.* a. *Schilf.* Inde collige quam grave tormentum Jesu illatum fuerit, cum milites isti inhumani arundine tali caput ejus percuterent.

6° Neque insignia tantum regia, tria illa praecipua, pallium, diadema et sceptrum, sed **tria** etiam specialia **venerationis** devotionisque regi debitae **signa** seu testimonia dederunt : nempe a/ adorationem salutationemque solemnem, b/ osculum dilectionis et fidelitatis, tandem c/ dona seu munera, tamquam tributa, novo regi sponte oblata.

Regem adorant irrisores. Itaque, quod attinet ad primum ex istis subjectionis signis, per irrisionem *genuflectunt ante eum* (1), imo *positis genibus* (utroque genu flexo) *adorant eum* Mc., forsitan humi prostrati et fronte solo admota (verbum enim προσκυνειν, quod hic adhibet Mc., saepe hanc vim habet, ut M. 2, 11 etc.) : profundissime ergo venerantur ipsum, ex ludibrio (*illudunt ei* M.). Interea *salutant eum* (*incipiunt salutare* Mc., *ils se mettent à faire cela :* indicat actus saepius repetitos, quemadmodum imperfecta *illudebant* M., *veniebant* et *dicebant* J.), *dicentes : Ave rex Judaeorum !* Istud figurabat solemnem adorationem, quae, die quo rex coronabatur, in Oriente fiebat.

Osculum fidelitatis fingunt. 7° Deinde *dant ei alapas* (J., ubi

(1) Genuflexio honoris causa facta memoratur etiam 4 Reg. 1, 13 ; Act, 10, 25 ; Mc. 10. 17 ; M, 17 ; 14 etc.

nota rursum imperfectum *dabant*, sc. pluries), tamquam osculum novo regi debitum (de solemni hujusmodi osculo forte intelligitur quod Ps. 2, 12 dicitur in hebr. *osculamini Filium :* cf. etiam 1 Reg. 10, 1). Pro *alapas*, gr. est ῥαπισματα, quod proprie sign. ictus virga vel baculo illatos ; attamen apud Graecos recentiores significat etiam alapas palma incussas : cf. Mc. 14,65 ; J. 18, 22. Eodem sensu adhibitur verbum ῥαπίζω M. 5, 39 ; 26, 67. Neque eis satis est faciem ejus manu verberasse, sed mox *arundinem* e dextra ejus *arripiunt*, atque ea *caput ejus percutiunt* (M. et Mc., ubi denuo nota imperf. *percutiebant :* ergo ictus iterarunt, et fortasse vicissim usi sunt arundine).

Mos regius in ludum conversus. Cujus quidem saevitiae significatio melius intelligetur, si recogitemus reges solitos fuisse supplicum caput summo sceptro tangere in signum benevolentiae et favoris (sic Esth. 5, 2 rex sceptrum ad Estherem inclinat) ; istos vero nefarios milites morem illum prorsus intervertisse, cum arundineum baculum in caput Jesu vehementer immitterent ; atque ita spinas in cutem magis infigerent, doloremque crudeliter adaugerent.

Dona regi oblata. 8° Tandem, loco donorum quae novo regi offeruntur, sputorum sordes, quia nihil vilius habent quod praebeant, in faciem ejus projiciunt (M. v. **30** *conspuunt eum* et quidem pluries, ut significat imperfectum *conspuebant* Mc). Cf. Is. 50, 6 *Faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.*

Contumeliae inauditae, quae omnem sermonem superant. Quanta, eheu ! militum istorum, seu potius carnificum, crudelitas et petulantia ! Vere horrescit animus cum ea legimus, praesertim si reputemus contumelias istas, tam probrosas tamque acerbas, in hominem diris flagellis jam caesum, sanguine manantem, viribus exhaustum ; et quod magis est, in virum mansuetissimum et innocentissimum (quem ipsemet Pilatus culpa vacuum ter pronuntiaverat), absque ullo judicis jussu, sed ex mera libidine, a vilissimo militum genere illatas saepiusque iteratas fuisse ! « Extremus « certe, ait s. Chrys., contumeliarum terminus erat id quod tunc « fiebat... Haec omnem excedunt orationem ! » Vere **nauseam** movent !

Istud vero adhuc melius intelligemus, plurimasque hujus rei

figuras ex vet. Test. desumptas contemplabimur, si Offic. *De ss. Spin. Cor.* (in Brev. Rom., fer. 6 post Quinq.) attente percurramus.

Accommodatio moralis. Christus hic **superbiam** nostram vanamque gloriam, ambitionem quoque honorumque contentionem imprimis expiare voluit. Cf. Bourdaloue, *Exhort. 8, sur le couronnem. de J. C.*

Tum repetitionis quum exercitationis gratia, pro more nostro, nonnullas adjicimus quaest., ex dictis facile solvendas.

***Q. 800.** Quo loco et a quibus spinea corona capiti Jesu imposita fuit? Indica ex ordine omnia et singula quae isti ad ludibrium et tormentum excogitarunt Vide q. 798.

***Q. 801.** Quoties Jesus post flagellorum supplicium vestimentis interioribus exutus fuit (unde vulnera renovata fuerint)? R. Certo priusquam cruci affixus fuit, sed disputatur utrum ante spineam coronam ei impositam : cf. q. 798.

***Q. 802.** Describe quomodo milites Romani, in praetorio, ut Jesum irriderent, solemnes et festivos ritus finxerint, qui in Oriente adhiberi solebant cum rex novus coronabatur. Vide q. 798.

***Q. 803.** Quid in illa illusione figuravit 1° pallium regium, 2° diadema, 3° sceptrum, 4° venerationem regibus exhibitam, 5° osculum amicitiae et fidelitatis, 6° benevolentiae testimonia supplicibus exhibita, tandem 7° dona quae principi offerri solebant ? — Vide q. 798.

Hactenus de Jesu flagellato spinisque coronato : jam videamus oportet quid Pilatus ista crudelitate lucratus sit.

B. Ecce homo! Judaeorum clamores, timor Pilati.

Praeced. vide ante q. 794bis.

J. 19, 4. Exivit ergo iterum Pilatus foras, et dicit eis : Ecce adduco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam. 5 (Exivit ergo Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum.) Et dicit eis : Ecce homo. 6 Cum ergo vidissent eum Pontifices, et ministri, clamabant, dicentes : Crucifige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus : Accipite eum vos, et crucifigite : ego enim non invenio in eo causam. 7 Responderunt ei Judaei : Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. 8 Cum ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. 9 Et ingressus est etc. *Ante q. 807.*

Q. 804. Quid fecit Pilatus statim postquam Jesus verberibus male mulctatus spinisque coronatus fuerat? Quid vero Judaei fecerunt ?

R. Pilatus Jesum sanguine perfusum, spinea corona purpureoque vestimento indutum, e praetorio adducit, eumque universae turbae ostentui tradit, sperans fore ut, exsaturatis invidiae odiis, vel saltem miseratione omnium excitata, sacerdotum ultioni eum tandem eripiat. *Ecce*, ait, *adducco vobis eum foras, ut cognoscatis quia nullam invenio in eo causam*, i. e. nullum crimen (judex Jesu innocentiam **quartum** proclamat).

Ecce homo! Procurator igitur praecedit, et statim post eum *exit Jesus portans coronam spineam et purpureum vestimentum* (1) (haec verba inter parenthesim posuit Vulgata, quia subjectum verbi sequentis *dicit* est Pilatus, de quo v. 4). Eum autem indigitans, Praeses exclamat **Ecce homo!** ἰδὲ ὁ ἄνθρωπος, ecce, adest homo ille quem tradidisti mihi (nota art.) : Beel. *ziedaer de mensch!* quod explicat sic : *ziet, daer is de mensch, daer staet hij voor u, dien gij mij hebt overgeleverd!* vel *um den es sich handelt!* (Bisp.). Quam miser! quam humilis! quam parum timendus! « Si regi invidetis, jam « parcite, quia dejectum videtis ». Fervet ignominia, frigescat « invidia (s. Aug. *In Joan.* h. l.). » Ex isto viri habitu et statu, ad quem redactus est, satis concludere potestis vanissimas esse accusationes, quae contra eum latae sunt, quasi regem vestrum se faceret! — Verba sunt vere miserantis, et ad misericordiam alios moventis (P. Corluy *in J.*) ; non autem ex contemptu aut ironia, ut vult Patr. *in J.*, prolata sunt, quasi ital. *eccolo qui!*

Dum haec dicit iste, **stat Jesus, mansuetus sicut agnus ;** in oculis ejus splendent sensa amoris et condonationis : quis non putet spectaculo illo inaudito ac stupendo, quod plebi subito et praeter exspectationem offertur, pectora etiam lapidea ferreaque perfringenda esse! Forte populus in eo est ut ad misericordiam commoveatur : saltem obstupescens tacet, quum alias statim clamare consueverat (M. 27, 22 sq. ; Mc. 15, 11 sq. ; L. 23, 4 sq. ; J. 18, 40) ; sed ecce **pontifices**, quorum odium in Jesum inexplebile est, quorumque invidia ad conspectum ejus increscit, **et** simul cum ipsis **ministri** eorum, genus hominum vilissimum, qui nihil noverunt nisi dominis serviliter acquiescere, **statim vociferantur**, ut plebem praeveniant eamque incendant, et vi magna

(1) De *arundine* nulla fit mentio ; eam saepe pictores suo marte addunt. Fertasse melius facerent isti, si Evangelio stricte inhaererent.

clamant : *Crucifige, crucifige eum !* « Pertinax malitia, ait s. Leo « *De Pass.* 10, propriis crescebat augmentis, et in quem obtinuerat « jus illusionis, exigebat et mortis. »

Pilati stomachus. Pilatus autem, tantam eorum malitiam feritatemque indigne ferens : *Accipite eum vos*, ait, *et crucifigite*, si audetis ! vel si per fas et nefas eum in crucem agere vultis (1) : *ego enim non invenio in eo causam*, eumque non condemnabo (Jesum culpa vacare jam **quintum** profitetur). *Respondent Judaei*, utique Sacerdotes et Scribae, pessimi isti legis doctores : *Nos legem habemus*, quam tu forte ignoras, *et secundum legem debet mori, quia Filium Dei se fecit.*

Nova accusatio. Igitur, quum crimen *politicum* rebellionis adversus imperium Romanum argumentis confirmare et judici persuadere nequeant, necessitate coacti id jam faciunt, quod hactenus ausi non erant, vel quod minus aptum parumque efficax putabant : legem suam urgent et **crimen religiosum** (2) obtendunt, quasi Jesus sit blasphemus, puta per hoc quod *Filium Dei* sensu proprio *se fecit* (cf. J. 10, 33 *homo cum sis, facis teipsum Deum*), quod Deo contumeliosum erat tamquam blasphemia. Nolim assentiri iis (*De Wette) qui nomini *Filii Dei* eamdem significationem ac voci *Messias*, in sensu religioso (non politico) intellectae, tribuant, quasi sit falsus propheta, et respiciatur ad Lev. 24, 15 sqq. ; Deut. 18, 20 : admodum enim verisimile est illud crimen religiosum objici quod cogitari poterat maximum. Nunc itaque mutata accusatione coram Pilato, tandem veniunt ad crimen propter quod Salvator a Synedrio capitis damnatus jam fuerat.

Pilatus timore religioso correptus. Pilatus, novum illud audiens testimonium, Jesum **filium Dei** se facere, hoc certe intelligit eodem sensu quem falsorum numinum cultores huic asseverationi adscribere debebant, de diis inferioribus seu heroibus, qui *filii deorum* habebantur (ita s. Cyr. Alex. *in Joan.* 19, 8), nati

---

(1) Quum Judaeis jus vitae et mortis non esset amplius (q. 770), quumque praeterea *crucis* supplicium Judaicum non esset, verba illa vere aculeata et amarulenta dicenda sunt (gall. *sarcastiques*). « Illud *accipite eum* etc. fastidientis est, et ad rem illicitam impellentis (s. Chrys. *in J.*). » Loco *et ad rem illicitam impellentis*, dicerem potius : *et scelus horrentis* (Corluy).

(2) Nullo prorsus modo probabilis est sententia *Bynaei, qui opinatur verba Judaeorum de crimine Laesae-Majestatis, sicut praecedentes accusationes, intelligenda esse : nam antea jam frustra apud Pilatum Jesum accusaverant quod diceret *se Christum regem esse*.

ex patre Deo et matre homine vel vice versa. Forsitan recogitat multa eaque inaudita miracula de Jesu illo fuisse narrata ; forsitan etiam recordatur moniti istius stupendi et mysterio pleni, quod ab uxore acceperat, et absque dubio per tranquillam majestatem quam Jesus ostenderat intime commovetur : ideo *magis* quam antea *timet* (antea enim conscientia ejus timore et cruciatu valde turbata erat), reumque capitis damnare non audet, ne iram istius dei, cujus filius esset, in caput suum concitet. Quamobrem consilium init eum iterum interrogandi seorsum, in conclavi praetorii interiore.

Haec est **2ª interrogatio**, quam ad normam juris judex Romanus instituit, quamque sententia capitis in Jesum lata mox excepit. Utrumque autem illud Pilati factum in scena 3ª deinceps exponemus.

***Q. 805.** Quaestio obiter adjecta pro alumnorum exercitatione. Quaenam **sensa** in Judaeis excitavit Pilatus, cum Jesum eis in spectaculum dedit, dicens *Ecce homo ?*

R. Quod attinet ad *pontifices* eorumque *ministros,* certum est istorum furorem magis excitatum fuisse, adeo quidem ut statim clamaverint *Crucifige :* quid autem turba senserit, non aperte tradit Evangelium ; sed ex tota serie historiae concludendum videtur, motum miserationis, si ullus exortus fuerit, per sacerdotes mox cohibitum sedatumque fuisse.

SCENA III.

Pilatus, post ultimos repugnantiae conatus, Jesum ad crucem damnat.

Connexio et transitio.

Pilatus in angustum coactus. Furor Judaeorum sanguine et tormentis Jesu, flagellis dire concisi, summoque perfusi opprobrio, satiatus aut sedatus non fuit. Pilatus omnes conatus, quos ignava et scelesta ejus astutia excogitare potuit, exhausit : nihil superesse videtur, quam ut reum inimicorum tradens libidini ad extremum condemnet supplicium, atque adeo opus funestissimum, quod cum virum innocentem verberibus male mulctavit tam improbe inchoavit, demum perficiat.

Lucta interior. Verumtamen, si ex metu Synedristarum huc devenit, ut quasi invitus ad extrema pellatur, metus quidam alterius generis, sacro plenus mysterio et causa religiosa nixus,

per monitum uxoris et per nomen *Filii Dei*, quod Jesus dicitur assumpsisse, excitatus, eum ab opere cohibet : hinc inde animo distractus et cruciatus, pugnam agit terribilem : non jam, proprie loquendo, contra Judaeos eorumque principes, sed adversus semet-ipsum : neque absolvere Jesum nec condemnare audet.

Summa res agitur, et causae cardo ponitur universae. Jam vero, haec est ultima luctatio (gall. *la dernière crise, le combat décisif*) in dramate nostro : nodus enim actionis solvi nequit, nisi prius dirempta fuerit interior illa Pilati contentio, atque timor alter alterum vicerit et subjugaverit. Et re quidem vera, metus hominum divinum superabit terrorem, agentibus nempe et clamitantibus Judaeorum proceribus.

Argumentum et divisio hujus scenae 3^ae^. Nunc autem indicare oportet quomodo extremum illud consilium sententiae ferendae tandem captum fuerit, et quibus semitis Pilatus, a Judaeis semper propulsus, ad sceleris apicem invitus pervenerit.

Q. 806. Generatim et analytice expone **ultimam** Jesu **interrogationem** factam a Pilato, et **ultimam** ejusdem **luctam** adversus Synedristas.

Resp. Primum quidem, Servatorem denuo interrogat, seorsum et tamquam judex ; praesertim inquirit, in illum *Filii Dei* titulum, qui, obiter sit dictum, secretam quamdam ipsi formidinem inferebat. Tale est Jesu responsum, ut metus interior miseri illius judicis majorem acquirat vim, adeo quidem ut externum timorem hic et nunc superare videatur. Igitur, firmum secum init propositum reum absolvendi, quidquid futurum sit ; sed vix a Synedristis audivit clamorem illum omni gladio ancipiti acriorem *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*, quum statim in contrariam partem animus ejus trahatur : victus timore externo, quantumvis interius repugnet voluntas, Jesum damnabit.

Hunc in finem tribunal ascendit, et post pauca molestiae offensionisque signa (*Ecce rex vester... Innocens ego sum* etc., manus lavatae), quae sunt quasi ultimi motus ac spasmi hominis gravissimo vulnere afflicti, sententiam a Judaeis tam vehementer expostulatam, a judice tamdiu denegatam, tandem aliquando pronuntiat.

Igitur tres sint scenae partes : 1° altera Jesu interrogatio ;

2° ultima Pilati repugnantia ; 3° sententia post acerba quaedam judicis irati verba (gall. *après quelques récriminations*) prolata.

P. I. Jesus iterum a Pilato interrogatur.

Praeced. vide ante q. 804.

J. 19, 9. Et ingressus est praetorium iterum, et dixit ad Jesum : Unde es tu? Jesus autem responsum non dedit ei. 10 Dicit ergo ei Pilatus : Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et postestatem habeo dimittere te? 11 Respondit Jesus : Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet. 12 Et exinde etc. *Vide q. 808.*

In memoriam nobis revocemus supra jam Christum a Pilato interrogatum fuisse, antequam ad Herodem mitteretur : nunc vero **altera** narratur ejusdem **interrogatio judicialis.** De ea seq. ponemus quaest.

Q. 807. 1° Qua occasione Pilatus Jesum iterum in praetorio interrogavit? 2° Quid actum est in ultimo illo rei examine? 3° Quisnam fuit ejus effectus?

R. ad 1m. Vide q. 804.

R. ad 2m. Pilatus, cum audisset Jesum se *filium Dei* facere, praetorium cum ipso ingressus, petit **Unde es tu?** Sensus nequaquam est : Cujas es? Ubi natus? praeses enim, qui eum ad Herodem Galilaeae principem miserat, eum Galilaeum esse ignorare non poterat; sed hoc sibi vult : Quaenam est origo tua? **Quod genus tuum?** fl. *van welke afkomst zijt gij?* gall. *de qui descendez-vous?* Numquid ab aliquo deo reipsa progenitus es tu?

Jesus autem **non respondet.** Quare? **propter tres rationes** sequentes :

a/ Si affirmasset simpliciter se esse *Dei filium*, hoc male intellexisset judex Romanus, secundum sensum eorum qui falsa colebant numina, nempe de *filio alicujus dei;* sin autem illud negasset, veritatem certe laesisset, et pugnasset cum semet ipse, sc. cum iis quae coram Synedrio clare affirmaverat.

b/ Rem vero longe lateque explicare nolebat, tum quia Pilatus, qui in priore interrogatione ipsi tergum verterat, quando in eo

erat ut veritatem, propter quam in mundum venerat, nuntiaret, plane indignus erat qui iterum et ulterius in Christi doctrina institueretur ; tum etiam quia responsa, quae Jesus tunc ipsi dederat, quibusque innocentiam suam praesidi plane demonstraverat, nullum assecuta fuerant effectum ; imo vero, non impedierant quominus crudeliter caesus fuisset.

c/ Tandem, in priore interrogatione coelestem suam originem satis docuerat, ut Pilatus ad ejus cognitionem pervenire potuisset, si voluisset mentem praebere docilem.

Jam vero, **silentium Jesu Procuratoris superbiam offendit;** hic *ergo* dicit ei, non sine stomacho : *Mihi non loqueris ?* Nota vim esse in isto *mihi*, quod initio phraseos ponitur : *mihi*, Romanorum procuratori ! Quae quidem vis ut demonstretur, addit vir ille superbus : *Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, et potestatem habeo dimittere te ?* Supple : et ad arbitrium quidem meum, seu prout lubebit mihi ; unde concludere in promptu est qualis esset iste judex ! « Mala potestas, ait s. Ambr. *Serm.* 20 n. 38, *in Ps.* « 118, licere quod non liceat : potestas ista tenebrarum est ! » Pilatus autem verbis illis duo simul consequi vult : hinc quidem reum terrere, si respondere recuset, illinc vero ei ad loquendum animum addere.

Nunc jam respondet Jesus, et cum sancta quadam animi firmitate. Sed, antequam verba ejus audiamus, obiter notemus oportet, Pilatum hic semetipsum condemnasse; nam, ut dicit Theoph. *in J.*, « Si hoc totum habes, et in te situm erat, quare non dimisisti quem « innoxium invenisti ? »

Ultima Jesu verba ad Pilatum.

Quid ergo respondit Salvator noster ? Fastum ejus et jactantiam deprimens : *Non haberes*, ait, *potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper*, i. e. a Deo (non, ab imperatore Romano) ; ipse enim decrevit ut ego, qui auctor sum vitae et mortis, quique nemini sum subjectus, modo occiderem, ideoque sponte me tibi submitterem (1).

(1) **Interpretatio minus recta.** Non agitur ibi origo divina auctoritatis politicae, ut quidam volunt : vox enim εξουσια sign. hic *nocendi facultatem* potius quam *auctoritatem*, et ideo additur *adversum me*. Quare locus parallelus non est Rom. 13, 1 *Non est potestas nisi a Deo.*

Pergit Christus : *Propterea qui me tradidit tibi* etc. Istud *propterea* valde difficilem reddit connexionem. Sunt qui ita intelligant : quia Pater me tibi tuoque judicio subjecit, quia tu divinitus accepisti potestatem et facultatem me damnandi et supplicio afficiendi ; aliis verbis, quia tu justa frueris auctoritate, *majus peccatum habet* ille qui me tibi, legitimo judici, injuste tradidit. Sed, ut statim notavi in margine, Jesus loqui non videtur de judicis *auctoritate*.

Ideo aliorum praefero sententiam, hanc sc. : quia tu nonnisi invitus paratus es uti potestate et facultate tibi permissa, ille *qui me tradidit tibi* (multi cod. *qui me tradit* in praes.), i. e. populus Judaeus et imprimis ejus senatores (*qui* est sing. collectivus ; sensus non est : Judas aut Caiphas), *majus peccatum habet* quam tu, quia iste sponte et libere necem meam procurat. S. Aug. *In Joann.* : « Plus peccat qui potestati innocentem occidendum *livore* tradit, « quam potestas ipsa, si cum *timore* alterius majoris potestatis « occidit. »

Quam admirabilia verba ! Quis non miretur Salvatorem, quippe qui eodem momento quo interrogatur et judicatur, tamquam judex mundi ipsemet examinet et dijudicet peccata eorum a quibus accusatur et condemnatur ? Suprema auctoritate, et quieto animo, malitiam majorem minoremve uniuscujusque expendit, et ad trutinam justitiae suae revocat. Affectum quemdam misericordiae et gratiae erga Pilatum, cujus culpam aliquantulum minuit, simul ostendit : forsitan ut cor ejus emolliat et ad meliora trahat. Notare etiam oportet, in iisdem verbis latere responsum ad quaestionem illam praecedentem : *Unde*, ex qua progenie, *es tu ?* Asseverat enim Salvator specialem Dei interventum fuisse necessarium ad hoc ut ab homine judicari damnarique posset : unde satis innuit se merum hominem non esse. Nonne dicendum sapientiam, prudentiam, et magnanimitatem Domini in verbis illis quam praeclarissime resplendere ?

R. ad 3^{m}. Videsis punct. seq.

P. II. Ultimus, sed inermis, Pilati conatus.

Quaestio 808.

Praeced. vide ante q. 807.

J. 19, 12. Et exinde quaerebat Pilatus dimittere eum. Judaei autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari. 13 Pilatus autem etc. *Post q. 812.*

Quomodo Pilatus sensim ad extremum cogatur. Ante omnia animadvertisse juvat, vires Pilati sensim decrevisse et nunc pene exstinctas esse : adhuc *quaerit dimittere* Jesum, et probabiliter mentem suam plebi manifestat, sed nihil jam facit ut eum reipsa dimittat : ergo, non amplius luctatur contra Judaeorum magnates, sed solummodo quamdam prodit voluntatem, quam fortiter et uno impetu retundent isti ; et tam efficienter quidem, ut alia in animo ejus ultra non exoritura sit. Post acceptum a Synedrii judicibus ictum illum fatalem (*le dernier coup*, *le coup de grâce*), ascendet in tribunal, et quantumvis invitus, et iratus, et murmurans, id quod volunt perficiet ignave. — Sed audiamus Evangelistam.

Exinde : ἐκ τούτου Vulgata sumit de tempore, ut J. 6, 66 ; sed hic vertere malim *ideo* (cum Syr. *propter hoc*, et Arab., s. Aug. *Tr.* 16 *in J.*, Patr., Lipman, Bisp. etc.), quia antea jam Pilatus Jesum dimittere quaerebat ; verum illud nunc facere vult etiam ob hanc causam, quod verbis Jesu supra recitatis commotus fuerit.

Pilatus bono animi motui indulget : vult dimittere Jesum. Puta eum revocatum fuisse ad vocem conscientiae, quae dictabat judicem verae injustitiae scelere inquinari, si virum innocentem, etsi ab aliis traditum, capitis damnaret. Jam vero, ut consilium quod ceperat liberandi Jesum perficiat, redit ad Judaeos, et, quod ex tota rerum serie colligitur, quodque pro certo ponendum est, sensa, quibus se Jesu aequum propitiumque praebet, eis detegit : imo vero, probabile est eum simpliciter et aperte, sine ullis ambagibus declarasse, secundum propositum quod modo inierat, se dimissurum esse Jesum, neque ultra velle se contaminare sanguine justo.

Principes autem Judaeorum statim vident **periculum** esse

imminens, ne tot et tanti eorum conatus illico inanes fiant omnes, atque ad nihilum tandem redigantur. Quid igitur facient in hoc summo causae discrimine ?

Ultimum synedristarum telum, fatale quidem. Confestim excogitant novam vincendi viam ac rationem; ultimam quidem, sed omnium potentissimam, qua totum negotium semel actum prorsusque decisum erit. Gallice dicam aptius et pressius : *Nous voici au moment décisif: c'est le nœud de l'action ou du drame. La situation est tellement tendue, qu'une solution doit intervenir dans l'un ou dans l'autre sens. Pilate a épuisé tous ses moyens, et il veut en finir par un coup d'autorité. Jésus n'est pas coupable, il l'acquittera. N'est-il pas le Procurateur Romain, et comme tel n'est-il donc pas le maître d'absoudre ou de condamner? — Non, car* **il a peur !** *Les Juifs en effet disposent encore d'un dernier moyen, contre lequel Pilate est désarmé, et impuissant par sa propre attitude : il est dominé par la crainte, comme il l'a montré assez ; eh bien ! une menace hardie va le terrasser : ce sera le coup de grâce ! Accablé par ce coup terrible, il se décidera enfin à porter la sentence. Il regimbera encore un peu, p. ex. par le lavement des mains accompagné d'une dernière protestation ; mais il finira cependant par s'exécuter.*

Astutia a diabolo indita. Tentamentum autem istud ultimum, a Judaeis adhibitum, tam prompte tamque astute inventum fuit, ut ab ipso diabolo inditum videatur (1). Judaei enim ad crimen politicum, quod solum virum istum Romanum movere poterat, redeuntes, nunc indirecte illud objiciunt, quum directa accusatio sufficiens non fuerit, illudque in **minas** gravissimas convertunt, adeo quidem ut in ipsum judicem toto pondere recidat.

Ipsemet Pilatus accusatur, et criminis quidem Laesae Majestatis. Igitur clamant : *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris : omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari*, et per hoc ipsum factiosus et seditiosus habendus est. Audisne, Pilate, ista ? Intelligisne quae velint? In te convertitur crimen : jam de temetipso agitur causa. *Non es amicus Caesaris !* imo vero, quod magis est, *Caesari contradicis*, eique adversaris ! Nosti sane quale

(1) Hac occasione animadvertimus credibile esse potestatem daemonum numquam, in universa mundi historia, majore cum vi et astutia sese exeruisse quam inter luctuosos cruciatuum Dominicorum eventus.

crimen in caput tuum contorqueatur : crimen Laesae-Majestatis imperatoriae ? Te non fugit profecto vel solam sceleris hujus suspicionem extremo mulctari supplicio ? Quid dicis, Pilate ? quid judicas ?

Nullum dubium quin ista verba, diabolica astutia prolata, animum praesidis multum agitarint eique formidinem maximam injecerint. Namque ab una parte, tunc regnabat Tiberius, quo tempore secundum Tac. *Ann.* 3, 38 : « **Majestatis crimen omnium accusationum complementum** erat » ; et Suetonius *Tiber.* 58 testatur ipsum « atrocissime exercuisse leges majestatis » ; et Seneca *Ad benef.* 3, 16 loquens de crimine Laesae-Majestatis : « Sub Tiberio Caesare, ait, fuit accusandi frequens et poene publica rabies » : ab altera parte, Pilatus, ut supra q. 771 notavimus, a Judaeis apud Imperatorem accusatus jam fuerat (Philo, *Ad Caium* 38, 2), et tumultus inter Judaeos pluries excitaverat, quorum causa nonnumquam crudeliter se gesserat (q. 771) ; aliamque ejusdem saevitiam refert Lucas 13, 1.

Ideo timere debuit ne praecedentibus querelarum causis nova adderetur, haec sc., ipsum fautorem fuisse et in scelere consortem viri seditiosi, qui Judaeorum regnum regiamque dignitatem sibi vindicabat.

Pilatus timet pro semetipso : res decisa est immutabiliter. Quae quum ita essent, terrore victus et oppressus, clamoribus minisque ignave cedens, consilium tandem iniit Jesum ad crucis supplicium damnandi ; quod et fecit, ut statim dicemus in p. III. Verum antea paucas indicamus quaestiones, quae ad rerum notitiam memoriae altius imprimendam haud inutiles forte videbuntur.

***Q. 809.** Quoties Pilatus Jesum seorsum interrogavit ? paucis narra quae dicta fuerunt utrimque. — R. Bis : primum, q. 783 ; iterum, q. 807.

***Q. 810.** 1° Qua occasione Pilatus petiit a Jesu : *Unde es tu ?* 2° Da sensum hujus interrogationis ? 3° Quare Jesus non respondit ? — Vide q. 807.

***Q. 811.** Expone verba Jesu ad Pilatum : *Non haberes potestatem adversum me ullam, nisi tibi datum esset desuper : propterea qui me tradidit tibi, majus peccatum habet.* Attende praesertim ad verba *desuper, propterea, qui tradidit.*

***Q. 812.** Quaenam Judaeorum verba maxime omnium moverunt Pilatum ad hoc ut Jesum condemnaret ? Duplici ratione, ex historicis profanis istius temporis desumpta, explica quare verba illa Pilatum adeo perterruerint. — Vide q. 808, circa finem.

P. III. Pilatus invito et acerbo animo Jesum ad crucem damnat.

Praeced. vide ad q. 808.

J. 19, 13. Pilatus autem, cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, et sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithostrotos, hebraice autem Gabbatha. 14 Erat autem Parasceve Paschae, hora quasi sexta, et dicit Judaeis: Ecce rex vester. 15 Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus regem, nisi Caesarem. 16 Tunc ergo etc.

Praeced. vide ante q. 792.

M. 27, 24. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lavit manus coram populo, dicens: Innocens ego sum a sanguine justi hujus: vos videritis. 25 Et respondens universus populus, dixit: Sanguis ejus super nos et super filios nostros. 26 Tunc dimisit illis Barabbam: Jesum autem etc.

M. 27, 26... Jesum autem flagellatum tradidit eis ut crucifigeretur. 27 Tunc milites etc. *Vide supra p. 1018.*

Praeced. ante q. 792.

L. 23, 25... Jesum vero tradidit voluntati eorum. 26 Et cum ducerent eum etc. *Ante q. 828.*

Praeced. ante q. 792

Mc. 15, 15... Et tradidit Jesum flagellis caesum ut crucifigeretur. 16 Milites autem etc., *supra p. 1018.*

J. 19, 16. Tunc ergo tradidit eis illum ut crucifigeretur. Susceperunt etc. *Ante q. 828.*

Jam notavi, apud M. et Mc. condemnationem Jesu referri antequam narretur ipsum flagellis caesum spinisque coronatum fuisse, verum e J. colligi sententiam nonnisi post illa supplicia latam fuisse.

Ordo rerum et divisio.

Omnia, quae in hoc 3° p. tractanda sunt, ad sequentia rerum capita revocabimus.

A/ Dicemus de iis quae sententiam proxime praecesserunt, et imprimis de *loco* et *tempore*, quae J., antequam condemnationem Jesu referat, distincte notat.

B/ Indicatio autem *temporis* magnam et intricatissimam movet quaestionem, de *hora* qua Jesus cruci affixus fuerit, nempe quo-

modo inter se concilientur duo Evangelistae, qui, quod horam attinet, ad invicem pugnare videntur.

C/ Dein accedimus ad ipsam sententiae capitalis pronuntiationem. Priusquam autem Pilatus judicium edat, ultimum verbis pungit Judaeos, sed illico ab ipsis vicissim pungitur.

D/ Tunc manus lavat, ut et verbis et actu significet petitioni Judaeorum se invitum annuere. Obiter ostendemus inde nec a/ culpam, nec b/ poenam ablatam fuisse.

E/ Judaei porro verbis et actui Pilati respondent : *Sanguis ejus super nos !* etc.

F/ Denique fertur sententia.

A. Locus, et dies condemnationis.

Q. 813. Quaenam proxime praecesserunt condemnationem Jesu a Pilato prolatam ?

R. Pilatus, post alteram Jesu interrogationem, hunc in cubiculo praetorii interiore relinquit, et venit ad Judaeos, in platea coram palatio congregatos, ut ultimum tentet reum liberare : sed Judaei statim clamant *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris*, etc. (vide supra). Hisce verbis perterritus, praeses sententiam capitalem, quam hactenus vitare conatus est, tandem pronuntiare statuit ; ideo J. Jesum *adducit foras* in porticum, et, pro more judicum in **tribunal** (1), quod in loco edito sub dio (ut plerumque fiebat) ante praetorium erectum erat, ascendit. E superiore enim loco solebant judices, et nunc solent, sententiam ferre.

Locus ille *hebraice* (aramaice) dicebatur **Gabbatha,** גַּבְּתָא altitudo a גָּבַהּ *altus fuit*, quia aliquantulum altior erat platea *(une terrasse ou plate-forme élevée devant le palais)* ; graece vero Λιθοστρωτος vocabatur (a gr. λιθος *lapis*, et στρωτος *stratus*, a στρωννυμι : igitur *lapidibus stratus*, *pavimentatus*, germ. *Steinpflaster*, gall. *la terrasse pavée*). Multi putant pavimentum illud fuisse tessellatum, e

(1) **Tribunal**, το βημα, erat suggestum quoddam ligneum, plerumque portatile, formae rectangularis, ad quod per *gradus* ascendebatur (a βαω, βαινω, *gradior*), et super quod ponebatur sella curulis judicis : simile suggestum erat thronus regum, in quo erat solium, seu sedes regia.

sectis parvulisque marmorum multicolorum crustis stratum (*en mosaïque*) (1).

Erat autem J. *parasceve Paschae :* hoc duplici sensu explicatur. Si ponamus, secundum quorumdam sententiam, Hierosolymitanos anno isto agnum Paschalem manducasse feria 6ª vespere, postridie quam Jesus, qui, Galilaeorum numeros et calculos secutus, feria 5ª vespere id fecit : per *parasceve Paschae* intelligitur dies ante Pascha proprie dictum, seu dies praeparatorius ad Pascha (a gr. παρασκευω, *praeparo*). Illi vero, qui censent Jerosolymitanos etiam feria 5ª vespere coenam sacram celebrasse, verba *parasceve Paschae* sensu quodam lato et improprio accipiunt, vel de parasceve hebdomadis paschalis (i. e. de die ante sabbatum, seu de feria 6ª, quae in hebdomade paschali istius anni occurrit), vel de parasceve seu feria 6ª quae in ipsum Pascha incidebat. Cf. infra q. 1170.

Diem autem illum fuisse **diem Veneris** seu feriam nostram 6ᵐ, nullus relinquitur dubitandi locus : at vero, de ipsa diei hora, qua Christus mortis damnatus, et proinde de hora qua in crucem sublatus fuerit, maxima inter eruditos existit controversia, ut modo dicemus.

Quaestio inter difficiles difficillima.

B. De hora qua Jesus cruci affixus fuit.

(J. et Mc. inter se conciliandi sunt)

Q. 814. Secundum J. Jesus damnatus est *hora quasi* 6ª ; sed Mc. 15, 25 ait : *Erat hora* 3ª *et crucifixerunt eum*, i. e. quando erat hora 3ª, milites jam in Golgotha pervenerant (ut patet ex iis quae praecedunt apud Mc.), et crucis supplicio operam dabant. Quomodo inter se conciliantur duo Evangelistae ?

Resp. Varii varias excogitaverunt sententias, inter quas, ingenue fateor (cum P. Pierik, *De lyd. Jes.*), nullam reperire potui quae plene satisfaciat.

---

(1) **Quid Lithostroton** ? Hujusmodi opus musivum, simul cum solio judiciali, ad consuetam judicii formam adeo pertinebat, ut Julius Caesar utrumque secum afferret in expeditionibus suis : cf. Suet. *Jul.* 46. Igitur istud λιθοστρωτον non semper fixum erat, sed interdum portatile. Hic tamen, in historia Evangelica, pavimentum *fixum* intelligendum videtur, quum nomen proprium Aramaicum, tamquam loco fixo, ei inditum esset, et tale quidem nomen quod non sit ejusdem significationis ac *lithostroton*, sc. *Gabbatha*. Nolim adstipulari eis qui (v. gr. Fouard *Vie de J.-C.*) opinantur illud **lithostroton** idem esse de quo Jos. *B. J.* 6, 1, 8 et 3, 2 loquitur, quodque erat templi atrium pavimentatum. Certe in ipso templi ambitu tribunal judicis Romani erectum fuisse versimile haud est ; dein apud Jos. *lithostroton* non sumitur ut nomen proprium (q. 772). De cetero, Procurator το βημα erigere faciebat ubicumque vellet : sic legitur apud Jos. *B. J.* 2, 9, 3, Pilatum quodam die in stadio magno tribunal statuisse.

Imprimis sententias s. Aug. *in J.* et *De cons. Ev.* 3, 13, Dominum cruci affixum fuisse hora 3ª linguis Judaeorum et hora 6ª manibus militum, vel horam 6ᵐ parasceves, de qua J., esse 3ᵐ diei (quasi parasceves initium computandum esset ab hora 9ª noctis, seu a 3ª nostra post mediam noctem), utpote plane gratuitas et pro arbitrio excogitatas, relinquimus.

Inter alias autem auctorum conjecturas quatuor sunt praecipuae, quas nunc exponemus.

1ª Sent. (Bisp., Allioli, Fouard, post Mald., et Baron. ad a. 34, 157). Per horam 3ᵐ designatur totum temporis spatium, quod ab hora nostra 9ª antemeridiana (1) usque ad 12ᵐ decurrit. Igitur Mc. vult dicere horam 6ᵐ nondum advenisse, seu fuisse adhuc horam 3ᵐ, quando Jesus in crucem actus est; sed jam propinqua erat hora 6ª, *quasi sexta* ut ait J. (2), v. gr. fuit hora 11ª cum dimidia, quando Pilatus sententiam tulit; adeo quidem ut ante horam 12ᵐ (*avant que le 2ᵈ quart appelé hora tertia fût écoulé*) Jesum supplicio affecerint. Haec autem sententia pro certo ponit diem naturalem in quatuor partes, nempe 1ᵐ, 3ᵐ, 6ᵐ et 9ᵐ horam, quemadmodum noctem in quatuor vigilias, apud veteres divisum fuisse. Verum obstat hanc opinionem nullo argumento confirmari, eidemque repugnare Mc. 15, 33, nisi horas ibi intelligamus inchoatas, et v. 25 horam absolutam, quod absonum est (gall. *illogique*), quodque pro mero libitu affirmaretur (3). Hanc sent. 1ᵐ dedita opera confutant Morinus *Diss. de horis Pass.*, et Mauduit *Anal. de l'Ev.*, *Diss.* 36.

2ª Sent. Alii (Calm., Patr., De Buck, Lipm., Schegg, P. Corluy etc.) putant veram lectionem apud J. esse *hora quasi tertia*, τριτη, D*** LXΔ, 72, 88, 123* etc. Equidem in Chronico Paschali sive Alexandrino (sec. VI) s. Petrus Alexandrinus († 311) affirmat ita legi in ipso autographo seu ιδιοχειρῳ s. Joannis, « quod *usque nunc*, ait, Ephesi asservatur » : sed hoc valde incertum est, quum, teste Güntner *Introd.* § 14, autographa N. T. omnia jam sec. I periisse videantur. Cetera autem hujus lectionis testimonia vide apud Tisch. Hoc admisso, omnis repugnantia jam evanescit. Jesus *quasi* i. e. circiter *hora* 3ª damnatus est, et hora 3ª completa jam erat in Golgotha. Sed parum temporis inter utrumque factum ponitur, deinde dicendum erit Christum per 6 fere horas in cruce pependisse, quum tamen vetus traditio vulgo admissa nonnisi tres statuat horas : cf. s. Iren. 1, 14, 16 ; Const. Apost. 5, 16. Praeterea, isti sententiae etiam objicitur, in omnibus fere codd. et vers. antiquis lectionem εκτη *sexta* haberi.

3ª Sent. Langen, Beelen horam 6ᵐ, de qua loquitur Joannes, a media nocte computant, more Graecorum, pro quibus aiunt, scribebat ille. Verum, vix concipitur mente quomodo omnia, quae isto mane ante condemnationem Jesu

(1) Quand le jour avait 3 heures complètes, le second quart du jour, désigné par le terme de *hora tertia*, commençait : donc à 9 h. du matin, d'après notre manière de compter.

(2) *Il était presque 6 heures*, le jour avait presque 6 heures complètes ; donc il était près de midi ; car à l'équinoxe, comme le soleil se lève à 6 h., la 6ᵉ heure commence à notre 11ᵉ heure et finit à midi.

(3) Si hora 3ª, qua teste Mc. 15, 25 (*Erat hora 3ª et crucifixerunt eum*) Jesus in crucem actus fuit, significet secundum diei quadrantem fere absolutum (*vers 11 1/2 heures du matin*) : tenebrae, quae *hora 6ª* factae dicuntur (Mc. 15, 33), nonnisi circa finem tertii quadrantis acciderunt (*vers 2 1/2 de relevée*) ; atque adeo Jesus, qui secundum eumdem Evangelistam mortuus est *hora 9ª* (Mc. 15, 34), circa finem quarti quadrantis, tres horas post ingruentes tenebras, exspiravit (*vers 5 1/2 du soir*). Hoc autem admitti non posse patet ex aliis Evangelistis, qui scribunt Jesum *hora 9ª* mortuum esse, quique per horam 9ᵐ certo designant tertiam nostram post meridiem : fatentur enim omnes Matthaeo, Lucae et Joanni tribuendum non esse illum loquendi modum, quo per horam 3ᵐ, 6ᵐ et 9ᵐ intelligerentur partes quaedam diei (*des quarts de jour*) similes vigiliis noctis.

evenerunt, absoluta fuissent hora circiter 6ª ante meridiem. Praeterea idem Joannes 11, 9 horas diei more Judaeorum ab ortu solis numerat.

4ª **Sent.** Mauduit vult ut Mc. 15, 25 legatur (cum vers. aethiop.) *erat hora sexta* etc.; opinatur librarios mutasse *sexta* in *tertia*, vel quia infra, scil. M. 15, 33, scriptum est *facta hora sexta, tenebrae* etc., vel quia ex errore oculorum et oscitantia literam Γ pro ς (*le chiffre 3 des Grecs à la place du chiffre 6*), per similitudinem in errorem labentes, apposuerunt (1). Ita etiam Pseudo-Hier., *Brev. in Ps. 77*; et Eus. Caesar. (IV sec.) citatus apud P. Corluy. Haec 4ª sententia, magis quam aliae omnes, varios Evangelistas in universa narrationis serie facillime inter se conciliat. Sed inique comparatum est, lectioni *sexta* loco *tertia* paucissimos testes patrocinari, ut videre est ap. Tischend.

Concludo quaestionem illam nondum plene solutam videri : confidimus autem meliora postmodum reperienda esse. Interim nemini licet affirmare, aut Marcum aut Joannem in re hujusmodi, quae multis nota certe fuerit, errorem commisisse : eorum enim veracitas et accuratio aliunde indubia est, omnibusque probatissima.

Sed haec hactenus. Revertamur ad luctuosam Christi patientis historiam. Pilatus in eo est ut sententiam ferat : antea tamen Judaeos verbis ultimum pungit, quod male ei succedit. Qua de re nunc disputandum.

C. Pilatus pungit Judaeos, sed vicissim pungitur.

Q. 815. Quibus verbis Pilatus Judaeos ultimum pungit, et quomodo ab istis vicissim pungitur ?

Resp. Pilatus, jamjam sententiam laturus, primum dicit Judaeis (J. cit. post q. 812) : **Ecce rex vester!** quasi velit incipere a definienda persona quae condemnanda sit (gall. *constater son identité*) ; sed simul hanc ei mentem fuisse videtur ut contemptum in Judaeos declararet, atque ita maligna eorum verba *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris* ulcisceretur, eisque vicem quasi rependeret. Haud probabile duco quod ait s. Chrys. subesse levissimam quamdam voluntatem flectendi Judaeos et Jesum liberandi.

Ad verba illa *rex vester*, notat s. Aug. *in Joan.* : « Avelli ex ejus « corde non potuit, Jesum regem esse Judaeorum, tamquam hoc « ibi, sicut in titulo, ipsa veritas fixerit. »

Illi autem, certe Synedristae praesertim, sermonem ejus statim interrumpunt, clamantes : *Tolle, tolle, crucifige eum !* (jam quartum clamant Jesum cruci affigendum esse).

Pilatus, iterum cum contemptu et ironia (non autem, ut alii

(1) Error ille adhuc facilius admitti potest, si verum sit, quod ait P. Corluy, pro figura etiam adhibitum fuisse digamma F ad designandum numerum 6.

opinantur, cum cupiditate Jesum eripiendi) : Quomodo ? ait, *regem vestrum crucifigam ?*

Duplicitas et poena. Respondent *pontifices* (non turba) cum diabolica solertia : *Non habemus regem nisi Caesarem.* Proh Deus ! Quanta animi duplicitas in iis qui dominationem Romanorum tam acriter detestabantur ! Sed fiet ipsis quod sponte elegerunt : « Deus « tradidit illos (Caesari)... ; permisit eos suis calculis subruere, » ut ait s. Chrys. Igitur regem habebunt terrenum ethnicum, Imperatorem Romanum, ejusque gladio percutientur in clade Jerosolymitana. S. Joan. Dam. *in s. Parach.* 6 : « Quando ergo regem « vestrum negastis, manete deinceps sine rege, servitutis aeternum « trahentes jugum ! »

Ista autem pontificum verba terrorem renovant, quo Procurator commotus fuerat quando dixerant Judaei *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris ;* praeterea, *videt quia magis tumultus fiat :* ideo intelligit non oportere Synedristas ultra verbis pungere et offendere.

Attamen, antea quam libidini eorum satisfaciat, manus lavat coram omnibus : quod quidem in eum facit finem quem nunc explicabimus.

D. Manus lavat, sed nec culpam nec poenam aufert.

Q. 816. Quomodo Pilatus, tum verbis quum facto innocentiam Jesu **ultimum** declaravit ? An injusta Christi occisio perfecte imputari debet Pilato, addendo rationem ?

Resp. Tunc Pilatus, ut ultimum ostendat se aegre et invite obtemperare Judaeorum expostulationibus, utque sententiae capitalis effectus a se removeat, M. v. **24** *accepta aqua, lavat manus coram populo, dicens : Innocens ego sum a sanguine justi hujus* (1). **Sextum et ultimum** asserit Jesum culpa carere. Cf. 2 Reg. 3, 28 *Mundus sum ego... a sanguine Abner.., et veniat super caput Joab.* Dan. 13, 46 *Mundus sum ego a sanguine Susannae.* Act. 20, 26 *Mundus sum a sanguine omnium,* si quis vestrum pereat, ego non sum in culpa.

(1) **Morem lavandi manus** in signum innocentiae, tum apud Judaeos, quum apud gentes alias viguisse nemo ignorat, et ipsa natura duce generatim apud homines habet significationem illam symbolicam. Sic, quod attinet ad Judaeos, Deut. 21, 6 praescribitur ut, quando inventum fuerit cadaver hominis occisi, et caedis reus non detegatur, seniores manus lavent super victimam quae in vicem homicidae immolari debet, atque ita testentur se innocentes a caede ista, nec suam esse culpam quod auctor ejus manserit ignotus. Cf. Ps. 25, 6 *Lavabo inter innocentes manus meas.*

Addit Pilatus *Vos videritis ;* vestrum est negotium, crimenque vestrum : fl. *gij moet het maar weten*, nempe *wat gij doet!* Quasi vero hoc sufficiat ad excusandam sententiae iniquitatem ! Cf. Ovid. *Fast.* 2, 45 :

« Ah! nimium faciles, qui tristia crimina caedis
Fluminea tolli posse putetis aqua ! »

S. Ambr. *in L.* l. 10, 10 : « Lavit quidem manus Pilatus, sed facta « non diluit ; judex enim nec invidiae cedere debuit nec timori, « ut sanguinem innocentis addiceret. » — « Laverit licet manus, « ait auctor quidam antiquus (in operib. s. Aug. *Serm.* 118 *de* « *temp.*, qui supposit. est, ap. Migne in App. *Serm.* 52), tamen sua « facta non diluit ; quamvis abstergere se putaverit justi sanguinem « de suis membris, eodem tamen sanguine mens ejus tenetur « infecta : ipse enim occidit Christum, qui eum tradidit occi- « dendum (1). »

De injusto Pilati judicio cf. Dupin, *Jésus devant Caïphe et Pilate ;* Langen, *Die letzte Lebenst. J.* Fratres Lemann, de quibus supra q. 741, libellum de eodem argumento edere promiserunt. De *actis* vero, quae Pilatus circa causam Jesu ad imperatorem Tiberium rescripsisse fertur, videsis ad calc. huj. Comm. in Append. q. 1018.

Pilatus inexcusabilis. Itaque Pilatus manus lavit, sed conscientiam non mundavit : etenim, tamquam *Romanus* firmiorem

---

(1) Non possum hic non referre celeberrima verba Card. Pie *Mand. au sujet des accus. portées contre le souv. Pont.*, 22 févr. 1861. L'allusion est transparente : Napoléon III a été le **Pilate de la Papauté,** et l'histoire répètera à jamais ce nom mille fois exécrable.

« Depuis dix-huit siècles, il est un formulaire en douze articles que toutes les lèvres chrétiennes « récitent chaque jour. Dans ce sommaire de notre foi, rédigé avec tant de concision par les Apôtres, « figurent, en outre des trois noms adorables des personnes divines, le nom mille fois béni de la « femme qui a donné la naissance au Fils de Dieu, et le nom mille fois exécrable de l'homme qui lui a « donné la mort. Or cet homme ainsi marqué du stigmate déicide, cet homme ainsi cloué au pilori de « notre Symbole, quel est-il donc ? Cet homme, ce n'est ni Hérode, ni Caïphe, ni Judas, ni aucun « des bourreaux juifs ou romains, cet homme c'est Ponce Pilate. Et cela est justice, Hérode, Caïphe, « Judas et les autres ont eu leur part dans le crime ; mais enfin, rien n'eut abouti sans Pilate. Pilate « pouvait sauver le Christ ; et sans Pilate on ne pouvait mettre le Christ à la mort. Le signal ne « pouvait venir que de lui : *Nobis non licet interficere*, disaient les Juifs.

« Lave tes mains, ô Pilate ! Déclare-toi innocent de la mort du Christ. Pour toute réponse, nous « dirons chaque jour, et la postérité la plus reculée dira encore : Je crois en J.-C., le Fils unique du « Père, qui a été conçu du saint Esprit, qui est né de la Vierge Marie, et qui a enduré mort et passion « sous Ponce-Pilate : *Qui passus est sub Pontio Pilato.* »

Haec autem ultima verba imitatus est Card. Pie ex libro Dupin hac pag. cit., ubi sic habetur : « Lave tes mains, Pilate, elles sont teintes du sang innocent! Tu l'as octroyé par faiblesse, tu n'en es pas moins coupable que si tu l'avais sacrifié par méchanceté! (Hoc minus accuratum est). Les générations ont redit jusqu'a nous : Le juste a souffert sous Ponce Pilate, *Passus est sub Pontio Pilato!* »

animi fortitudinem ac virilitatem, tamquam *judex* majorem aequitatem mentisque constantiam, et tamquam *Procurator* auctoritatem potestatemque minus servilem ostendere debuisset. « Excessit quidem, « ait s. Leo *Serm.* 8 *de Pass.*, Pilati culpam facinus Judaeorum, « qui illum nomine Caesaris territum, et invidiosis vocibus « increpatum, ad effectum sui sceleris impulerunt : sed nec ipse « evasit reatum, qui, cooperatus seditiosis, reliquit judicium « proprium, et in crimen transivit alienum. »

*Q. 817. Misera Pilati sors.

Quare nec sceleris **poenam** vitavit : nam paucos annos postea (circiter quatuor Misl. post duos annos : per 10 annos procurator fuit, Jos. *Ant.* 18, 4, 2), a Judaeis propter tyrannidem apud Vitellium, Syriae Proconsulem, cui suberat Procurator Judaeae, accusatus fuit, atque jussu ejus dignitate depulsus, Romam missus est, ut coram Imperatore causam diceret. Eo advenit, cum Tiberius jam mortuus esset, ipsique successisset Caius (Caligula) : cf. Jos., *Ant.* 18, 4, 1 et 2. Videtur fuisse damnatus ad exilium et in Galliam relegatus (1) ; imo vero, secundum antiquam traditionem, apud Eus. *H. Eccl.* 2, 7, aerumnis oppressus vitam sibime, ipse miser eripuit.

De loco autem mortis ejus duplex exstat opinio popularis : Viennae in Gallia (*Vienne sur le Rhône*) ostenditur monumentum, quo sepultus dicitur Pilatus ; alii vero dicunt ipsum se praecipitem dedisse e *monte Pilati* prope Lucernam. Utut judicandum sit de istis vulgi conjecturis, hoc saltem, quod autumarunt s. Aug. *Serm.* 3 de Epiph. (apud Migne *Serm.* 201) et Tert. *Apol.* 21, nempe Pilatum factum esse christianum, omnino rejiciendum esse censemus.

Atque haec quidem de culpa et poena Pilati : sed Judaeis quid in scelere isto sit adscribendum, et quaenam sors eis merito fuerit immissa, deinceps explicandum erit.

E. Sanguis ejus super nos et super filios nostros.

Q. 818. 1° Quinam, et in quibus rerum adjunctis, clamarunt : *Sanguis ejus super nos et super filios nostros ?* 2° Quomodo isti voti exsecrabilis compotes facti sunt, atque ideo 3° usque in hodiernum diem miserrimam suam sortem lamentantur ?

Resp. ad 1^m. Quamquam, ut diximus, magnum fuit Pilati, injusti ignavique judicis, crimen ; Judaei tamen longe nequiores erant, atque horrendam imprecationem merito sibi acclamarunt omnes

(1) Liceat obiter notare : le *Pilate de la Papauté* a subi la honte de Sédan où une armée de 100,000 hommes s'est rendue à l'ennemi (inauditum a seculo), et après cela il est allé mourir tristement en exil : son fils unique a été massacré par les Zoulous peu d'années plus tard. **Et nunc, reges, intelligite !**

M. v. **25** cit. supra p. 1044. Pilati enim verbis *Innocens ego sum a sanguine justi hujus, vos videritis*, respondit *universus populus* : **Sanguis ejus super nos et super filios nostros !** Ergo, sibi efflagitant illud ipsum quod Christus eis minatus fuerat M. 23, 35 *Ut veniat super vos omnis sanguis justus... Amen dico vobis : Venient haec omnia super generationem istam.* Apud Hebraeos *sanguis super aliquem* esse aut venire dicebatur, cum culpa caedis ei pleno jure imputabatur : Lev. 20, 9 ; Jos. 2, 19 ; 2 Reg. 1, 16 ; Jer. 51, 35 ; M. 23, 35 ; Act. 18, 6.

Dialogus terribilis. Hoc *responderunt*, inquit Matth.: cujus quidem *responsi* vis ut melius pleniusque intelligatur, mente suppleatur sermo alternus, qui Pilatum inter et Judaeos tacite atque implicite habitus fuit.

Ego, inquit ille, culpa vacuus sum :

Nos, aiunt, in nos transferimus culpam.

Ego timeo poenam caedis injustae :

Nos poenam suscipimus luendam.

Ego non video scelus excusari posse :

Nos vidimus et attente rem consideravimus ; *nobis* imputetur et culpa et poena, *nobis filiisque nostris !*

En **prima** jam fertur magnae istius causae **sententia !** Antequam Dominus mortis damnetur, supplicium contra Judaeos decernitur, et quidem ipsorummet ore : *Sanguis ejus super nos, et super filios nostros !* Votum istud, et temerarium et impium, tanto editum clamore, per totam resonat civitatem, in Templo strepit, ascendit usque ad solium Altissimi, tamquam **vox sanguinis** *quae clamat de terra ad Deum*, ut de Caino fratricida legimus Gen. 4, 10. At vero Deus, Vindex vindicum, eam audit, ac petitioni isti cruentissimae mox annuet plenissime ! « Obtinuerunt iniqui, ait « s. Leo *De Pass.* 8, in damnationem suam quod pertinaciter « exigebant. »

Judaei voti sui execrabilis compotes facti.

R. ad 2m. Et re quidem vera, novimus, tum ex historia temporis praeteriti, quum ex nostrae aetatis experientia, votum effectu comprobatum fuisse, et terribilissimo plane modo : imprimis per cladem Jerosolymitanam, Tito duce Judaeis illatam, qua gravior post hominum memoriam in terris non accidit umquam (cf. supra ad M. 24, 21) ; deinde etiam per miserrimam illam conditionem, ad quam

tota gens divinitus damnata fuit ; quum patria et regno, Templo et altari, cultu solemni et Pontifice orbati, Judaei sint dispersi et errantes per universum mundum, instar Caini fratricidae *maledicti super terram, quae aperuit os suum et suscepit sanguinem fratris* eorum *de manu* ipsorum (Gen. 4, 11 sq.). Imo vero *vagi et profugi in terra* manebunt usque ad finem seculorum ; etenim signum seu *stigma* opprobrii sempiterni, quo Deus eos sicut Cainum notasse videtur, fronti eorum inustum perpetuo conspicietur, ut omnibus habeantur res plena horroris atque execrationis !

Haec nimirum sententia est s. Aug., qui (ed. M. t. V, p. 1032) notat singularem eorum sortem esse, quum **stigma Caini ipsis inustum** videatur, ut non occidantur, utque per omnia seculorum spatia testes sint, etsi inviti et inscii, fidei christianae.

Merito igitur Judaei, nostris adhuc temporibus, miseram suam amare deflent sortem, atque in ipsamet urbe Hierosolyma publice lamentantur, solemni quodam ritu, quem hic describere haud inopportunum videtur.

Quomodo Judaei nunc lamententur.

R. ad. 3m. Hodiedum Judaei, singulis feriis VI, hora circiter quarta post meridiem, adeoque eodem hebdomadis die et eodem fere diei tempore, quo, secundum exsecrabile votum *Sanguis ejus super nos et super filios nostros*, ultimae sanguinis Christi guttulae super caput eorum scelestum quasi stillarunt, frequentes accedunt ad partem quamdam muri antiquissimi, ubi vestigia manent Templi Salomonici (*sur le côté S. O. de l'enceinte actuelle du Haram-esch-Chérif, près de la mosquée des Morharby*), ut gemant et lamententur, ut orent et lacrymas fundant, utque lapides vetustos pie osculentur, in memoriam calamitatum, quas post templum urbemque eversa ab 18 seculis patiuntur.

Ipsorum autem voces flebiles respondere videntur feris istis clamoribus, quos contra Messiam ad ipsos missum protulerunt, cum horrendam illam imprecationem *Sanguis ejus super nos et super filios nostros !* sibi exoptarunt.

Quod quidem ut melius intelligatur, juvat exopere F. Liévin *Guide de la Terre Se*, 2e éd., 1876, istorum preces, quales nostra fiunt aetate, exscribere.

Prières que les Juifs récitent ou chantent en chœur devant le Mur des pleurs.

Le Rabbin. A cause du palais qui est dévasté ;
Le peuple. Nous sommes assis solitairement et nous pleurons.
Le Rabbin. A cause du temple qui est détruit ;
Le peuple. Nous sommes assis etc.
Le Rabbin. A cause des murs qui sont abattus ;
Le peuple. Nous sommes assis etc.
Le Rabbin. A cause de notre majesté qui est passée ;
Le peuple. Nous sommes assis etc.
Le Rabbin. A cause de nos grands hommes qui ont péri ;
Le peuple. Nous sommes assis etc.

LE RABBIN. A cause des pierres précieuses qui sont brûlées ;
LE PEUPLE. Nous sommes assis etc.
LE RABBIN. A cause de nos prêtres qui ont trébuché ;
LE PEUPLE. Nous sommes assis etc.
LE RABBIN. A cause de nos rois qui les ont méprisés ;
LE PEUPLE. Nous sommes assis etc.

Quam vera sint s. Hieronymi verba ! Itaque, verissime dicimus et nos quod olim jam s. Hier. : « Perseverat, ait, usque in praesentem diem haec impre-« catio super Judaeos, et sanguis Domini non aufertur ab eis. Unde per Isaiam « loquitur : *Si levaveritis ad me manus, non exaudiam vos : manus enim vestrae plenae sunt « sanguine.* Optimam [ironice] hereditatem Judaei filiis relinquunt, dicentes : *Sanguis « ejus super nos et super filios nostros !* »

Sanguis Christi salvat. Attamen in bonam partem *sanguis* Christi, quo scelera expiantur omnia, aliquando *veniet super eos*, ut eos salvet et ad fidem convertat, nempe cum mundus jamjam periturus est : cf. ann. nostr. in M. 23, 39.

Sed alteram damnationis sententiam, eam videlicet qua Jesus morti crucis addictus fuit, audire properamus.

F. Denique fertur sententia.

Textum Evangelicum vide supra, post q. 812.

Q. 819. 1° Quis demum sententiam capitis in Jesum pronuntiavit ? 2° Quomodo Judaei, qui **crucem** voluerunt, poenam talionis subierunt ?

R. ad 1m Tunc tandem Pilatus sententiam dicit, et « Iisdem « labiis Jesum mittit ad crucem, quibus eum pronuntiaverat inno-« centem (s. Leo, *De Pass.* 3) ». Id autem non admittit Lact. *Inst.* 4, 8 : « Nec tamen (Pontius) ipse sententiam protulit, sed tradidit « eum Judaeis, ut ipsi de illo secundum legem suam judicarent » ; nec s. Chrys. *Orat.* 2 *de eleem.* : « Ipse quidem suffragium non tulit, « sed cessit. Ipsi vero, propria utentes dominatione, omne dein « effecerunt ». Sed huic **opinioni** prorsus **singulari** repugnat tum narrationis series, quum ipsamet vaticinatio Christi M. 20, 19. Contrarium etiam censent s. Ignat., s. Aug. *in Ps.* 63, et *in J.*, s. Ambr. *in L.* l. 10, 101 etc. Pariter Tac. *Ann.* 15, 44 : « Auctor « nominis ejus Christus, qui, Tiberio imperitante, per Procurato-« rem Pontium Pilatum supplicio affectus erat. »

R. ad 2m. Pilatus igitur sententiam capitis in Jesum decernit, atque ita **eum tradit voluntati eorum,** L. Quanta vis in hac una voce ! Fiet quod ipsi *voluerunt ;* satiabitur eorum libido, infensissimum odium explebitur ; Jesus eorum furori seu potius frendenti

rabiei permittetur ! **Crucem** voluerunt, non justam judicis sententiam : reus ergo ibit ad **crucem.** Sed ecce *vos*, o miseri Judaei, **vos pariter exspectat crux,** crux Romana ; *vos filiosque vestros* manet. Tot autem vobis a militibus duce Tito erigentur justi supplicii patibula, ut, secundum ipsissima Flavii Josephi, historici vestri, verba (*B. J.* 5, 11, 1), *locus crucibus sit defuturus, et corporibus cruces !* Jam ante haec Varo prope duo millia Judaeorum *cruci* suffixit (Jos. *B. J.* 2, 5, 2), et Florus multos etiam *nobilium* verberibus laniatos sustulit in *crucem* (Jos. *B. J.* 2, 14, 9).

Nota. Pro repetitione quadam eorum quae de tribunali Pilati dicta sunt, seq. adjicimus quaest., in eum finem ut, eas solventes, rerum notitiam altius menti imprimamus.

***Q. 820.** Quoties, et in quibus rerum adjunctis, Pilatus coram Judaeis innocentiam Jesu aperte declaravit? — Resp. **Sexties** declaravit : vide supra p. 987, 1008, 1016, 1034, 1035 et 1049.

***Q. 821.** 1° Quoties, et qua occasione, turba coram tribunali Pilati clamavit Jesum cruci affigendum esse ? 2° Quid ultimum contra Jesum coram Pilato vociferata est ? (Resp. *Sanguis ejus* etc.). 3° An proprio motu Jesu necem petiit ? (Resp. Non, sed excitata per Synedristas).

***Q. 822.** Quomodo vocabatur locus in quo erectum erat tribunal Pilati, nomen explicando ? — Vide q. 813.

***Q. 823.** Secundum s. Joannem Jesus condemnatus fuit in *parasceve Paschae* : quomodo hoc intelligi debet ? Da duplicem sententiam. — Vide q. 813.

***Q. 824.** Quaenam poena divinitus immissa fuit 1° Pilato, 2° Herodi Antipae (qui Jesum irrisit), 3° Judaeis, propter scelera eorum contra Christum commissa ? — R. De Pilato vide q. 817. De Herode vide ante q. 787 ; de aliis cf. q. 818.

Hactenus de iis quae ad 3^m^ Dominicae Passionis partem spectant, quaeque tribunal Pilati variosque judicii actus menti nostrae exhibuerunt. Manet jam ut in ultima parte oculos ad Golgotha convertamus, seu potius ad crucem Jesu animo accedamus, ibique sistamus pia defixi meditatione.

QUARTA PASSIONIS PARS;

SEU 4ª SACRI DRAMATIS ACTUS.

SENTENTIA CAPITALIS PERFICITUR.

27, 31b-50.

Per crucem
ad lucem.

Jam ad ultimum tragoediae ventum est actum : nodus solutus fuit per sententiam judicis damnatoriam ; superest ut rei exitum (*le dénouement sanglant du drame*) describamus.

Divisio. **Tres scenae** coram oculis nostris ex ordine succedent : in 1ª ea quae supplicium proxime praecesserunt, illudque quasi praeparaverunt, in 2ª ipsum crucis tormentum, et tandem in 3ª obitum Jesu ejusque adjuncta, seu varia facta quae eum comitata sunt, videbimus ac pie contemplabimur.

SCENA I.

De iis quae crucis supplicium proxime praecesserunt :

A SENTENTIA PILATI USQUE AD INITIUM SUPPLICII.

27, 31b-34.

Duo sint rerum capita : 1m Servator crucem ferens in locum supplicii progreditur (**via dolorosa**) ; annectitur historia Simonis Cyrenaei, atque occursus mulierum plangentium. 2m Jesus, statim ut in Golgotha pervenit, vinum sibi oblatum primis labris degustat.

DUAE PRAEMITTUNTUR ANNOTATIONES.

Q. 825. *Quaenam praedictiones* de cruciatibus et obitu Redemptoris *manent* adhuc *opere confirmandae ?* Jam accuratissime eventu comprobata sunt quinque ex septem illis factis, quae Christus de suis doloribus et morte vaticinatus est M. 20, 18, 19. Duo hactenus reliqua sunt, occisio ejus et reditus ad vitam. De his nunc disserendum, et imprimis de extremo supplicio.

Q. 826. *Supplicia statim post condemnationem inferebantur.*

Apud Romanos, quemadmodum et apud Judaeos, consuetudinem fuisse ut supplicia statim post condemnationem, vel saltem eodem die, perficerentur, demonstrat *Friedlieb, *Archäol. des Leidens* etc.

Objicitur quidem, 10 annis antea, suadente Tiberio factum esse Senatus consultum, ut poena in decimum diem differretur : Tac. *Ann.* 3, 51 ; Dio, 57 ; Suet. in *Tib.* 75 ; Sen. *De tranq. an.* 14. Sed hoc tantum observandum fuit, cum quis a Senatu aut principe, ordine judiciorum servato, damnatus esset ; non autem spectabat ad seditiosos latronesque, quos interest statim et extra ordinem (sine appellatione) puniri : id enim novimus ex Ulp. *Si quis* 6 § *quid tandem* 9 ; et ex Modest. in l. *Constitut.* 16 *de appellat.*

Quod porro ad Judaeos attinet, verum quidem est in Talm. *Sanh.* 6, 1 ; et ap. Maimon. *tr. de Synedr.* 13 dici supplicium non statim inferri posse : sed opiner ego haec serius statuta fuisse, quum in Scriptura contrarium saepe reperiatur. Si tamen Christi temporibus talis exstiterit lex, eam aperte infregerunt Judaei, sicut multas alias Talmudis praescriptiones in causa Jesu turpiter contempserunt, ut superius ostendimus (ubi de judicio Jesu coram Caipha disputavimus).

Antequam binas hujus scenae 1^ae^ partes exponamus, utile erit quaestionem quamdam inserere generalem, quae quidem haud parum conferet ad hoc ut factorum seriem, rite connexam et ordine dispositam, memoriae imprimamus.

Factorum series.

***Q. 827.** Omnia et singula facta, quae in Evang. narrantur, ab eo momento quo Jesus ad supplicium eductus fuit, usquedum extremum reddidit spiritum, ordine temporis enumera.

R. Jesus, cruce onustus, incedit ad Calvariam : historia Simonis Cyrenaei. — Mulieres plangentes, L. — Vino gustato, clavis affigitur cruci, dum ait interea : *Pater dimitte eis* (1^m^ verbum in cruce, L.). — Titulus crucis. — Sors super vestes. — Convicia et irrisiones contra Jesum. — Latrones (2^m^ verbum in cruce, ad bonum latronem). — Jesus matrem Joanni commendat (3^m^ verbum). — Tenebrae ; *Eli, Eli* etc. (4^m^ verb.). — *Sitio* (5^m^ verbum) ; acetum seu alter potus. — *Consummatum est* (6^m^ verb.). — *Pater, in manus* etc. (7^m^ verb), et mors Jesu.

Jam singula haec rerum capita ex ordine et quam plenissime pertractare oportet.

P. I. ITER JESU A PRAETORIO AD GOLGOTHA.

Ut via et ratione procedamus, sequentia distinguemus facta : 1° Jesus ad supplicium educitur ; 2° Simon Cyrenaeus cogitur ad crucem ejus ferendam ; 3° Jesus mulieres plangentes alloquitur ; 4° tandem in locum supplicii pervenit.

1° Jesus cruce onustus ad supplicium ducitur.

Praeced. vide ante q. 794bis.

M. 27, 31. Et postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamyde, et induerunt eum vestimentis ejus, et duxerunt eum ut crucifigerent. 32 Exeuntes autem etc. *Post q. 830.*

Praeced. ante q. 794bis.

Mc. 15, 20. Et postquam illuserunt ei, exuerunt illum purpura, et induerunt eum vestimentis suis: et educunt illum ut crucifigerent eum. 21 Et angariaverunt etc. *Post q. 830.*

Praeced. post q. 812.

L. 23, 26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem etc. *p. 1062.*

27 Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum quae plangebant etc. *Post q. 835.*

32 Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo, uti nterficerentur. 33 Et postquam venerunt in locum etc. *Post q. 840.*

Praeced. post q. 812.

J. 19, 19... Susceperunt autem Jesum, et eduxerunt. 17 Et bajulans sibi crucem, exivit in eum qui dicitur Calvariae locum etc. *Post q. 840.*

Dicemus primum A/ de iis qui Jesum ad supplicii locum eduxerunt, deque universo comitatu; deinde B/ de Jesu crucem portante, et tandem C/ inquiremus quare extra urbem supplicium factum fuerit.

Q. 828. Describe universum comitatum Jesu exeuntis ad supplicium.

A. Ministri supplicii, et comitatus Jesu exeuntis ad supplicium.

Milites Romani, quibus injunctum erat ut poenam capitis sontibus inferrent, Jesum chlamyde seu pallio purpureo exuunt, atque eum vestimentis ejus, i. e. verisimiliter, veste superiore seu pallio, induunt. Concionatoribus sacris, qui, in describendis Christi cruciatibus, hic loquuntur de novo dolore ex detractis vestibus vulneribusque refricatis illato, minime assentiri possum (contra Danko). Corona autem spinea probabiliter ablata non fuit, adeoque cum ea ductus fuit ad patibulum, et cum ea cruci affixus

(q. 855) : certe relicta fuit in capite ejus, quoniam ob regnum affectatum damnatus fuerat, sicut testabatur etiam titulus crucis.

S. Joannes quidem dicere videtur **Judaeos** supplicii ministros fuisse : *Susceperunt* (Judaei), ait, *Jesum et eduxerunt... et crucifixerunt.* Attamen certum est, ut ex Synopticis constat, et ex ipso etiam J. (v. 23 *milites, cum crucifixissent eum*) confirmatur, **Romanos** crudeli operae praepositos fuisse (1).

Plerumque *lictores* talia perficiebant negotia : quando vero lictores non aderant (Pilatus autem jus non habebat lictores fasciis armatos secum ducendi), tunc **milites** eorum vices supplere debebant. Et haec quidem una est ex rationibus propter quas Tert. *De cor. mil.* 11 christianos a militia dehortabatur : « Et vincula, ait, et carcerem, et tormenta, et supplicia administrabit (si fiat miles). » Cf. Jos. *Ant.* 19, 1, 6, ubi Chaereas quidam de ignominia istius ministerii queritur.

Quatuor autem **milites** (custodia solita, Act. 12, 4) pro more immani isto officio defuncti sunt (cf. infra, q. 864), sub imperio alicujus praefecti militaris : carnificibus enim praeesse solebat **centurio** seu **tribunus** (quem equo insedisse pictoribus facile concedere possumus) : de illo mentio fit M. 27, 54 ; Mc. 15, 39 ; L. 23, 47. Cf. Tac. *Ann.* 3, 14 *Exactor mortis ;* et Seneca *De ira* 1, 16 *Centurio supplicio praefectus.* Chiliarchus autem ille, qui in hortum Gethsemane venerat J. 18, 12, adfuisse non videtur : ipse certe mansit in praesidio arcis Antoniae : cf. Act. 22, 24, 26.

Simul cum Jesu ad idem supplicium ducebantur **duo latrones** (de quibus vide infra, q. 861). Sunt qui putent singulis latronibus etiam datam fuisse custodiam similem, quatuor nempe milites cum praefecto quodam, per quos ipsi cruci afficiendi essent.

Praeter milites, supplicii ministros, cruciarios certe comitati sunt et **alii milites,** qui providerent, ut omnia quiete et ordine fierent, quique plebem, ubi opus erat, cohiberent : tales reipsa adfuisse innuunt M. et Mc., cum dicunt Jesum ad Golgotha ductum fuisse a militibus istis qui eum in praetorio illuserant.

---

(1) Ideo **pictores** (v. gr. Titien in praeclara tabula, de qua loquitur Rio *De l'art chrét.*, t. 4, ch. 25, qui funem collo Servatoris alligatum in manu *Judaei* cujusdam ignobilis ponunt, **non approbem.** Hac usus opportunitate quaerere velim numquid merito faciant qui milites pingunt semi-nudos : nonne melius esset sequi descriptionem militis Romani, quam ex Eph. 6, 14-17 (cf. Comm. nostr 6a ed.) colligimus ?

Nullum porro dubium quin multi ex Judaeorum proceribus et **Synedrii judicibus** socios se adjunxerint, quod per se patet, quodque ex modo loquendi J. *susceperunt* Judaei *Jesum et eduxerunt* etc. colligere in promptu est.

Tandem *sequebatur* **multa turba populi** L. 23, 27, ut mos est in tali casu ; imo solito frequentior, tum quia de Jesu res agebatur, tum quia die festo Paschatis innumeri in urbem confluebant Judaei. In illa autem turba magna erant quaedam **mulieres Jerosolymitanae**, verae miserationis affectu commotae : ait enim L. *Multa turba populi et mulierum qua plangebant et lamentabantur eum.* Erant **Jerosolymitanae,** siquidem Jesus eas alloquitur, dicens *Filiae Jerusalem.* Deinde, aderant probabiliter **mulieres** istae **piae**, quae Jesum secutae fuerant a Galilaea, ministrantes ei, quippe quas postmodum in Golgotha praesentes visuri simus.

Ad Golgotha progrediuntur omnes isti, agmine longissimo ac lugubri : ad frontem incedunt damnati, suo singuli patibulo onusti, pro more illius aetatis, ut nunc dicemus.

B. Jesus suam ipsemet crucem fert.

Quaest. 829.

Consuetudo erat ut damnati lignum infame ipsimet ad supplicii locum gestarent : Plut. *De sera Num. vind.*: « Suam, ait, quaeque « portant vitia poenam, quemadmodum suam cruciarii crucem. » Et Plaut. *Carbon.*: « Patibulum (1) ferat per urbem, deinde affigatur « cruci. » Hinc fortasse vox *furcifer* (vide testim. ap. J. Lips. *De cruce* 2, 5). Hoc autem ad majorem ignominiam praescriptum erat. Crucem igitur, ex ligno obvio cito et infabre factam, proferunt, eam humeris Redemptoris nostri imponunt, funibusque, ut moris erat, corpori alligant.

Lignum sacrificii, triumphi signum. Itaque Jesus, postquam certe crucem amplexus et osculatus fuerat, *lignum* sacrificii sui ipsemet portavit, sicut olim innocens Isaac, Gen. 22, 6. Illud autem laeto excelsoque animo accepit et detulit : « Tamquam

(1) Per *patibulum* quod hic distinguitur a *cruce*, Plautus intelligit furcam, quae collum sontis includebat, et cujus duabus extremitatibus alligatae erant manus sontis. Nota tamen ex J. 19, 17 coll. 25 et 31 certum esse ipsummet *crucis lignum* a Jesu portatum fuisse.

« triumphi sui tropaeum, tamquam signum salutis quod adorandum « regnis omnibus inferebat (s. Leo, *De Pass.* serm. 8, 4). » Atque ita effectu comprobatum est (teste s. Leone ib.) illud Isaiae 2, 6 *Cujus imperium* (alias *principatus*) *super humerum ejus.* Ecce igitur

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium,
Qua vita mortem perferet,
Et morte vitam proferet.

Titulus autem crucis (de quo infra, q. 863), secundum quorumdam sententiam, a milite portabatur ante Jesum, vel hujus collo appensus erat. Illud quidem fieri solebat, sed dubium est utrum in hoc casu factum fuerit, quum Synedristae nonnisi tardius inscriptionem illam cognovisse videantur.

C. Extra urbem plectitur Servator.

Q. 830. Quare extra urbem crucifixus fuit Jesus ?

Educunt eum *extra portam* (Hebr. 13, 12) (1), in locum *prope urbem* J. 19, 20 : quod quidem Judaeorum consuetudini admodum congruebat. Etenim apud eos extra castra, cum essent in terra deserta, et postea extra portas civitatum, fieri debebat supplicium capitale, ut diserte praescribitur Lev. 24, 14 *Educ blasphemum extra castra..., et lapidet eum populus universus ;* quod et factum fuit de homine qui sabbatum violaverat, colligendo ligna, Num. 15, 35 et 36 ; pariter Naboth, blasphmiae falso accusatus, extra civitatem lapidatus est, 3 Reg. 21, 13 ; etiam s. Stephanus Act. 7, 57.

Extra urbes quoque sontes morte mulctabant Romani (*post*

---

(1) Quaenam fuerit porta ista, per quam Jesus extra Urbis moenia ductus est, fateor me statuere non posse. Solet indicari **Porta Judicialis** (Mislin, de Buck) : sed porta, quae hoc nomine designatur in Vulgata 2 Esd. 3, 30 (et alibi in Scriptura de ea mentionem non inveni ullam), quaeque in hebraeo vocatur Porta הַמִּפְקָד *Mipqad* i. e. forte Porta *Praecepti*, videtur intra moenia colocanda (nam muri dicuntur exstrui *contra* illam portam, *vis-à-vis*), ut admittit etiam Danko, *H. brev. V. T.* p. LXXIV ; imo vero, forsitan porta erat quae ducebat in מִפְקַד הַבַּיִת *Mipqad habbaijth* de quo Ez. 43, 21, ubi immolandus erat taurus pro peccatis oblatus, ergo extra templum sed prope illud.

Fiat lux ! Video hac in re difficultatem, quae quaestionem de situ Golgothae attingit, quamque viris in Archaeologia Biblica versatissimis solvendam relinquo. Cf. quae dicam q. 1194 de authentia s. Sepulcri. Ceterum, recte monet Fouard urbem penitus dirutam fuisse a Romanis, a Persis et a Mohamedanis, ideoque difficile esse in urbe hodierna certo determinare situm locorum, saltem in partibus minutis : hoc ultimum addo quia de situ generali satis constat.

urbem, Cic. *Verr.* V, 66; *extra portam,* Plaut. *Mil. Glor.* II, 4, 6 ; Tac. *Ann.* 2, 32), sed juxta aliquam plateam quam frequens adire solebat populus (*Winer, *Rwb.* voc. *Kreuzigung*), ut testatur Quint. *Decl.* 275 his verbis : « Quoties noxios crucifigimus, celeberrimae eliguntur viae, ubi plurimi intueri, plurimi commoveri hoc metu possint. » In loco publico fiebat supplicium, ut Romae in Campo Martio (Cic. *Pro Rabirio*), vel etiam in loco separato ad hoc supplicium destinato (Tac., *Ann.* XV, 60 *raptus in locum servilibus poenis sepositum,* quod erat prope Urbem) : hic vero locus interdum erat collis quidam (Val. Max. VI, c. ult.), procul spectantibus conspicuus.

Igitur, educunt Jesum ex urbe, **sicut Cain** fratrem Abelem **foras in agrum** attraxit Gen. 4, 8, ut ex invidia eum occideret ; eum perducunt, seu potius protrudunt ad locum moeniis vicinum, qui dicebatur *Golgotha* (de quo infra, ad M. 27, 33).

In eo autem quod Jesus extra portam passus sit, latet, secundum Hebr. 13, 13, **significatio mystica,** e Judaismo egrediendum et ad Christum ejusque religionem accedendum esse. Cf. *Comm.* nostr. *in Epist. Paul.*, 6ª ed., Brugis, 1899.

2° Simon Cyrenaeus crucem ferre cogitur.

Praeced. vide ante q. 828.

M. 27, 32. Exeuntes autem invenerunt hominem Cyrenaeum, nomine Simonem : hunc angariaverunt ut tolleret crucem ejus. 33 Et venerunt in locum etc. *Post q. 840.*

Praeced. ante q. 828.

Mc. 15, 21. Et angariaverunt praetereuntem quempiam, Simonem Cyrenaeum venientem de villa, patrem Alexandri et Rufi, ut tolleret crucem ejus. 22 Et perducunt illum in Golgotha etc. *Post q. 840.*

Praeced post q. 812.

L. 23, 26. Et cum ducerent eum, apprehenderunt Simonem quemdam Cyrenensem, venientem de villa : et imposuerunt illi crucem portare post Jesum. 27 Sequebatur autem illum etc. *p. 1058.*

Educitur ergo Jesus : *exeamus* et nos cum illo, *improperium ejus portantes* Hebr. 13, 13, cum ipso patientes et miserationis affectu eum comitantes : in hunc finem, quaecumque ei in itinere illo acerbissimo evenerint attente conspiciamus.

Dum autemSal vator, longa inedia et cruciatu multo debilitatus, lento incedit gradu, aestuans labore et sudore, absque dubio interdum verberatur et stimulo pungitur, ut fieri solebat (Plaut. *Mostell.* I, 1, 52 : In te forabunt patibulatum per vias stimulis). Mox

deficiunt vires ejus, quippe quae antea jam flagellorum plagis exhaustae fuissent; atque adeo, oneri crucis ferendo impar, secundum antiquam traditionem cadit in terram. Sed certe milites, nulla commoti miseratione, eum dure excitant (quod fieri solet in simili casu), atque ad iter impellunt.

Paulo post, ut pie creditur (et sicut habetur in stationibus s. Viae Crucis), **matri obviam venit** : hoc quidem in Scriptura non legitur, sed verisimiliter conjici potest. Non tamen admittimus, cum Quar. *T. S. eluc.* aliisque, B. Mariam ad conspectum filii sui exanimem in terram corruisse ; quamobrem opinamur nomen, quod loco istius stationis, in urbe Jerusalem impositum fuit *Il spasmo della Madonna*, haud rectum accuratumque esse (videsis infra, q. 1183).

Deinde milites, quum videant ipsum pondere ligni oppressum perpetuo vacillantem, hominem quemdam extraneum, utpote *Cyrenaeum*, nomine **Simonem**, *patrem Alexandri et Rufi* (1), qui praeteribat veniens de *agro* seu *villa* (2), *angariant* (de hac voce vide not. M. 5, 41) ut crucem tollat (3) M. et Mc.: vel jure militari *(droit de corvée)* legitime agunt ; vel, ut fit, eo male abutuntur.

Q. 831. Sed petitur quo praecise loco Simon crucem susceperit.

Num intra moenia crux Simoni imposita fuerit.

Sunt qui contendant onus a Jesu ablatum fuisse, quando milites portam urbis (ad latus occidentale Hierosolymae, de qua porta cf. not. marg. q. 830) egressi fuerant : et re quidem vera, M. id innuit cum dicit : *Exeuntes autem* (ex urbe, Beelen), *invenerunt hominem Cyrenaeum* etc. Sed conclusio inde deducta certa non est, quum *exeuntes* possit sumi hoc sensu : dum exirent ut eum cruci affigerent, dum ducerent eum ad supplicium (εξερχομενοι, non εξελθοντες). Non

(1) **Simon ille e Cyrene** in Lybia, ubi multi erant Judaei (Strabo ap. Jos. *Ant.* 14, 7, 2 ; cf. etiam *B. J.* ult. cap.), adeo quidem ut inter Judaeos, qui in Pentecoste adessent Hierosolymis nominentur Cyrenenses (Act. 2, 10), iidemque ibi haberent synagogam (Act. 6, 9), probabiliter erat Judaeus : saltem nomen ejus Judaicum est. Filii ejus Alexander et Rufus initio Ecclesiae valde noti fuisse videntur, siquidem de eis mentionem facit s. Marcus, ut patrem melius designet. Sunt qui putent Rufum illum salutari Rom. 16, 13.

(2) Apud Mc. et L. απο αγρου : Vulgata *de villa* ; melius **de agro**, ubi, secundum quorumdam opinionem, laboraverat ; sed haec est conjectura prorsus gratuita, neque admittitur ab iis qui tenent diem festum Paschatis a Judaeis tunc celebratum fuisse.

(3) Animadverte maximam fuisse in patibulo ferendo ignominiam : milites isti, qui non erubescunt fieri carnifices, infame lignum portare minime volunt.

est igitur quod traditionem Hierosolymitanam, quae stationem 5^m Viae Crucis (de Simone Cyrenaeo) intra moenia collocat, falsam esse certo pronuntiemus. Eo autem loco collocatur ubi via incipit ascendere, ubi itaque crucem ferre nimis arduum fuit.

Q. 832. Opinio singularis Fouard.

Utcumque ista se habeant, milites Simoni *imponunt* (eum cogunt) *crucem portare*, et *Jesum* Mc. *perducunt*, αγουσιν, *in Golgotha* : vera lectio est φερουσιν, quod quidem verbum sensu proprio intelligit Fouard *Vie de J.*, 1880, sc. Jesum *portant* usque in supplicii locum, quasi Servator propter vires exhaustas jam incedere non valuisset. Certum est φερειν in Evangelio, ubi de personis dicitur, saepissime significare *portare*, *ferre*, brachiis vel lecto gestare et ita afferre : sed saepe etiam sign. *ducere,a dducere*. v. gr. apud ipsum Mc. 7, 32 *Adducunt* (φερουσιν) *ei surdum* ; pariter Mc. 8, 22 ; apud J. 21, 18 *Ducet* (οισει) *quo tu non vis*. Et hunc quidem sensum admittendum esse hic apud Mc., ut in Vulg. *perducunt illum in Golgotha*, non dubitem : idque satis innuunt alii Evangelistae, praesertim Joan. *Exivit* (Jesus) *in eum qui dicitur Calvariae locum*. Deinde, si Marcus exprimere voluisset Jesum brachiis militum portatum fuisse, quum res ista admodum sit extraordinaria, certe aliquid addidisset verbo φερουσιν, vel aliter locutus fuisset. Tandem notamus, interpretationem istam plane singularem esse, et nulla antiquorum sententia, quod sciam, fulciri.

Q. 833. Ulterius quaeritur utrum Simon, qui coactus fuit *crucem portare post Jesum*, eam solus portaverit humeris impositam, atque ita incesserit post Jesum. Hoc autem inter auctores haud leviter disputatur, ideoque controversiam illam dedita opera exponere decet.

Simon crucem solus portavit, non simul cum Jesu.

Ita Estius *in L.*, et Ben. XIV *De festis* 7, 62, quibus concinunt ss. Patres et plerique interpretes recentiores : hoc autem colligitur ex sensu obvio et naturali verborum apud M. et Mc. *ut tolleret crucem ejus* (*L. crucem portare post Jesum*, i. e. cruce onustus incedere praecedente Jesu). Idque, si nulla alia niteretur ratione, propter hoc jam admittendum esset, quod Simon Jesum parum sublevasset,

si partem crucis posteriorem tantum gestasset ipse, et si Salvator graviorem partem, sc. anteriorem cum ligno transverso, retinuisset. Pro nostra opinione sequentes ss. Patres citantur : Orig. *in M.*, ss. Hil., Hier. *in M.* 27, Aug. *De cons. Ev.* 3, 10, Cyr., et Athan. *Sermo de Cruce*, c. 20. Pariter s. Leo *De Pass.* s. 8, 5, cujus haec sunt verba : « Simon quidam inventus est, in quem lignum crucis « transferretur a Domino. » Ita etiam Theophyl. *in M.*, et s. Birgitta *Rev.* IV, 70 coll. I, 10.

Igitur, non eam simul cum Jesu ferebat, ut multi putant, et ut **pictores** factum illud effingere solent. In patrocinium hujus ultimae opinionis, quae admodum vulgaris est, citatur s. Ambr. *in* h. l. *Lucae :* sed immerito, ut mihi videtur : namque, si textus legendus sit uti habent edit. Bened., potius dicendum erit etiam Ambrosii sententiam esse, Simoni soli lignum impositum fuisse.

Objicitur quidem in illo casu Simonem ipsum supplicii reum habendum fuisse. Sed respondemus Jesum ut damnatum satis innotuisse, vel per titulum, qui, secundum nonnullorum opinionem, ante ipsum gestabatur ; vel potius, cum verisimile sit titulum tantum in Golgotha visum fuisse, per vincula quibus ligatus erat, quaeque duo milites certe manu stringebant.

Stationes s. Viae Crucis. Argumentum autem paulo firmius hauritur ex antiqua traditione circa *s. Viam Crucis* (cf. Adrichom., *Theatr. Terrae S.*), secundum quam Salvator, postquam Simon coactus fuerat eum adjuvare, adhuc semel et iterum sub pondere lapsus fuit. Ad illud tamen responderi posset : Simonem per quoddam itineris spatium funestum gessisse instrumentum, ac deinde Jesum illud rursum assumere debuisse ; quod quum denuo portaret, ipsum bis in terram procidisse.

Dicunt etiam typum Isaaci, ligna usque in locum sacrificii portantis, perfectiorem esse, si Jesus crucem nec momento deposuit. Verum, in figuris non omni ex parte requiri similitudinem quis ignorat ?

Stationes non mutandae. Utut haec sunt, Seppio, qui, in op. de vita Jesu, vult ut stationes s. *Viae Crucis* deinceps mutentur, assentiri nolim : veram enim plenamque certitudinem hac in re non habemus, atque ideo a communi Ecclesiae usu recedendum non est. Huic etiam, credo, adhaereant concionatores sacri, ne, dum

alius aliam sequitur sententiam, populus perturbetur atque offendatur.

Q. 834. Annotatio homilitica. Obiter animadvertamus, felicem certe praedicari posse Simonem illum, qui in cruce ferenda Jesu socius atque adjutor fuit; ipsumque figuram gessisse nostri omnium, quibus dictum est: *Qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus*, M. 10, 38. **Quatuor** igitur **viri,** ut notat Ludov. de Sax. *Vita Ch.*, dicuntur **crucem portasse** in via ad Calvariam: quorum primus, latro impoenitens in justam poenam, alter bonus latro in salutem, tertius autem Simon invitus et reluctans patibulum gestarunt; Christus tandem exemplar est eorum, qui, propter justitiam et pietatem in Deum, crucem molestiarum atque aerumnarum patienter tolerant ac sustinent.

Jesum inter ascensum ad Golgotha nonnihil levavit Simon iste, verum mulier quaedam sancta, si credendum sit piae traditioni, majus ei dulciusque attulit solatium: cujus quidem historiam perstringere delectat.

De Veronica.

Q. 835. 1° Quid censendum de Veronica ista quae vultum Jesu abstersisse fertur? 2° Quid vero de velo ejus Romae servato?

R. ad 1m. Haud diu postquam Simoni imposita fuerat crux Jesu, contigit (secundum ordinem in stationibus s. Viae Crucis servatum) factum quoddam, cujus nulla fit mentio in Evang., sed quod « pluribus argumentis et monumentis comprobatur a Bollandianis ad diem 4m Febr. », teste Ben. XIV, *De Can. SS.* 4, 2, 31, 14: adeo quidem ut de eo pauca dicenda videantur (1).

Mulier quaedam pia, cujus nomen ignoratur, quaeque postea vocata fuit *Veronica* (2), velo suo, puta linteo illo albo, quo mulieres caput involvebant, et quo utebantur tamquam sudario (quod hodiedum fit), faciem Salvatoris sanguine sudoreque perfusam et commaculatam detersit; et ecce sacratissimi vultus imago per miraculum velo mansit impressa, dum simul, ut facile credimus, haec eadem effigies cordi istius mulieris alte infixa fuit, et per totam vitam verissima vividissimaque perseveravit.

R. ad 2m. Velum illud Romae asservatur in Basilica s. Petri in Vaticano: cf.

---

(1) Merito tamen notat idem Ben. XIV l. c. Bollandianos in scriptis posterioribus, nempe t. 7 Maii, p. 356 (in vita s Ferdin. a Papebrochio scripta), ab ea, quam comprobare tentaverant, sententia recessisse.

(2) **An Veronica est nomen personae?** Secundum quorumdam conjecturam idem nomen est ac *Berenice* βερονικη, vel *Feronice*, Φερονικη (a φερω et νικην, victoriam refero), i. e. victrix. S. Greg. autem Turon. dicit nomen conflatum fuisse a voce latina *vera* et graeca εικων *imago* (ita etiam Tillem., et Papebroch. l. c.): ne tamen hujusmodi vocis graecae latinaeque conjunctio singularis atque incredibilis cuiquam videatur, notandum est vocem graecam factam esse latinam *icon*, eamque jam sec. I, v. gr. a Plinio, adhiberi. Olim *veronica* nomen erat imaginis, non mulieris: sic in ep. Pantal. (Urbani IV) cit. ap. Ben. XIV *De festis* 7, 64 ita habetur: « Propter « reverentiam illius quem repraesentat, recipiatis eam (imaginem quam ad te mitto) in sanctam « veronicam seu veram Ipsius (Jesu) imaginem et similitudinem. » Apud Gervas. Tilberiens. (circa a. 1210) de Veronica dicitur: « Est ergo Veronica pictura Domini vera. » Nomen s. Veronicae non habetur, ut merito notat Ben. XIV *De can. ss.* l. c., in Martyrologio Romano, a Baronio correcto.

infra q. 1200, 5°. Quamquam historia ipsa s. Veronicae valde dubia atque incerta nobis videtur, propter rationes a Ben. XIV *De Can. ss.* l. c. allatas; quamquam igitur parum roboris habent quae Guérin *Les pet. Boll. 3 Févr.* in confirmationem istius historiae (quod attinet ad factum mulieris piae faciem Jesu abstergentis, et miraculi in velo ejus peracti) fuse congessit : « certum tamen est, ut ait Ben. XIV *De Can.* l. c., **Sudarium** ipsum insignissimam esse Reliquiam, et multis abhinc seculis cultum in basilica Vaticana obtinuisse. » Traditio enim circa factum historicum, quo nititur cultus ille, etsi plenam strictamque certitudinem, qualis *scientia* historica jure suo expostulat nostra aetate, prae se ferre dicenda non sit, satis tamen fundata et veneratione digna est; imprimis propter antiquitatem cultus Sudario Romano exhibiti, deinde propter miraculorum copiam cultui illi concessam, et tandem propter Romanorum Pontificum approbationem eidem cultui saepius tributam, « ut jam in tuto sit quae Sancto Sudario debetur veneratio », teste Ben. XIV *De festis* l. c.

Probe animadvertendum **duas** esse **quaestiones plene distinctas,** quarum altera de **cultu** s. Sudarii Romani, altera vero de **authentia** istius Reliquiae ponitur. Calmet in diss. *De pulchritudine J. C.* authentiam non admittit, neque etiam Paquot in libro Molani, *Hist. s. imag.* 4, 2, quem legisse non taedebit ullum.

Sed aliud jam memorandum est muliebris miserationis testimonium, quod ipsa Evangelii narratione nititur.

3° Jesus mulieres alloquitur plangentes.

Praeced. vide post q. 830.

L. 23, 27. Sequebatur autem illum multa turba populi, et mulierum : quae plangebant, et lamentabantur eum. 28 Conversus autem ad illas Jesus, dixit : Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, et super filios vestros. 29 Quoniam ecce venient dies, in quibus dicent : Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quae non lactaverunt. 30 Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos : et collibus : Operite nos. 31 Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet ? 32 Ducebantur etc. *ante q. 828.*

Q. 836. Quid narrat Evangelium de quibusdam mulieribus, quae Jesum in locum Calvariae euntem sequebantur ? Quid Servator dixit eis, explicando ejus verba ?

Mulieres Jesu miseret. R. Lucas refert (et solus quidem) turbam multam populi secutam esse Jesum, inter quam, ut in suppliciorum spectaculis fieri solet, pars magna mulieres erant. Hae autem, non solum sequebantur, sed *plangebant et lamentabantur eum. Plangere :* ex vehementi dolore manibus pectus obtundere, brachia contorquere, gestibusque consuetis luctum significare. *Lamentari :*

magna voce clamare, gemitus edere et ploratus. Nota *eum :* ergo Jesum conspiciunt eumque plangunt, non *latrones ;* certe multa de eo audierant antea, et in praesenti patientiam mansuetudinemque ejus admirabantur. De cetero, affectus humanae miserationis et pietatis in mulieribus vehementiores atque ardentiores plerumque reperiri compertum est satis.

Poenae Judaicae genti immitendae.

Jesus autem conversus ad illas, dixit : *Filiae Jerusalem, nolite flere super me, sed super vos ipsas flete et super filios vestros*, i. e. non tam super me quam etc. ; *quoniam ecce venient* (vera lectio est ερχονται *veniunt* in praes., i. e. mox venient) *dies* (cladis Jerosolymitanae sub Tito), *in quibus dicent* (impersonaliter : gall. *l'on dira*, dicetur) : *Beatae steriles, et ventres qui non genuerunt, et ubera quæ non lactaverunt* : i. e. tantae erunt calamitates, ut felices habendae sint mulieres, quae praeter miserias sibi proprias tristissimam filiorum sortem deflere non debeant, i. e. mulieres quibus proles nullae sint. Igitur, tunc optandum erit id ipsum quod alias tamqam infortunium et dedecus ab omnibus habebatur. Sterilitatem enim, utpote irae divinae indicium, mulieribus Hebraeis opprobrio fuisse maximo, ex verbis Rachelis Gen. 30, 23, Phenennae ad Annam 1 Reg. 1, 6 et Elisabethae L. 1, 25, atque etiam ex Os. 9, 14 *Da eis vulvam sine liberis et ubera arentia*, affatim colligitur.

Tunc incipient dicere montibus : Cadite super nos, et collibus : Operite nos ! gall. *on se mettra à souhaiter que etc. :* tam **horrendae** erunt **calamitates,** ut homines mortem sibi, et velocissimam quidem, exoptaturi sint ; imo vero, in summas prolapsi angustias, atque in animi desperationem adducti, votum emittent ut sub montibus collibusque vivi sepeliantur, ne tantam videant cladem. Similis locutio occurrit Os. 10, 8 ; Is. 2, 19 ; Apoc. 6, 16. Hujusmodi voces solent fundere qui, summa quavis oppressi aerumna, desperantes ingemiscunt.

Lignum viride et aridum. Quia : rationem reddit praecedentium, quasi diceret : affirmo poenas adeo terribiles vobis inferendas esse, sc. a Romanis, quia, si Romani milites me innocentem tam aspere tractant ac pessime mulctant (*si in viridi* seu potius ὑγρῳ *humido ligno*, i. e. si in arbore, quae vivit et viret, *haec faciunt*),

multo crudelius saevient in vos, quippe quum futuri sitis viri seditiosi, tales qui per crimina vestra gravissimas vobis inducturi sitis poenas (*in arido quid fiet ?*) ; vel sensu quodam lato et generali, si ita mecum qui justus sum vir (1) agitur, quanto pejus fiet vobis, hominibus scelestis !

Q. 837. Inscriptio non accurata. Inter stationes s. Viae Crucis, octava, quae ad argumentum nostrum spectact, ita inscribitur: « Jesus **solatur** mulieres Jerosolymitanas. » Minus recte, ut mihi videtur, finis, quem Jesus in sermone ad mulieres persequebatur, indicatur : non *solatur* eas, sed terribilissimas *poenas* eis obventuras *denuntiat,* atque ideo potius eas **monet** gravissime, quasi ad poenitentiam agendam velit Judaeos excitare.

Dura Jesu verba non proprie cadebant in mulieres istas. Dicta quidem fuerunt ad illas, sed vere spectant ad Judaeos illos qui Servatori adversati fuerant, atque in nece ejus procuranda partem habuerant : eos imprimis respicit, eos monet et ad poenitentiam vocat, eisque minas et terrorem infert : isti merito intelliguntur per lignum *aridum*, in oppositione ligni *viridis*, quod erat ipse Jesus. Mulieres autem illae tali reprehensione haud dignae erant, saltem eo ipso momento quo, invitis certe multis, tam fortiter tamque generose miserationem erga Jesum prodebant : et hoc quidem, ut puto, fecerunt, non ex mera et consueta feminarum in tali casu humanitate et mollitie quadam animi, siquidem Jesum, *non latrones*, lamentabantur, sed ex sensu digniore et altiore.

Tria nota. 1° Jesus hic admiratione dignus. 2° Testatur suam innocentiam. 3° Ultimum nuntiat poenam Judaeorum.

Ad illa Jesu verba s. Leo *De Pass.* 10 exclamat : « Ubi « est tristitia crucifigendi ? Ubi formido morituri ? Non terret « passuri animum hora supplicii, et docens nullam pro se flendi « esse rationem, indicit poenitentiam, denuntiando vindictam. » Et merito quidem admiramur quomodo Jesus suimet ipsius obliviscatur, totusque sit sollicitus de misera gentis suae sorte. Verborum autem severitatem sono vocis certe mitigavit Servator, in gratiam mulierum istarum, humanitate pietateque insignium.

---

(1) Justus significatur sub figura *arboris viridis* (Ps. 1, 3 ; Jer. 17, 8), *arbor* autem *arida* est imago peccatoris : Ezech. 20, 47 *Comburam omne lignum viride et aridum*, i. e. virum *justum* et *impium*, ut liquet ex coll. 21, 3. *Lignum* pro *arbor* per hebraismum.

In memoriam revocamus Jesum cladem Judaeis inferendam. antea jam pluries praedixisse: cf. q. 605, 611, 559. Nunc **ultimum poenas** illas inimicis suis **minitatur,** quasi suprema et severa admonitione eos a scelere deterrere velit.

Q. 838. Ultima Jesu verba ad populum.

Notare juvat ultima illa verba, quae Jesus in vita mortali ad populum Judaicum tam perversum tamque ingratum direxit (loquebatur quidem mulieribus, sed populum universum respiciebat), fuisse severissimam comminationem, vera praedictione nixam, in qua latet seria et instans *monitio ad poenitentiam*.

Ergo cum Judaeis **valedicit in perpetuum,** ultimum eis relinquit sui amoris testimonium, nihil aliud intendens in minis quam ut eos ad resipiscentiam adducat eosque salvet.

En cor Jesu, incredibili flagrans amore, nulla hominum iniquitate devictum !

Occasione quaestionis praecedentis quaedam adjicimus magis generalia, quae nata sunt piam nostram movere curiositatem, quaeque simul dabunt schema **homiliae** vere Evangelicae.

Homilitica.

Ultima Jesu verba in variis circumstantiis.

Q. 838bis. Quodnam fuit ultimum vale Jesu 1° ad populum Judaeum, 2° ad Apostolos ? 3° Quaenam fuerunt ultima verba vitae ejus mortalis, et 4° ultima vitae ejus immortalis in terra ?

R. ad 1m. Triplex refertur vale ad populum : 1m et 2m *directe* populo seu turbae dictum, 3m vero *indirecte*. Nempe

1° *Secundum Matthaeum* 23, 39 ultimum vale ad populum valde triste et severum fuit, cum cladem terribilissimam ei praenuntiavit, addito tamen verbo solatii : cf. supra not. ad ill. 1.

2° *Juxta Joannem*, quando ultimum turbae locutus est, duo praedixit : mortem suam instare, et per eam mundum redimendum esse : cf. q. 603.

3° Vale *indirectum* habetur in verbis quae mulieribus plangentibus dixit, quaeque indirecte ad totam gentem referebantur: vide statim notata in q. 836 et seq.

R. ad 2m : cf. q. 986, 4°.

R. ad 3m : vide q. 894, 2°.

R. ad 4m. Ultima Jesu verba in terris prolata ea sunt quae immediate ante Ascensionem suam dixit, quando Apostolis valedixit ; igitur eadem de quibus hic in R. ad 2m.

***Q. 839.** Repetitionis causa. A quo, in quibus rerum adjunctis, et quo sensu dicta sunt verba: *Si in viridi* etc.? — Vide q. 836.

Quae in hac pericopa de mulieribus plangentibus dicta sunt, opportunam, ut nobis videtur, praebent occasionem ad interponendam quaest. quamdam generalem, eo certe utiliorem quod in respondendo universam rerum seriem mente percurrere oporteat.

***Q. 840.** De quibusnam mulieribus mentio fit in historia Christi patientis? Quid de eis narratur?

R. 1° De Maria matre Jesu, cf. q. 880. 2° De Maria Alphaei seu Cleophae, matre Jacobi Minoris et Joseph. 3° De Maria Magdalena. 4° De Salome, matre Jacobi Majoris et Joannis. 5° De Joanna, uxore Chusae. 6° Adhuc de *multis* aliis mulieribus, quae Jesum secutae erant a Galilaea, quaeque ministraverant ei. Hae omnes stabant haud procul a cruce, ut infra dicemus. 7° De mulieribus plangentibus, quae Jerosolymitanae erant: cf. q. 836. 8° De uxore Pilati q. 791. Possumus addere 9° vinum myrrhatum (de quo cf. q. 842), secundum quorumdam sententiam, Jesu oblatum fuisse a mulieribus etiam Jerosolymitanis (forte a nonnullis ex iis quae antea eum lamentabantur), quae misericordia motae illud sponte attulerant: talis enim erat mos apud Judaeos, ut constat ex *Gem. Babyl., Sanhedr.* VI, 1.

4° In locum supplicii pervenitur.

Praeced. vide post q. 830.

M. 27, 33. Et venerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod est Calvariae locus. 34 Et dederunt ei etc. *Ante q. 842.*

Praeced. post q. 830.

Mc. 15, 22 Et perducunt illum in Golgotha locum: quod est interpretatum Calvariae locus. 23 Et dabant ei bibere etc. *Ante q. 842.*

Praeced. ante q. 828.

L. 23, 33. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt etc. *Ante q. 843.*

Praeced. ante q. 828.

J. 19, 17... Exivit in eum, qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem Golgotha: 18 ubi etc. *Ante q. 843.*

Jesus, cum acerbissimam illam viam (1), quam cruore respersit et quasi dedicavit, absolvisset, in locum supplicii tandem pervenit.

---

(1) Totum iter a praetorio usque ad Golgotha circiter 1220 passuum erat, secundum aestimationem Allioli *Bibl. Alterthumskunde*, 2 vol. § 132; *Misl.* 1320 pass.; alii 1000 tantum (*Didon*); 500 vel 600 metrorum, secundum Rohault de Fleury *Mém. sur les instr. de la Passion*. Golgotha autem extra urbem, ad latus occidentale (proprie *au nord-ouest*), eo tempore situm erat. « Les stations de la « **Voie Douloureuse,** inquit auctor ultimum citatus, désignées aujourd'hui à Jérusalem, n'ont été « définitivement arrêtées qu'au Moyen-Age. Les seuls points fixes sont le Prétoire, qui était situé dans « la *tour* [citadelle] Antonia, le Calvaire et le Tombeau : tout le reste est conjectural. On peut cepen- « dant préciser les lieux à 100 mètres près. En tout cas les traditions à cet égard sont respectables, « comme l'avoue de Saulcy, *Voy. en Syrie.* »

Idem scriptor de **crucis pondere,** quod Jesus per partem istius itineris sustinuit, sequentes tradit notitias: *La croix avait 15 pieds (4m80) au montant, et 7 à 8 pieds (2m30 à 2m60) à la traverse. Elle était très-probablement de bois de pin, comme le prouve l'examen des reliques authentiques de la Croix : la conservation sous terre de la vraie croix pendant trois siècles n'est pas un motif pour le nier, car on a des exemples qui montrent que le bois de pin peut rester ainsi presque intact pendant longtemps.* (Attamen Gretser *De cruce*, 1, 5 contendit, certe per modum conjecturae, plures lignorum species adhibitas fuisse, v. gr. in stipite arrectario diversam quam in

Quem quidem locum, omnium qui in orbe terrarum exstant sanctissimum ac celeberrimum, paucis describere oportet.

*Q. 841. Golgotha.

Locus, in quem Jesus infelici onustus arbore pervenit, et ubi infame supplicium pro nostra salute subiit, erat extra urbem (cf. supra q. 830), sed urbi propinquus (εγγυς J. 19, 20[1]), juxta viam per quam populus transibat (M. 27, 39 ubi de *praetereuntibus* prope crucem Jesu). Certe illac transibant illi qui a latere isto (*Ouest ou N. O.*) ex urbe rus, vel rure (απ' αγρου, *de la campagne*, L. 23, 26) in urbem veniebant; adeo quidem ut locus iste esset prope aliquam portam in latere Hierosolymae occidentali (proprie *du côté N. O.*).

Locus autem ille, ut fert traditio, tantisper editus erat instar tumuli (1), et vocabatur *Golgotha*, quod secundum M., Mc., et J. significat *Calvariae locum*, i. e. angl. *place of a skull* (apud J. cum art. *the place of a skull*, melius germ. *Die Schädelstätte*: locus definitus, vulgo notus); seu potius, ut ait L., **Golgotha idem est ac Calvaria,** gr. Κρανιον (angl. *A skull*). Et re quidem vera, *Golgotha*, est nomen Aramaicum, גלגלתא *gulgaltha*, alias *Golgoltha*, hebr. גלגלת *Gulgoleth*, a radice גלל *galal*, volvit: hoc autem etymologice sign. *cranium* seu *calvariam*, germ. *Schädel* (a forma rotunda, quae facile *volvitur*).

Originem porro et causam istius **nominis** haud certo cognoscimus. Quidam dicunt nomen datum fuisse, quia locus erat decollatorum (s. Hier.), seu locus ubi supplicia capitalia id temporis fieri solebant (« Ut, ubi prius erat area damnatorum, ibi erigerentur vexilla martyrii » s. Hier.). Verum recentiores communiter negant certum ac proprium supplíciorum locum apud Judaeos exstitisse. Alii autumant locum illum calvarii smaleficorum ibi interfectorum refertum fuisse: sed obstat lex Judaica, quae jubebat cadavera sepelire; dein improbabile est eo loco, quo frequens erat via, ossa vel crania mortuorum jacuisse, cum transeuntes immunditiam contrahere potuissent, ad quam vitandam semper multa cura adhibebatur; cf. M. 23, 27. Praeterea, graece scribendum fuisset τοπος κρανιων, non κρανιον ut habent M., Mc. et J., adhuc minus « Κρανιον » ut apud L.

Quare potius dicendum est (cum s. Cyr. Jer. aiunt Bisp. et Fill., sed immerito, teste Knab.) ex forma parvi collis seu tumuli rotunda, capiti humano simili, appellationem ortam esse; vel forte ex eo quod locus ille paulo excelsior non solum rotundus esset, sed rupes dura, nuda et sterilis, instar calvariae glabrae (gall. *un roc nu perçant la terre et s'élevant comme un crâne ou tête de mort au-dessus du sol*). Negat tamen s. Epiph. *Haer.* 46,5 ullam formae similitudinem exstitisse cum

---

transverso; pariter in titulo aliam quam in cruce). *Elle pouvait peser 100 kilogr.; donc la charge pour N. S. aura été environ de 75 k., eu égard à la diminution de poids obtenue par la terre où la croix traînait. Il a fallu au Sauveur une heure pour faire ce trajet avec ce poids énorme.*

Ita ille: verum tria hic observanda sunt: 1[m] Jesum non toto itineris tempore crucem portasse; 2° in computandis negotiis isto mane gestis vix reperiri tam magnum intervallum, sc. unius horae, pro cruce ferenda; 3° altitudinem 15 pedum nimiam videri (cf. infra q. 850); 12 vel 13 pedes jam sufficere; imo, Jahn *Arch.* 255 nonnisi 10 pedes cruci adscripsisse.

(1) Altitudo istius tumuli 12 tantum pedum erat, ait P. De Buck, et vix 200 passus a moeniis urbis distabat vertex ejus; ab eis autem separatus erat per plateam. Notetur apud Evangelistas non occurrere dictionem **Mons Calvariae** vel simile quid.

calvaria; imo dicit locum illum ne ceteris quidem circumjacentibus locis altius consurgere.

Utcumque ista sint, certum est locum illum temporibus Christi extra urbis mœnia situm fuisse, ut supra vidimus: nunc autem, cum civitas ex illa parte ampliata fuerit, intra ipsa mœnia versatur: atque ibi exstat a multis seculis ecclesia *s. Sepulcri* celeberrima, de cujus authentia dicemus q. 1194.

Locus omnium sanctissimus. Quanta autem veneratione dignus sit locus, in quo Salvator sese pro salute mundi immolavit, et juxta quem Adrichomius in tab. magna urbis Jerus. hanc posuit inscriptionem *Christus se tibi, tu te Christo*, christianorum nemini demonstrare necesse est.

At vero, quum de loco, ubi crux Jesu stetit, hic disputatur, ultro sese offert nobis quaestio quaedam olim jam controversa, atque hodiedum nostra attentione haud indigna: **Adam fueritne in Golgotha sepultus.** Videsis ad calcem Excurs. 46, q. 1174.

P. II. VINUM MYRRHATUM JESU OFFERTUR. 27, 34.

Praeced. vide ante q. 841.

M. 27, 34. Et dederunt ei vinum bibere cum felle mistum. Et cum gustasset, noluit bibere. 35 Postquam etc. *Ante q. 843.*

Praeced. ante q. 841.

Mc. 15, 23. Et dabant ei bibere myrrhatum vinum: et non accepit. 24 Et crucifigentes eum diviserunt etc. *Ante q. 843.*

Statim ut lugubris illa carnificum spectatorumque caterva, cum viris ad crucem damnatis, in locum statutum advenit, dum omnia quae ad supplicium spectabant ordinabantur, pro more Jesu oblatus fuit **potus** quidam. Hac de re sequentem ponimus quaestionem; verum, cum postea, quando Dominus jam diu in cruce pendebat, alter potus ei praebitus fuerit, distinctionis gratia verbulum etiam de eo addemus. Utrumque autem potum probe discernendum esse, contra s. Chrys. recte probant Mald. et Ben. XIV.

Q. 842. 1° Quid statim ante crucis supplicium Jesu in potum datum fuit? 2° Quid vero ei jam in crucem sublato et prope moribundo? 3° Num benigno consilio et honesto fine uterque ille potus praebitus fuit? 4° Illumne accepit Servator, et quare? 5° An praedictio quaedam hac in re effectu confirmata fuit?

R. ad 1m. *Dederunt ei vinum bibere cum felle mistum*, ait Vulgata apud M.: in exemplaribus autem graecis lectio duplex est, fere ejusdem auctoritatis: οινον vinum (ut in Vulg.), et οξος acetum. Praeferenda est lectio οινον, propterea quod ei probabiliter substituta fuerit οξος, ut locus accommodaretur Psalmo 68, 22 *Dederunt in*

escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto. Ceterum, qui tenent lectionem *acetum*, hanc vocem sensu lato sumere debent pro *vino acido* vel *coacescente*, ut Matthaeum concilient cum Marco qui habet *vinum* (haec lectio apud Mc. est omnino certa).

Sed alia est difficultas seu repugnantia falso existimata inter illos Evangelistas, quae explicanda et diluenda est.

M. conciliandus cum Mc.

Secundum Mc. datum fuit ei *vinum myrrhatum*, i. e. vinum cui admixta fuit *myrrha*, aroma quod ex arbustis profluit, quodque in vinum mittebatur, non ut illud fortius redderet, sed ut odorem et saporem acrem ei conferret (Plin. *H. nat.* 14, 13 Lautissima, ait, apud priscos vina erant myrrhae *odore* condita): ergo potum bonum, myrrha sapidius redditum, et ex benignitate oblatum. Verum M. ait datum fuisse *vinum* (seu, alia lectio, *acetum*) *felle mistum*, vel felle proprie dicto, vel succo quodam nocivo et venenoso ; ergo potum pravum, ex malitia praebitum.

Conciliatio fit duplici ratione : 1° vel sumendo *fel* sensu lato pro amaro quodam, puta hic *myrrha ;* 2° vel ponendo vinum myrrhatum et bonum, quod solebat cruciariis dari, de industria et ex malitia adulteratum fuisse per additionem *fellis*.

Pro 1ª explic. citatur s. Aug. *De cons. Ev.* 3, 11 : « *Fel* quippe « pro *amaritudine* posuit » ; ita etiam Syrus. Additur hebr. רֹאשׁ *rosch*, quod 70 solent vertere χολήν, *fel*, significare generatim *succum amarum :* sed, ut docet *Gesen. *Lex.*, et ut demonstrat multis exemplis ex V. T., per *rosch* semper intelligitur succus amarus *nocivus, venenosus*. Ergo haec 1ª explic. non confirmatur per significationem voc. *rosch* : inde recurrendum est ad 2ᵐ explic. : vide resp. ad 3ᵐ.

R. ad 2ᵐ. Domino tunc datum fuit in spongia acetum ex vase quod ibi positum erat pro militibus : vide infra q. 888.

Vinum myrrhatum.

R. ad 3ᵐ. 1ª **Sententia.** Plures interpretes, praesertim recentiores (Calm., Mald., De Buck, Beel., Bisp., Knab., Fouard, Lipm., favente s. Hier. *in M.* qui ait *ut* Jesum *consopiant*), opinantur vinum istud **ex humanitate datum** fuisse (forte, ut saepe

fiebat, a mulieribus amplae et honestae familiae, teste Gem. Babyl. *Sanh.* 6, 1). Quod quidem ut confirment, notant morem fuisse apud Judaeos (fortasse propter Prov. 31, 6), ut hominibus ad supplicium damnatis vini myrrhati potus praeberetur ; vel eo fine ut reus reficeretur et paululum levaretur, animusque ejus corroboraretur ; vel, quod alii putant, ut tantisper mente turbaretur et consopiretur, atque adeo tormenta minus sentiret, secundum illud Talmudis *sanh.* f. 43, 1 (cit. ap. *Byn.) : « Qui ad poenam capitis subeundum egrediebatur, ei bibendum dabant granum thuris in poculo vini, ut mens ejus turbaretur : sicut dictum est *Date siceram pereunti, et vinum eis qui amaro sunt animo* (Prov. l. c., in hebr.). »

2ª Sententia. Ss. Patres autem, unanimi consensu (saltem omnes quos hac de re interrogare potui), et veteres interpretes usque ad Baronium (*Annal.* ad ann. 34), qui et ipse sententiam suam priorem retractavit (in fine t. 10), tenent (teste A Lap.) vinum myrrhatum quidem, ast putidum corruptumque per commixtionem *fellis*, **ex malitia** et crudelitate Jesu **datum** fuisse, adeo quidem ut Judaei vel milites humanitatem, qua duci videbantur, in malitiam perverterint. Possumus supponere cum Ben. XIV mulieres vinum *myrrhatum* Mc. et optimum ex misericordia praebuisse ; sed milites, quorum opera uti debuerint, quum accessu ad Jesum prohiberentur, potum illum bonum admixtione *fellis* corrupisse. (1)

Quidquid sit de hac suppositione, ab illa 2ª explic. recedere nolim, propter auctoritatem ss. Patrum, et propter vim significationis quam in V. T. habet *rosch*, χολη apud 70, *fel* in Vulg. Ss. Patres autem solent hanc sententiam confirmare e Ps. 68, 22, de quo statim dicemus in resp. ad 5m.

Quod porro attinet ad acetum aliquamdiu posthaec ori Jesu jam moribundi admotum, illud ex benigno quodam animi affectu, ut nonnulli censent (aliis contrarium opinantibus) datum fuit, quia clamaverat *Sitio :* cf. infra q. 888 sq.

R. ad 4m. **Vinum non recusavit**, vel quia, ut quidam volunt, illud ex miseratione porrigebatur ; vel, secundum alios, quia

(1) Noli addere : vel supponere possumus pro vino *myrrhato* aliud *felle mistum* a militibus oblatum fuisse : hoc enim cum ipsissimis Marci verbis plane pugnaret.

vaticinatio quaedam eventu confirmanda erat; sed gustavit tantum, non ebibit, propterea quod vim dolorum omnem sentire vellet, vel (in altera sent.) quod Judaeorum malitiam aversaretur. Acetum autem, paulo antequam exspiravit oblatum, etiam accepit, ut dicit J.

R. ad 5m. Ss. Patres vident hic impletam praedictionem Ps. 68, 22 *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto:* cf. *Comm.* nostr. *in Psalm.*, Brugis 3 vol. 3a ed. Si contextum Psalmi inspiciamus, possumus verba sumere in sensu metaphorico, nimirum: tantum abest ut consolentur me (v. praeced. *sustinui... qui consolaretur me, et non inveni*), ut contra dolores meos augeant, puta, nocendo mihi, hostiliter agendo, irridendo me, non secus ac si viro esurienti et sitienti pro cibo et potu apponerent *herbam venenatam* (רֹאשׁ, 70 χολήν, Vulg. *fel*) et *vinum corruptum* (חֹמֶץ, *omphacium*, vinum acerbum factum, mutatum in acetum).

Significatio illa metaphorica de Davide intelligi potest, in supposito quod Ps. 68 in sensu litterali sit de Davide; sed certo referri debet ad Christum, ad quem spectat totus ille Psalmus, saltem in sensu typico.

Si autem verba illa Ps. 68, 22 sumantur in sensu proprio, non conveniunt Davidi, sed continent praedictionem de potu Jesu oblato, saltem de *aceto* in spongia dato M. 27, 48; imo vero de *vino felle misto* M. 27, 34, nempe si haec ultima Matthaei verba intelligantur in malam partem, de potu pravo ex malitia dato, vel saltem de potu bono a mulieribus allato, sed a praebentibus depravato: quod probabilius opinamur.

Retractatio. Liceat obiter animadvertere, sententiam quae potum Jesu oblatum M. 27, 34 in bonam partem sumit, in magno nostro *Comm. Psalm.* nimium approbatam fuisse. Re maturius perpensa, alteram nunc praeferimus explicationem.

Transitio ad scenam II.

Postquam Jesus oblatum potum primis labris gustaverat, vestibus spoliatus fuit (utrum omnino omnibus, inquiremus q. 854) et cruci affixus (non super crucem in terra jacentem extensus, sed in crucem jam erectam sublatus, vide q. 849). Quomodo autem id

factum fuerit, ceterasque terribilissimi istius supplicii rationes adjunctas, fuse exponemus in scena 2ª, ad quam nunc piam nostram convertere debemus contemplationem.

SCENA II.

Supplicium Jesu.

Argumentum, et divisio. Ut ex omni parte et plenissime cognoscamus supplicium crucis, quo Christus affectus fuit (nihil enim in re tanti momenti leviter attingendum est), tria narrationis capita, seu potius momenta tria distinguere juvabit : igitur

P. 1ᵐ. *De iis quae* **in ipso crucifixionis actu** *facta sunt, vel quae cum isto connexa erant.* Jesus clavis ad crucem configitur, primum interea verbum proferens : latrones certe eodem tempore supplicio mulctantur. Titulus seu inscriptio causae super caput Servatoris ponitur ; hujus deinde vestes dividuntur inter carnifices.

P. 2ᵐ. *De iis quae evenerunt* **toto illo tempore** *quo Jesus pendebat in cruce.* Tria sunt : 1° signa inimicitiae contra Jesum, sc. convicia, irrisiones et contumeliae ; 2° istis vero opposita, signa eximiae benignitatis Jesu erga alios, nempe a/ historia boni latronis, cujus gratia Jesus 2ᵐ loquitur verbum ; et b/ idem deinde matrem Joanni commendat : 3ᵐ verbum. Adjicitur 3° factum naturae inanimatae, sc. tenebrae per miraculum exortae sunt graves atque diuturnae.

P. 3ᵐ. *De iis quae in* **ultimis Jesu momentis,** paulo ante extremum ejus halitum, *contigerunt.* 1° *Eli, Eli* etc., seu 4ᵐ verbum, quocum conjungitur irrisio quorumdam dicentium *Eliam vocat iste.* 2° Eodem fere tempore 5ᵐ verbum edit Jesus, sc. *Sitio,* et tunc acetum ei praebetur ab uno militum, dum alii eum irridere pergunt.

Jam singula perlustrabimus, atque de eis disseremus copiosissime, prout argumenti magnitudo postulat.

P. I. DE CRUCIFIXIONE REBUSQUE CONNEXIS.

Ordo rerum. N° 1 Jesus patibulo suffigitur, n. 2 latrones similiter ; n. 3 primum Domini verbum in cruce ; n. 4 titulus cruci imponitur ; et n. 5 vestes dividuntur.

N° 1. Jesus cruci affigitur.

Praeced. vide ante q. 842.

M. 27, 35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta etc. *Infra ante q. 864.*

Praeced. ante q. 828.

L. 23, 33. Et postquam venerunt in locum qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum et etc. *Ante q. 861.*

Praeced. ante q. 842.

Mc. 15, 24. Et crucifigentes eum, diviserunt vestimenta etc. *Infra ante q. 864.* 25 Erat autem hora tertia: et crucifixerunt eum. 26 Et erat titulus etc. *Infra ante q. 863.*

Praeced. ante q. 828.

J. 19, 17... in eum qui dicitur Calvariae locum, hebraice autem Golgotha: 18 ubi crucifixerunt eum et cum eo alios duos etc. *Ante q. 861.*

Quaestiones 14 hic tractandae enumerantur. Supplicii hujus modum, ejusque atrocissima tormenta complete describemus in seq. quaest.: de loco et tempore quo Jesu illatum fuerit; de forma crucis; de clavis; de gravitate istius supplicii; Jesus affixus fuit cruci jam erectae; de ligni altitudine; de sedili; de scabello pedum; Jesus nudus in patibulo; gestabat coronam spineam; facie ad occidentem conversus erat; poena ista proprie Judaica non erat; de inventa Domini cruce; tandem quamdiu Servator in cruce manserit.

Quo loco et quo tempore Jesus cruci affixus fuit?

***Q. 843.** 1° Ubinam Christus supplicio affectus fuit? 2° Quo hebdomadis die? Indica rationem figuratam ac mysticam, quare illo die potius quam alio mori voluerit. 3° Qua diei hora cruci affixus fuit?

R. ad 1m. Vide supra ad M. 27, 33.

R. ad 2m. Cf. infra q. 897.

R. ad 3m. Oportet conciliare Mc. cum J.: cf. q. 814.

De forma crucis.

***Q. 844.** Quaenam erant apud Romanos crucis formae? Quaenam forma in cruce Jesu adhibita videtur?

Ante notandum, supplicium crucis non fuisse Judaicum sed Romanum (cf. q. 857), atque ideo quaestionem poni de forma crucis *apud Romanos*.

R. Crucibus autem (secundum J. Lipsium, in celeberrimo opere *De cruce)* apud Romanos **triplex** erat **forma:** a/ vel erat **decussata**, in forma **X** *(croix de s. André ou croix de Bourgogne)*; vel b/ **commissa**, in forma **T**, unde litera graeca *tau* dicta fuit *mystica (croix de s. Antoine)* (1); vel c/ **immissa** in forma † *(croix latine .*

(1) Nota agi de litera *tau* graeca: nam *thau* hebraica nunc aliam habet formam cruci non similem ת, sed olim habebat formam crucis decussatae, cf. q. 1188, 8°. Jam vero *tau graeca* dicta fuit

a. Crux decussata.

De 1ª **forma** loquitur s. Hier. *in Jer.* 31 : « Decussare... ad speciem literae X, « quae figura est crucis », et s. Isid. *Orig.* 1, 3 : « X litera, et in figura crucem, et in « numero decem demonstrat. » Hanc etiam crucis formam prae oculis habuerunt Patres, qui figuram vident in eo quod Gen. 48, 13 Jacob filiis Josephi *transversis manibus* benedixit : Tert. *De bapt.* 8 ; s. Hier. *In Jer.* 31. Negat tamen *Scaliger (cit. a *Byn.) hujusmodi cruces apud veteres umquam in usu fuisse ; s. Andream vero tali cruci affixum fuisse in dubium etiam vocat Molan. *Hist. s. imag.* 3, 51, et *Smith *Dict.*, sub voce *cross*. Fieri potuit ut ss. Patres formam crucis in litera X viderint solummodo propter aliquam similitudinem, adeo ut ista litera σταυροειδες, potius quam σταυρος dicenda sit.

b. Crux commissa.

De 2ª autem **forma** mentionem facit Tert. *Contra Marc.* 3, 22 : « Litera Grae- « corum *tau*, nostra autem T, species crucis. » Idem dicit s. Hier. *in Ezech.* 9 ; Clem. Alex. *Strom.* 6. Et Lucian. in jocoso op. Δικη φων. 12 in literam *tau* invehitur, quoniam cruces in ejus similitudinem conficiuntur.

C. Crux immissa.

Forma autem 3ª (**crux** *immissa*, seu **latina**, seu *capitata*) longe frequentior fuit, secundum multorum sententiam. Eam describit s. Just. *Dial. cum Tryph.* 19 : « Rectum unum est lignum a quo est *suprema pars in cornu sublata*, quum alterum « lignum aptatum est. » Concinit descriptio data a s. Irenæo *Haer.* 2 : cit. infra q. 851. Adde *typos* seu *similitudines* quae formam crucis *capitatam* supponunt.

Similitunes crucis **latinae** apud ss. Patres. S. Just. *Tryph.* 89 in Moyse precante Ex. 17, 12 typum ejus videt ; eumdem typum admittunt s. Barnab. (vel Pseudo-B.) *ep.* 12, et Tert. *Adv. Marc.* 3, 18 ; alios typos similes refert Ps.-Hier. *in Mc.* 15 : « Ipsa species crucis quid est nisi forma quadrata mundi ? Oriens de « vertice fulgens, Arcton dextra tenet ; auster in laeva consistit : Occidens sub « plantis firmatur [Jesus in cruce occasum respiciebat, adeoque Arcton dextra « tenebat]... Aves, quando volant ad aethera, signum crucis assumunt ; homo « natans per aquas vel orans forma crucis vehitur (al. visitur) etc. ». Cf. Tert. *Adv. Nat.* 1, 12. Minuc. Fel. *Oct.* 29 : « Signum sane crucis naturaliter visimus in « navi, quum velis tumentibus vehitur ;... et quum homo porrectis manibus Deum « veneratur. » Max. Taur. *De cruce*, h. 2, in cruce 4 angulos sicut in cœlo 4 ventos seu 4 partes distinguit. S. Aug. *in J.* tr. 118, 5 : « In cacumine (crucis) transversum « lignum sursum versus exceditur. » Id. *Ep. ad Paulinam* 112, 13 ; id. *in Ps.* 109 et *in Ps.* 103. Nonnus crucem Jesu dicit δορυ τετραπλευρον, i. e. lancea cujus ferrum ita curvatur ut 4 latera habeat. Sedulius *Carm. Pasch.* 5, 190 : « Quatuor inde plagas quadrati colligit orbis. »

Crux s. Antonii, quoniam in penula istius sancti tale signum depictum erat. Forte signum illud prae aliis crucis formis a sancto illo viro ideo assumptum fuit, quod, teste Sozom. *H. E.* 7, 15, esset symbolum hieroglyphicum *vitae futurae* apud Aegyptios, quamobrem Ruff. 2, 29 literam illam vocat ιερατικην, *sacerdotalem*.

Quaenam erat forma crucis Jesu?

Jam vero, hanc ultimam formam in supplicio Jesu adhibitam fuisse multi opinati sunt. Nonnulli quidem id colligunt vel ex hoc solo quod titulus super caput Jesu e cruce pendentis positus fuerit: sed conclusio ista non valet, quia possumus dicere crucem fuisse in forma *tau*, et tabellae inscriptionis fuisse cuspidem quae trabi superiori inserta fuerit, ut videre est in imagine P. Garrucci, de qua statim loquemur.

Utcumque ista se habeant, sententiam de forma crucis latinae admittunt Lips. *De cruce* 1, 10, Calm. *in M.* 27, 32, Ben. XIV *De festis* 7, 82, Lamy *Diss. de cruce* 2, Langen, Fill., Knab. etc. Idem etiam censet Rohault in *Mém. sur les instrum. de la Passion*.

Imago vetustissima a. 1857 reperta. Porro, in solvenda illa quaestione, ratio habenda est imaginis vetustissimae, ad ludibrium et contemptum delineatae (gall. *une caricature grossièrement dessinée)*, quae Romae in monte Palatino, sc. in cubiculo quodam antiqui Caesarum palatii, anno 1857 a P. Garrucci reperta fuit, quaeque refert hominem cum capite animalis cujusdam (videtur caput equi, sed verisimiliter mens delineantis fuit caput onagri vel asini silvestris referre) depictum, cruci **commissae** affixum: huic autem adjuncta legitur haec inscriptio Αλεξαμενος σεβετε (loco σεβεται) Θεον, i. e. Alexamenus veneratur Deum. Cf. *Civilta cattol.* 1857; Martigny, *Dict. des ant. chrêt.*, a. *Calomn.* Jam vero, P. Garrucci docet imaginem illam ineunte seculo 3° factam fuisse, atque in ea oculis effingi calumniam, de qua Tert. *Apol.* 16 dicit: « Somniastis **caput asininum** esse « deum nostrum »: cf. Minuc. Fel. *Oct.* 9. Huic autem calumniae forte ansam dedit id quod scribit Tac. *Ann.* 5, 3 et 4, de fonte a Moyse in solitudine invento per gregem asinorum agrestium, ubi addit haec verba: « Effigiem animalis, quo monstrante errorem sitimque depulerant, penetrali sacravere. » Apion quoque, teste Jos. *Contra Ap.* 2, 7, dixit « Judaeos in Templi sacrario asini caput collocasse idque coluisse. »

Conclusio. Certe magnum pondus inde accrescit conjecturae de cruce *commissa;* sed non tanta est vis istius argumenti, ut sententiam communem, de cruce *immissa*, prorsus de medio tollat. Ergo alterutram pro libitu eligat lector: sed forma *decussata* pro cruce Jesu admitti nequit.

De clavis.

Tria inquirenda sunt: 1° utrum praeter funes semper adhiberentur *clavi;* 2° utrum non manus tantum, sed etiam *pedes* clavis perforarentur; 3° fueritne Jesus *quatuor* confixus clavis.

Q. 845. 1° Clavi, non tantum funes, in crucifixione.

Sunt qui autument interdum factum fuisse ut sontes *funibus tantum*, non *clavis*, cruci affigerentur: atque isti quidem citant Plinium, qui 28, 11 inter magiae instrumenta recenset *spartum e cruce*; deinde verba referunt Tert.: « *Tunc Petrus ab altero cingitur* « J. 21, 18] *cum cruci adstringitur.* » Verum inde nihil aliud con-

cludi potest, quam in crucifixione *etiam* funes (non funes *tantum*) adhibitos fuisse. Idem enim Tert. *Adv. Marc.* 3, 19, ad verba Ps. *Foderunt manus meas et pedes meos* notat : « quae propria est atrocia crucis. » Aliunde certum et certissimum est, morem fuisse constantem ut ad crucem damnati non *funibus* tantum alligarentur, sed *clavis* ligno affigerentur, saltem in *manibus* : quod quidem ex testimonio omnium veterum, qui de hoc supplicio, cum adhuc in usu erat, scripserunt, certo colligitur (1).

Funes tamen etiam adhibiti. *Non funibus tantum*, inquam : namque opiner manus pedesque *vinculis* ad lignum *alligatos* fuisse antequam *clavis* perfoderentur, propterea quod multo facilius esset hac ratione clavos vi mallei in membra adigere ; deinde, si praeter *clavos* nulli fuissent *funiculi*, per vehementissimas cruciarii distorsiones palmae manuum potuissent fortassis dilacerari, atque adeo brachia a ligno avelli (2). Docet etiam s. Hil. *De Trin.* 10, 13 praeter clavos *funes* fuisse adhibitos : « Penduli in cruce corporis « poenae, et colligantium *funium* violenta vincula, et adactorum « clavorum cruda vincula [vulnera ?], sunt timori. »

Q. 845bis. 2° Pedes Jesu clavis perforati.

Quamvis in Evang. explicate et distincte non dicatur etiam **pedes** Jesus **clavis** fuisse **perforatos,** illud tamen satis innuitur L. 24, 39 et 40 : *Videte manus meas et pedes, quia ego ipse sum*, ergo ex perforatione pedum aeque ac manuum. Illud etiam certissime demonstratur, tum per oraculum Ps. 21, 17 *Foderunt manus meas et pedes meos*, quum per antiquam traditionem.

Hanc autem quaestionem de confixis *pedibus*, quae magni momenti est in studio Scripturae s., quamque multi Rationalistae recentiores, ut prophetiam Ps. 21 negarent, prave solvunt, post *Paulus (*Memorab.* t. 4, p. 36), alibi fuse exposuimus, additis praecipuis argumentis quae in utramque partem adduci possint. Remit-

(1) Ideo corrigendus est **error** satis vulgatus **inter pictores**, qui latrones non *clavis* cruci affigunt, sed *funibus* tantum alligant : videsis infra q. 861.

(2) **Pro pictoribus.** Decetne ut pictores in imagine Jesu cruci affixi manus pedesque non tantum clavis perforatos, sed etiam funibus ad patibulum ligatos effingant ? Nihil certe impedit quominus id fiat : non tamen id *omnino* expostulem, quum supponi possit (quod minus est probabile) vincula, ad commodiorem membrorum terebrationem adhibita, post clavos immissos ablata fuisse.

timus igitur ad magnum *Comm.* nostr. *in Ps.*, 3 vol., 3ª edit., ad Ps. 21.

3° Tresne an quatuor erant clavi ?

***Q. 746.** Petitur num Christus affixus fuerit *quatuor* clavis, an *tribus* tantum ; aliis verbis, utrum pedes superpositi essent unoque clavo confossi, an vero alter juxta alterum collocatus suo quisque clavo esset perforatus.

R. Magna hac de re existit inter eruditos dissensio, atque hodiedum manet dubium indissolubile. Utriusque sententiae referemus argumenta.

Prior sententia : tres clavi.

Plerumque, ait *Friedlieb *Arch. des Leid. J.*, erant tantum *tres* clavi : sic in urnis Romanis, quae cineres virorum cruce interemptorum continebant, nonnisi *tres* reperti sunt clavi, nempe duo minores, quibus manus, et unus major, quo duo pedes simul perforati fuerant. Tres hujusmodi urnas Moguntiae exstare testatur Reinke, *Die Messian. Ps.*, in Ps. 22, 17 (Vulg. 21, 17), p. 279. Cf. Langen, *Die letz.* etc.

Ut autem melius intelligamus qua ratione id commode perfici potuerit, debemus nobis in memoriam revocare, in stipite arrectario, ut infra q. 851 dicemus, fuisse aliquod sedile prominens, instar cornu, in quo damnatus, ne corporis pondus manus clavis transfixas discinderet, equitabat. Quum autem pedes erant ligno infami affigendi, genua sontium flectebantur, adeo ut pedum plantae stipiti applicarentur ; et sic facile poterant bini pedes simul transforari.

Nonnus, qui 15, 73, seu *in J.* 19 loquitur de τετραξυγι δεσμῳ i. e. de *quadruplici* Jesu in cruce *ligamine*, quique sine dubio intelligit quatuor *clavos* (δεσμος *ligamen*, poetice pro *clavo)*, alibi, sc. 14, 96, dicit binos pedes, simul plicatos (ὁμοπλεκεες), terebratos fuisse clavo inflexibili (ακαμπεα δεσμον, sc. crassiore) duplicem habente vim ; imo vero *Smith *Dict. Cross*, refert apud eumdem Nonnum (ad Joan. 19, 18) affirmari binos pedes simul plicatos, affixos fuisse unico clavo (αξυγι γομφῳ) : unde concludendum videtur poetam istum non semper secum constare hac in re. (1)

Pseudo-Greg. Naz., poeta rudis et indoctus, forte Apollinaris Laodic., in opere *De Chr. pat.* vocat crucem ξυλον τρισηλον, *lignum cum tribus clavis*.

Altera sententia : quatuor clavi.

S. Greg. Tur. *De gloria Mart.* 1, 6, de sacris Dominicae crucis clavis scribens, admittit fuisse quatuor : « Duo sunt, ait, quos supra diximus aptatos in freno, « tertius projectus in fretum, quartum asserunt esse defixum in capite statuae

(1) Nisi dicamus cum Hug et Langen αξυγι γομφῳ intelligendum esse de uncino duabus cuspidibus vel duobus clavis instructo : sed hoc non videtur significare adj. αξυξ, ab priv. et ζυγος.

Constantini. » (S. Ambr. *De ob. Theod.* 47, 49 duos clavos quos Helena misit Constantino vocat *ferrum pedum)*. Ita quoque Pseudo-Cypr. (in opusc. s. Cypriano olim adscripto *De Pass.*), qui loquitur de *clavis* (in plur.) *pedes terebrantibus*. Testimonium s. Cypr., si authenticum esset, magnam certe haberet auctoritatem, quum ipse († a. 258) crucis supplicia oculis videre saepe potuerit ; sed editores Benedictini opusculum illud *De pass. Chr.* ut genuinum non admittunt.

S. Birgitta *Rev.* IV, 70 coll. I, 10 ponit etiam *quatuor* clavos. S. Bonav. *Vita s. Franc.* 13 narrat hunc sanctum virum « in manibus et pedibus habuisse signa cla« vorum, capitibus rotundis et nigris in interiore parte manuum, et superiori « pedum apparentibus, et acuminibus ex adverso. » (Nolim tamen ex factis hujusmodi argumentum certum deducere). Bened. XIV *De festis*, fer. VI in parasc. idem censet et multorum sententias eruditorum hac de re adducit.

Praeterea, **antiquissimae imagines,** ait Münz, habent 4 clavos ; et re quidem vera, in imagine illa a P. Garrucci detecta (de qua p. 1080), homo cruci affixus stat super trabem transversam, quae inferiori stipitis parti est annexa ; crura autem ejus et pedes satis amplo spatio sunt separata : quod demonstrat pedes seorsum perforatos, suo utrumque clavo. Pariter Baron. *Ann.* ad a. 34, n. 114 : « Antiquiores imagines, ait, Jesum *quatuor* affixum clavis repraesentant (1) » ; quod etiam comprobat Curtius *De clavis Dominicis* 5, ubi sententiam de quaterno clavorum numero contra Mallon fuse propugnat.

Tandem, plerique ex historicis, qui narrant s. Crucis inventionem, quatuor clavos, quibus Servator affixus est, inventos retulere : ita argumentatur Danko, p. 253 ; sed ex iis scriptoribus antiquioribus, quos indicabo q. 1178, nominat tantum Theodoretum ; Bisp. addit s. Ambr. ibi cit. et Rufin. *H. E.* 2, 8. Socrates autem nonnisi duos clavos, quibus manus erant affixae, repertos fuisse dicit. Ergo neque hoc argumentum controversiam dirimit.

Conclusio. Ultima opinio mihi etiam magis arridet (cum Calm., Fill., Fouard, Knab., plerisque recentioribus) ; vel ex hoc solo quod commodius et magis obvium sit singulos pedes clavis singulis perfodere, quam duos unico clavo configere ; praeterea, unicus clavus debuisset esse satis magnus, et ossa fortassse frangi potuissent : qued pugnaret cum J. 19, 36 *Os non comminuetis ex eo.* Pictores licite alterutri adhaerent conjecturae : saepe *tres* praeferunt clavos, ideo certe quod bina crura, si linea recta ponantur juxta invicem, aspectum minus pulchrum (*moins artistique*) praebeant.

De sacris clavorum Reliquiis vide infra q. 1204.

---

(1) **Incerta deductio.** Dubitem num ex antiquis imaginibus quidquam pro historica rerum veritate et notitia in quaestione de Jesu supplicio concludi possit, quum teste Reusens *Elém. d'Arch.* I, 459 : « *C'est de la dernière moitié du 6e siècle* ergo jam diu post abolitum crucis supplicium) *que datent les premières représentations connues du Sauveur en croix.* » De cetero, verissimum est quod Baronius aliique dicunt de 4 clavis in primis istis imaginibus depictis : namque idem Reus. II, 464 : *Au 13e siècle,* ait, *on commença, timidement d'abord, à supprimer le* suppedaneum, *et à attacher à la croix, au moyen d'un seul clou, les deux pieds superposés du Sauveur ;* antea, ut refert idem auctor I, 464, semper sejuncti erant pedes, adeoque suo singuli clavo confixi.

De crudelitate et acerbitate supplicii crucis.

Duo sunt hic exponenda : 1° istud supplicium quibusvis crudelissimum fuisse, sed 2° Servatori nostro acerbius duriusque quam ceteris fuisse.

Dilligentissime, pro virili parte, ista exponere conabimur. Antea tamen lectorem monitum cupimus, in describendis corporis cruciatibus consilium medici docti et periti a nobis adhibitum fuisse, universumque nostrum hac de re tractatum coram eo lectum fuisse atque ab eo emendatum.

1° Quam acerbum cuilibet esset crucis supplicium, seu de crudelitate poenae istius in se spectatae.

Quaestio 847.

Supplicium crucis omnium maximum erat : Cicero *Verr.* 5, 64 illud dicit *crudelissimum teterrimumque* (1) : quod quidem per sequentes rationes abunde cumulateque demonstratur. (2)

a/ Erat **ignominiosissimum,** non tantum propter nuditatem sontis et publicum tormentorum locum (de quibus infra dicemus), sed etiam propter conditionem eorum quibus inferebatur : etenim nonnisi servis (apud Tac. *H.* 4, 11 *servile* supplicium vocatur ; Juven. *Satyr.* 6, 218 Pone crucem *servo* ; Hor. *Sat.* 1, 3, 80 ; Plaut. passim), et hominibus liberis sed humili loco natis, qui gravissimorum criminum rei erant, v. gr. latronibus et seditiosis etc. (Jos. *Bell. Jud.* 5, 11, 1 ; *Ant.* 17, 10, 10 ; 20, 6, 2), numquam vero civibus Romanis inferri solebat (3). « Nomen « ipsum crucis, ait Cic. *pro Rab.* 5, absit non modo a corpore civium Romanorum, « sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. » Idem *in Verr.* 5, 66 ; « Facinus est, ait,

---

(1) **Crux acerba Judaeis nota.** Adeo terribile erat crucis supplicium, ut per verborum translationem saepe sumeretur pro acerbissimo dolore et gravissimo cruciatu generaliter dicto ; verbi gratia M. 10, 38 *Qui non accipit crucem suam* etc. ; iterum 16, 24 *Qui vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam* etc. Ex hujusmodi loquendi ratione colligimus, istam poenam, etsi proprie Judaica non esset, Judaeis tamen aetate Christi probe notam fuisse. Sub dominatione enim Romanorum Judaeis haud raro irrogata fuit : teste Jos. *Ant.* 17, 10, 10 Varus duo millia Judaeorum in *crucem* egit ; vide etiam *Ant.* 20, 6, 2 ; *B. J.* 2, 12, 6 ; 2, 14, 9 ; 5, 11, 1. Imo, jam antea, ut narrat idem historicus (*Bell. Jud.* 1, 4, 6), Alexander, filius Hircani, post expugnationem oppidi Bemeselis seu potius Betomae (*Ant.* 13, 14, 2), jussit ut octingenti ex captivis in media urbe Jerusalem *cruci* affigerentur : sed haec erat insolita crudelitas, praeter leges Judaicas a viro Judaeo commissa.

(2) De *crucis* tormentis videsis Wiseman, *Disc. sur les rapp. entre la sc. et la rel. rév.* 5 Disc.

(3) In V. T., nempe Deut. 21, 23, dicitur : *Maledictus a Deo est qui pendet in ligno* (proprie loquendo, non agitur de *crucis* supplicio, sed de strangulatione in patibulo, vel, quod multo probabilius est, de suspendio cadaveris) : verum Christus signum exsecrationis in indicium divinae gratiae et benevolentiae convertit ; unde s. Paulus ad Gal. 3, 13 : *Christus,* inquit, *nos redemit de maledicto Legis, factus pro nobis maledictum ; quia scriptum est : Maledictus omnis qui pendet in ligno.* Ideo *crux*, quae olim res erat dedecoris et horroris, aliquando (sc. sub Constantino M.) gloriae figura et imago facta est. S. Hier. (*ep. ad Laetam*, ep. 107, 2, ap. Migne) : « Vexilla « militum, ait, *crucis* insignia sunt. Regum purpuras et ardentes diadematum gemmas patibuli « salutaris pictura condecorat. »

« civem Romanum vinciri, scelus verberari, prope parricidium necari : quid « dicam in crucem tollere ? Verbo satis digno res tam nefaria appellari nullo modo « potest. »

b/ Damnatus ad crucem prius flagellis crudeliter conscindebatur, atque onus infamis ligni ad supplicii locum trahebat, adeo quidem ut, **sanguine viribusque exhaustus,** tormenta secutura tanto acerbius sentiret.

c/ **Situs corporis coactus,** distortus et molestus, propter brachia extenta (et forte propter crura inflexa, cf. q. 846), quum diutissime persisteret, absque facultate movendi membra in quamlibet partem, per se solum debuit esse intolerabile tormentum.

d/ **Clavi,** qui manus pedesque perforabant, in locis ubi multi concurrunt nervi, incredibiles certe dolores inferebant.

e/ Et dolores illi **per longas moras** sine intermissione invalescebant, ut fit in vulneribus quae non curantur, atque aeri sunt exposita.

f/ Eo vel magis quod plagae istae sensim accrescerent propter violentas membrorum **distorsiones.** Adde ex minimo motu aut spasmo ortos fuisse dolores accerrimos, non solum in membris transfixis, sed in toto corpore, et praesertim in dorso per flagella dilacerato.

g/ Corpus loris dilaniatum, quod aeri aperto expositum erat, et sub ardore solis quidem (1), in regione meridionali calidaque, **vulnerum inflammationem** singulis momentis acriorem patiebatur. Ideo etiam majora semper fiebant tormenta, ac febri aestuque magis magisque jactabantur miseri illi sontes. Deinde, cum inflammatio aliquatenus impediret quominus sanguis a membris extremis ad cor recte et moderate reflueret, corpus universum paulatim livore afficiebatur.

h/ Praeterea, ex continua **sanguinis amissione,** cujus causa erant vulnera igne accensa et quasi perpetuo renovata, ingentissimi oriebantur cruciatus, et duplici quidem ratione :

i/ Summa lento gradu accedebat **virium debilitas,** ex qua sequebatur ut dolores acrius atque intimius sentirentur ;

k/ Deinde, **sitim** vehementissimam, febribus cruciatibusque adauctam, tandem aliquando excitari necesse erat. Quantum autem tormentum sit sitis ardentissima diuque protracta, satis compertum est.

l/ **Dolor** etiam **capitis**, et gravissimus quidem, inferebatur ex eo quod sanguis ordinata justaque ratione singulas corporis partes circumire non valeret, atque ob hanc causam venae capitis sanguinem in dextram cordis partem, eo modo quo fieri oportet, non effunderent (unde *hyperaemia passiva*, i. e. nimia sanguinis copia et abundantia, vel *stasis*, cerebrum afficiebat) : cum enim sanguis in capite ita detinetur, acerbos movere solet cruciatus, admixto tamen sensu torporis aut soporis. Posset autem dolor capitis, secundum aliorum systema medicorum, *anemiae* in capite adscribi.

m/ Porro, ex impedito sanguinis fluxu et circuitu, aliud praeterea malum haud parum molestum oriri debebat, nempe **ingens angor cordis,** palpitationesque crudelissimae ;

---

(1) Nota id quod de *solis* ardore dicimus, quum ad Christi supplicium accommodatur, non ita intelligendum esse, quasi radii solis splendentis in corpus damnatorum directe inciderent : novimus enim ab hora 12ª usque ad 3ᵐ post meridiem *solem* per miraculum *obscuratum fuisse*. Aliquando tamen, cum aer turbidus est solque absconditur, ingentem saevire calorem, nemo ignorat.

n/ Tanto magis quod respirandi difficultas obstaret quominus aer purus in pulmonibus constanter renovaretur; inde **suffocatio** quaedam seu *asphyxia*, inde etiam *inspirationes* magis magisque frequentes et celeres, quae in pectoris musculis motus excitabant laboriosos; inde gemitus rauci *(râles)*, et alta suspiria, et maxima anxietas *(anxiété précordiale)*, ut statim dicemus.

o/ His vero omnibus addere oportet incredibilem **animi moerorem** atque angustias summas, tum propter nuditatem omnium oculis spectandam, et ignominiam, tum praesertim propter tardum mortis accessum absque ullo solatio aut minima levamenti spe, et propter hominis morituri angorem sensim ingravescentem, sed diuturnum et horrendum: miserabilis ille vir, dum pendebat in patibulo, per singulas quasi corporis partes vitam extingui et vicissim deficere sentiebat, donec tandem frigor mortiferus intima pervadens membra ad cor perveniret.

Cf. *Dr Richter *De morte Salv.* 1751, cujus compendium dat Jahn, *Arch. Bibl.*

Ista omnis generis tormenta, quae ad crucis supplicium in se spectatum necessario pertinent, jam terribilissima certe sunt: verumtamen majora adhuc atque acriora Servatori fuere, propter speciales rationes nunc exponendas.

2° Jesu, magis quam aliis, acerbior fuit crux.

Quaestio 848.

a/ Corpus Jesu, e virgine natum, **tenerrimum** erat; et quo perfectior erat ejus constitutio partiumque omnium structura (gall. *l'organisme)*, quo melius atque sanius erat humorum temperamentum: eo certe mollius ac delicatius fuisse constat; unde et dolorum sensus acrior acerbiorque exortus sit. S. Th. 3, 46, 6.

b/ Flagellorum tormentum Jesu **solito crudelius** fuerat, propterea quod Pilatus vellet eum ad tristissimam deprimere conditionem, ut Judaeorum miserationem facilius excitaret; proinde Servator vulnera graviora et plura, quam alii sontes, acceperat: cum igitur ipsi detractae fuerunt vestes, ex refricatis istis plagis dolores renovati sunt maximi.

Neque hoc praetermittendum videtur, ipsum per verbera flagellantium adeo debilitatum fuisse, ut crucis **oneri ferendo impar** factus fuisset, aliumque in locum ejus substituere necesse fuisset: jam vero, quanto infirmiores sint corporis vires, tanto acerbiores esse cruciatus qui inferantur, compertum est.

c/ **Spinea corona** erat tormentum novum, et supplicio crucis consueto adjectum; praeterea, probabilius est Christum, cum in Calvariam duceretur, cumque in cruce penderet, illud opprobrii et saevitiae diadema perpetuo gestasse, adeo ut cruciatus in capite continuos, eosque amarissimos, passus fuerit.

d/ Jesus **vinum** myrrhatum, quo doloris sensus aliquantulum consopitus fuisset, **non ebibit.**

e/ Supplicii spectatores misericordiae quaedam testimonia erga damnatos plerumque ostendebant; verum Redemptor noster iniquas turpissimasque a multis pertulit **contumelias** et irrisiones.

f/ **Nudum** corpus, in foedum spectaculum omnium oculis expositum, Christo, qui purissimus erat hominum et castissimus, singularem molestiam atque animi anxietatem gravissimam attulisse nemo dubitat.

g/ **Praesentia matris** carissimae, si, ut par est, solatium haud exiguum Domino praestitit, simul tamen animum ejus tenerrimo amore plenum vehementer contristavit, quum videret eam gementem moeroreque confectam.

h/ Tandem, nemo umquam mente et **animo** tot dolores angoresque passus est quam Christus, qui secum recogitabat omnes omnium hominum iniquitates, quas susceperat expiandas, quique tristis prospiciebat tormenta sua innumeris peccatoribus fore inutilia.

Ex illis omnibus colligimus, Servatori in sensu mystico verissime accommodari posse quod de Jerusalem in sensu literali dictum est Jer. Lam. 1, 12 : *O vos omnes qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus !*

Sed et alias de Jesu supplicio quaestiones, de quibus inter eruditos existit controversia, deinceps examinemus oportet.

Jesus affixus cruci jam erectae.

* **Q. 849.** Demonstra Jesum clavis affixum fuisse cruci jam erectae ; non autem cruci jacenti adhuc in terra, deindeque in altum sublatae cum corpore.

Testimonia scriptorum. Ben. XIV, *De festis*, c. 7, 86 : « Verisimilior sententia est, Christum non jacenti, sed erectae cruci fuisse affixum : ostendit enim Lipsius *De cruce* 2, 7 ad eum plerumque modum sontes crucifigi solitos. Et apud veteres scriptores frequentissime illa occurrunt : *tollere, agere, ferre, [dare] in crucem ; ascendere, salire, excurrere in crucem ;* quibus manifeste patet, crucem jam fuisse erectam, cum sontes affigerentur. Certe de Christo Athanasius Hom. *de Pass.* et *cruce*, n. 20 : *Venit*, inquit, *ad locum ubi erat illi ascendenda crux* [sed hom. illa est dubia ; eamque Athanasio indignam habent editores Bened.] ; et Hilar. *De Trin.* 10, 48 : *In lignum elevatus est* (1)... Bynaeus *De morte Ch.* 3, 6, 9 Lipsii opinionem etiam probat. S. Bonav., Ludolph., et Toletus idem sentiunt. »

Hactenus Ben. XIV. Adde Prud. Περι στεφ. *hymn.* 10, v. 641 « Patibulum crucis ascendimus » ; Plaut., *Mostell.* Crucisalus ; id. *Bacch.* 2, 3, 128. Ps.-Greg. Naz. in poemate *De Ch. patiente :* ουρανοδρομῳ ξυλῳ ανηγον εις ακρον τελος, in crucem quae ad coelum tendit (*altam*, vertit Lips. ; dubito utrum forte non sit vertendum *rectam*, gall. *qui se dirige vers le ciel, qui monte au ciel*), elevarunt eum ad extremum finem, i. e. ad mortem ei inferendam. S. Aug. quidem *tr.* 3 *in Joan.* : « Filius Dei, ait, se permisit in crucem levari. » Verum inde non demonstrari potest quid de hac quaestione senserit s. ille Doctor. Ps.-Cypr. *De pass. D.* : « Ascendisti, Domine, palmam « etc. ». Cf. s. Greg. *in Cant.* c. 7 ad verba *Ascendam in palmam.* S. Chrys. *hom. in* 1 *Cor.* : « Dei in crucem ascensus. » Nonnus (*ad J.* 19, 18) de Christo ait : « In lignum « quadratum, altum, terraque levatum, rectum (ορθιον) extenderunt. » Pariter s. Birg. *Rev.* 4, 70, et clarius 7, 15. Cic. *in Verr.* 5, 66, ei exprobrat quod crucem non in loco consueto jusserit figi pro supplicio inferendo ; idem *Pro Rabir.* : « Crucem, ait, ad civium supplicium defigi et constitui jubes. » Adde Jos. *B. J.* 7, 6, 4 qui narrat Bassum jussisse crucem defigi, tamquam statim suspendendus fuisset Eleazarus. Neque alium fuisse Persarum morem colligimus ex 1 Esdr. 6, 11 *Lignum erigatur et* reus *configatur in eo* : in textu originali Chaldaico *et sublatus* seu *suspensus* זְקִיף *affigatur ad illud* lignum.

(1) S. Hil. quidem dicit Jesum *in ligno elevatum* fuisse : sed, ut videtur, inde concludere non possumus quaenam fuerit istius Doctoris opinio.

Haec sententia est Langen, Schegg, *Friedlieb, Jahn *Archaeol.* 225, Allioli *Alterth.* 1, 84, Danko, Corluy, Fill.

Hoc modo crucifixio facilius perficiebatur.

Quam quidem sententiam res ipsa suadet: facilius enim erat crucem solam erigere et figere, eique deinde damnatum clavis aptare, quam lignum humano corpore gravatum movere et statuere (1). Quod ut melius intelligatur, notare juvat crucem non valde altam fuisse, ut dicemus q. seq., atque ideo difficile non fuisse cruci erectae sontem affigere. Reus, qui supplicio mulctandus erat, ad sedile in medio stipite eminens primum elevabatur, vel funibus attrahebatur; deinde, cum iste in sedili quasi equitabat, manus ejus ex utraque parte trabi transversae *funibus* alligabantur: Plin. *Hist. nat.* 28, 4 inter magicas ineptias *spartum e cruce* numerat, et Tert. qui coevus erat crucifixioni ait *Scorp.* 15: Tunc Petrus ab altero vincitur, cum cruci *adstringitur*. Postquam manus (et forte etiam pedes) *vinculis* adstricti fuerat, clavis perforabantur.

Quum autem secundum *Salmas. cit. a *Byn., apud antiquos nulla fiat mentio scalarum, quoties de crucis supplicio sermo habetur, carnifex, ut dispessas manus ad antennam ligaret affigeretque clavis, inscendebat illum ipsum palum de medio prominentem quo damnatus insidebat. Ita Salmasius, sed non putem palum istum tam prominentem fuisse ut duo corpora in eo sedere potuissent.

Patroni alterius opinionis.

Haec tamen opinio, de cruce antea erecta, non ab omnibus admittitur. Etenim dubitat A Lap, imo Gretser censet probabilius esse Jesum cruci in terra jacenti affixum fuisse. Ita factum esse admittit Luc. Brug. *in M.*, et *Gerhardus *Harm. Evang. in Pass.* Et Adrichom. quidem *Theatr. Terrae S.* 118 refert, locum, ubi Christus clavis confixus fuit, secundum traditionem distinctum esse a loco ubi erecta fuit crux. Ita etiam Quares. *Elucid. Terrae S.* 5, 56. Cf. s. Barnab. (?) *ep.* 12; Eus. *H. Eccl.* 4, 15; apud Ruinart (*Act. Mart.* cf. Bolland. 1 Febr.) de s. Pionio legitur: « Eum ligno fixum erexerunt. » Hic autem textus vere unicus est pro hac sententia: cetera omnia antiquitatis testimonia crucem antea erectam vel diserte asserunt, vel saltem insinuant, ut statim ostendimus.

Haec autem ultima crucifigendi ratio videtur raro tantum adhibita fuisse, atque ideo priori sententiae adhaeremus omnino, quin tamen imagines illas, quae 11^m^ Stationem s. Viae Crucis secundum posteriorem opinionem describunt, ullo modo vituperemus (2).

---

(1) On n'avait pas toujours parmi les soldats chargés de la triste besogne de crucifier, des Hercules comme celui de Rubens dans son beau mais fantastique tableau du crucifiement.

(2) **Quid hic notandum de s. Via Crucis.** Animadvertimus tamen in opere Prinzivalli, cui titulus *Raccolta* etc., 11^m^ et 12^m^ Stationes sic designari: 11a *Gesù inchiodato in croce*, 12a *Gesù morto in croce*: ex quo concludere fas est non necessarium esse ut in 11a Statione crux, cui Jesus affigitur, in terra ponatur: posset enim ita pingi tabula ut Jesus in cruce erecta jam affixus sit manibus, et carnifices in perforandis pedibus operam impendant. Nolim tamen, ad me quod attinet, hujusce novitatis auctorem aut suasorem me praebere. Imo vero decet ut, in concionibus de Christo patiente, ad consuetam imaginum nostrarum formam verba nostra accommodemus; saltem hoc sensu, ut istas imagines aperta fronte non impugnemus, ne populum scandalo offendamus.

De crucis altitudine.

***Q. 850.** Quibusnam demonstratur argumentis crucem Jesu **altam non fuisse ?**

R. Argumentum 1m ex consueta supplicii ratione petitur. Etenim cruces **vulgo non** admodum **altae fuerunt:** non altiores, ait *Salmas. *De cruce* cit. ap. *Byn. *De morte J.* 3, 1, 13, quam ut canes, adsultantes cadaveri crucifixi, possent illud laniare [quod s. Blandinae accidisse narrat Eus. 5, 1, cit. ap. Ben. XIV], et viscera ejus extrahere [Suet. *Nero* 49, ferae leguntur intestina devorasse], ac in cruce positi ustulari, aliis crura frangi, alii etiam fumo ex viridibus lignis facto necari : quibus modis legimus interdum absumptos, qui in crucem tollerentur. Unde colligimus cruces plerumque altiores non fuisse, quam ut pedes affixorum paucissimis, tribus fortasse **pedibus,** aut **duobus,** distarent a terra.

Raro erat alta. Aliquando tamen, cum poena afficiendus erat vir quidam dignior et primarius, aut scelestus famosus et atrox, in crucem excelsam iste attollebatur. Exemplum e Suetonio affert Lips., *De cruce* 3, 13 ; aliud e Just. *Hist.* 18, 7 vide ap. *Byn. l. c. Ideo etiam Albertus Dürer Jesum a robore pendentem *altiori* pinxit ; eamdem opinionem adstruit *Bartholin. *Ep. ad Salmas.* Verum cum neque Judaei nec Romani Christum e nobilitate hominem, sed fabri filium existimarent, verisimile omnino est, ejus crucem haud valde fuisse excelsam ; quod multiplici confirmatur ratione :

Argumenta specialia de cruce Jesu.

1° Jesus infame lignum initio portavit, et deinde Simon Cyrenaeus vices ejus supplere coactus fuit (pro certo ponimus Simonem solum, non autem simul cum Domino onus subiisse, q. 833), cui ferendo, si admodum ingens fuisset, vires hominis pares non fuissent.

2° Multi titulum cruci impositum legerunt J. 19, 20 ; quod commode fieri non potuisset, si alta fuisset arbor ; quum literarum forma, ut etiamnum licet inspicere in ss. Reliquiis istius Tituli Romae asservatis, non valde magna esset.

3° Adde cauli hyssopi, qui non valde longus erat, ut infra dicemus, impositam fuisse spongiam ori Jesu admovendam. Adde mentem fuisse militibus ut crura ejus frangerent, et istud non fecisse ideo tantum quod eum jam mortuum viderent. Adde tandem ejus latus lancea (quali pedites Romani utebantur, non admodum longa) confossum fuisse. Quae quidem omnia patibulum satis humile innuunt.

4° Neque hoc oblivioni dandum, sontes in crucem antea erectam actos fuisse (q. 849), et quidem, ut videtur (ibid.), absque scalarum adjumento, quod sane difficillimum fuisset, si stipitem ponamus excelsum.

Ergo Christus, e patibulo pendens, **parum elatus** erat supra terram : attamen **crux tota satis magna** dici debet, tum quod in fossa profunda esset plantata, tum quod statura Salvatoris non exigua fuisse videtur (nihil enim probat ipsum justam hominum staturam non attigisse) ; imo vero sunt qui autument proceram valde fuisse Jesu staturam, scil. metr. 1, 84 vel circiter (Rohault). Vid. ad calcem hujus libri Append. 1m, § 2. Supra, in nota marginali ad M. 27, 33, mensuras crucis probabiliores tradidimus.

De sedili in media cruce.

***Q. 851.** An in media cruce erat aliquod **sedile** in quo Jesus equitabat ? Secundum opinionem Bosii *De cruce triumph.* 1. 6, Serry *Exercitat.* 53, Jahn,

Allioli *Alterth.* 1, 83, Bisp., Danko, Corluy, Knab, * Winer a. *Kreuzig.* et * Smith *Dict.* a. *Cross*, erat sedile, quod in media cruce fixum eminebat, et in quo equitabat cruciarius. Hinc illae phrases apud veteres scriptores obviae : *in cruce equitare, cruce invehi, acuta cruce sedere*, in ea *requiescere*. Cf. Jahn, *Archaeol.* 255.

Veterum testimonia pro sedili.

Praeter locutiones quas statim indicavi, citatur imprimis s. Justinus M., qui vivebat eo tempore quo supplicium crucis erat in usu : ipse in *Dial. cum Tryph.* 91 scribit de sedili : « το εν τῳ μεσῳ πηγνυμενον ὡς κερας και αυτο εξεχον εστιν, εφ' ᾧ « εποχουνται οἱ σταυρουμενοι, quod in medio impactum est sicut cornu, illud ipsum « eminet, in quo vehuntur cruciarii. »

Sensus esse videtur : in medio arrectarii stipitis (nota *in medio*, non in parte inferiore) habetur lignum aliquod impactum (seu sedile ligneum), quod eminet et formam quamdam cornu refert ; sicut tria alia cornua sunt, sc. unum in summa cruce, et duo in extremo ligno transversario : vult enim auctor demonstrare in cruce haberi quasi 4 cornua, adeo quidem ut, quod Deut. 33, 17 de monocerote secundum Vulg. (hebr. melius de *bubalo*, ut probat *Gesen. *Lex.* רְאֵם) dicitur, sc. quod *cornu ventilet* etc., accommodari debeat cornibus crucis. In hoc autem ligno, quod in medio stipite est impactum, sontes, ait, *vehuntur*, εποχουνται, i. e. eo insident, quemadmodum in equo seditur, cruribus hinc et inde pendentibus.

Sunt tamen (Lips. *De cruce* 2, 10) qui verba s. Justini de ligno sub pedibus posito intelligant : isti loco *vehuntur* vertunt *insistunt*, hoc sensu : stant super scabellum, sicut quis staret super currum (επι et οχος *currus)*, sicut milites olim *stantes e curribus* pugnabant. Ita etiam Curt. *De clav. Dom.* At vero, prior sensus magis obvius mihi videtur.

Pariter s. Iren. *Adv. haeres.* 2, 24 : *Ipse habitus crucis*, inquit, *fines et summitates habet quinque, duos in longitudine, et duos in latitudine, et unum in medio, ubi requiescit qui clavis configitur*. Aliqui tamen, cum Lips. l. cit., ad scamnum pedum etiam hoc referunt, sic : ubi *requiescit*, i. e. cui tamquam adminiculo insistit. Sed haec explicatio vim infert verbis, deinde obstat *in medio*.

Adde Tert. *Ad nat.* 1, 12 : « Pars crucis, ait, et quidem major, est omne robur « quod erecta statione defigitur. Sed nobis tota crux imputatur, cum antenna « scilicet sua, et cum illo *sedilis excessu*. » Citatur etiam Tert. *Adv. Jud.* 10, et *Adv. Marc.* 3, 18, ubi hunc sedilis excessum cornui unicornis videtur comparare : « In « antenna navis, ait, quae crucis pars est, extremitates cornua vocantur : *unicornis « autem e medio stipitis palus*. » Sed Moreau in ed. sua Tert. legit : « Unicornis autem, media stipitis, palus » ; quod significare videtur : media autem pars crucis, quae stipitis est, scilicet palus, vocatur unicornis. Si hic sit sensus verus, Tertullianus ibi loquitur tantum de duplici crucis ligno, recto sc. et transverso.

Quoquo modo ista se habeant, ad sedile, opiner ego, spectat illud Maecenatis apud Sen. *ep.* 101 :

« Vita dum superest bene est ;
Hanc mihi vel *acuta*
Si sedeam cruce, sustine. »

Nolim enim cum Lipsio verba ista intelligere de poena, qua homo ab imo ad summum per medium transfigitur (gall. *empaler)* : hoc sane non est *sedere cruce:* bene nota Senecam loqui de *cruce*. Cf. not. Paq. ad Mol. *Hist. s. imag.* 4, 4.

Argumentum a ratione pro sedili.

Si lignum sub pedibus non fuerit (et ut dicemus q. 853, videtur non fuisse), omnino necessarium erat *sedile*, ut manus molem corporis sustinerent (contra Fontanum in *Resp. ad Chifflet.)*; imo vero, non sufficeret pedum adminiculum: nam corpora apud Romanos in cruce manere solebant donec tabo diffluerent; quando autem membra putrescere incepissent, manus cadaver retinere non potuissent (*Byn. *De morte J.)*.

Tandem, neque illud praetermittendum videtur, per equulei usum **multo facilius** fuisse hominem ad crucem antea erectam agere eique affigere: unde et apud Japonenses in isto supplicio sedile adhibitum fuisse narratur.

Objectiones.

Contra sedile, aeque ac contra suppedaneum (de quo q. 853), objicitur Act. 5, 30 et Gal. 3, 13, ubi Christus dicitur *suspensus* et *pendens in ligno*. Respondetur verbum illud non tam stricte sumendum esse, ejusque sensum satis exprimi per hoc ipsum quod corpus sit arbori seu stipiti recto affixum, et aliquantulum super terram elevatum.

Rohault de Fleury hanc opinionem de sedili tamquam falsissimam respuit: sed verbis s. Just. et s. Iren. vim inferre pro libitu cogitur. Errat etiam auctor ille, quando affirmat sedile rejici a Ben. XIV: hic enim utramque adducit sententiam, neque alteram alteri praefert.

Paxillus ille, quo Jesus sedisset, in **iconographia** christiana numquam oculis depictus fuit. Usque ad sec. V nuda tantum crux referebatur, et, sicut omittebantur clavi, etiam paxillus ille appingi non debuit. Postea vero, quando Christi corpus in cruce effingebatur, sedile illud vel omittebatur, quia parum venusta erat istiusmodi rei figura; vel censebatur absconditum per vestimentum promissum et sat amplum, quod in vetustissimis imaginibus corpus tegit, ut q. 854 dicemus. Inde memoria istius sustentaculi paulatim sublata, scabellum pedum additum fuit. De cetero, in effingenda crucifixione usum vulgarem et jam diuturnum sequi decet: *pas trop de réalisme dans l'art chrétien.*

Nunc autem agendum esset de quaestione arcte connexa, nempe de *scabello pedum;* sed antea utile erit notare consectarium, omni attentione dignum, quod ex admisso sedili in media cruce eruere possumus, de quo q. seq.

Brachia Jesu in cruce humeris altiora non erant.

***Q. 852.** An Jesus in cruce brachia erigebat? Brachia Christi cruce sedentis, seu in ea equitantis, fuerunt tota quanta extensa, adeo quidem ut istorum situs finienti seu *horizonti* ad libellam responderet (gall. *les bras étendus horizontalement)*, et **caput altius quam manus** prorsus esset *(les mains n'étaient pas plus élevées que les épaules)*. Cf. Tert. *Adv. nation.* 1, 12: « Si, ait, statueris hominem manibus expansis, « imaginem crucis feceris », atque etiam imaginem hominis cruci affixi. Quamobrem improbandus est mos effingendi Jesum cum brachiis in altum elevatis, totumque corporis pondus sustinentibus (1).

(1) Reusens *Arch.* I, 459 sq.: *Dans les anciennes représentations connues du Sauveur en croix, les bras de* Jésus *sont toujours étendus dans une position strictement horizontale.* Inde tamen **certum** deduci nequit argumentum pro quaestione nostra historica, quia non admodum antiquae sunt istae imagines (*les plus anciennes connues,* ait idem, *ne remontent qu'à la seconde moitié du 6e siècle*), deinde quia non rei veritatem sequi solent (*tout est symbolique*, cf. q. 855).

Jansenistae, ut fertur, hanc formam Christi e cruce pendentis ex pravo fine praeferebant, ut significarent Salvatorem non pro omnibus hominibus, sed pro solis praedestinatis, mortuum esse. Et re quidem vera, brachia late expansa, secundum s. Ambr. *in Luc.* l. 10, n. 110, indicium sunt Redemptoris omnia ad se trahentis, et pro omnibus mortui: cf. J. 12, 32 *Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Huc accommodari aliquo modo possunt haec Is. 65, 2 verba pulcherrima, quae in sensu metaphorico dicta fuerunt de Deo invitante Judaeos ad conversionem: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum* etc. (hic locus paulo aliter citatur Rom. 10, 21).

De scabello pedum.

***Q. 853.** Numquid praeter sedile erat scamnum seu asserculum quo pedes niterentur?

R. Res est **multum controversa** et plena dissensionis inter doctissimos: plures enim (Knab.) dicunt minus probabile esse hujusmodi scabellum adfuisse, propterea quod apud scriptores profanos antiqui aevi hujus ligni vestigium vix ullum reperiatur; praeterea verba ss. Just. et Iren., quae a Lipsio de suppedaneo intelligúntur (vide supra q. 851), de sedili sumenda videntur. Nummus quidem vetus apud eumdem Lips. tabulam sub pedibus spectandam offert; habetur etiam in aliqua imagine apud Arríngh. in *Roma subterr.* Sed istae imagines non pertinent ad tempus satis remotum, ut certum quid inde concludi possit.

Argumentum tamen firmius ex imagine illa Garrucci, de qua q. 844, quae sub pedibus crucifixi exhibet trabem transversam, in qua stare videtur iste, merito desumitur: inde enim concludit Martigny *Dict. des ant. chrét.*, a. *Crucif.* suppedaneum apud Romanos in usu fuisse.

Quod porro attinet ad veteres scriptores, primus de hujusmodi pedum fulcro loquitur s. Greg. Tur. († 594, ergo quando supplicium crucis jam diu erat abolitum), *De gl. mart.* 1, 6: « Super hanc tabulam (in ima parte stipitis medii), « tamquam stantis hominis, sacrae adfixae sunt plantae. » Illud etiam admittit auctor poematis *Christus patiens* (quod olim s. Greg. Naz. adscriptum fuit, sed probabiliter seculo tantum 6° prodiit), v. 664. Cf. Langen, et Grets.

Certe, **si non fuisset sedile** in media cruce, saltem adminiculum quoddam pedibus supponendum fuisset; secus enim manus clavis transfixae corporis pondus sustinere non potuissent, sed discissae clavos inter digitos emisissent. Id ultimum tamen non admittunt *Bartholinus *De cruce* c. 1 (qui tamen aliter sentit in tr. *De latere Chr. aperto)*, Calm. *Dict.* a. *clavus*, et Corluy qui asserit manuum pedumque nervos sufficere ad sustinendum corporis pondus.

Opinio singularis. Aliqui contenderunt non ipsas manus fuisse perforatas, sed eam brachii partem quae manum proxime attingit: ita Jesum depinxit **Rubens** in civitate Antverpia, ideo a concionatoribus ejusdem temporis **acriter reprehensus**. Et merito quidem ipsi adversati sunt sacerdotes, quum ista opinio sit prorsus falsa et Scripturae contraria. Ei quidem favet Lips. *De cruce* 2, 10 ob hanc rationem, quia Plaut. *Mostell.* 2, 1 diserte scribit *brachia* affigi. Verum invalida est haec ratio, nam *brachia* poetice nominantur pro *manibus*. Sunt qui sententiae isti vere insolitae etiam hoc opponant (*Bartholin. *De cruce* 1, 9): per clavos, si in eam brachii partem, quae manui proxima est, vi mallei adacti fuissent, quum sat crassi essent, arteriam ibi sitam rumpi facile potuisse, unde mors statim secuta

fuisset. Sed medicus peritus, a me ea de re interrogatus, periculum illud arteriae aperiendae non admittit.

Alia opinio mira. Nec minus praepostera videtur mihi illa opinio quam A Lap. *in M.* 27, 35 ex Mallonio piscatus est: clavos per istam brachii partem transverse adactos fuisse in manus; idque concludi posse ex maculis quae in s. Taurinensi Sindone conspiciuntur. Utrumque autem omnino rejiciendum esse testatur Ben. XIV, *De festis* 7, 87.

Conclusio. Equidem nihil per se obstare videtur quominus praeter sedile etiam scabellum admittamus, saltem stipiti superpositum, adeo ut cruciarius, sedens in sedili cruribus inflexis, plantas pedum haberet suppedaneo applicatas. Attamen verius dicemus, cum Allioli *Alterth.* 1, 83, sedile prius praetermissum fuisse ob rationes quasdam decentiae et venustatis (gall. *des motifs esthétiques*); unde postea factum sit ut saltem scamnum sub pedibus addendum esse videretur (1).

Jesus nudus in cruce.

***Q. 854.** 1° An Jesus erat *prorsus* nudus? 2° Quare ita effingi nequit? R. ad 1m. Res in controversiam vocatur.

Prior sent. negans.

Plerique auctores non credunt Jesum prorsus nudum fuisse, absque subligaculo, aut velo, aut linteo circa verenda. Certum quidem est, aiunt, atque auctorum antiquorum testimonio comprobatum, cruciarios *nudos* fuisse patibulo affixos; sed vox *nudus* saepe adhibetur sensu quodam latiore, de eo qui vel pauperrime vel levissime sit vestitus; cf. q. 978. Sic Dion. Halicarn. 1, 80 *nudos* vocat quos dicit supercinctos ad verenda. Sic *nudi juvenes*, de quibus loquitur Livius 5, dicuntur apud Val. Max. 2, 2, 9 *cincti pellibus immolatarum hostiarum*. S. Aug. *De civ. Dei*, 14, 17 testatur juvenes, qui dicebantur *nudi* exerceri in campo, campestria i. e. subligacula vel vela ante virilia habuisse: cf. Hor., *Ep.* 1, 11, 18; Virg. *Georg.* 1, 299 *Nudus ara, sere nudus*. Similiter apud Hebraeos 2 Reg. 6, 20, 14 David coram Arca saltans dicitur *nudatus*, et tamen erat indutus Ephod lineo. J. 21, 7 Petrus in navicula laborans dicitur *nudus*, non certe absque ullo indumento. Videsis Grets. *De cruce* 1, 12; Langen, *Die letz. Lebenst.*

Ex scriptis antiquitatis constat Romanos non tam facile quam Graecos admisisse nuditatem. Cic. *De off.* 1, 35: « Quae natura occultavit, ait, eadem omnes qui sana mente sunt removent ab oculis. » Athletae pugnare debebant succinctis lumbis.

---

(1) Notat Schuster *Bibl. gesch.* II, p. 391, 3a ed., in antiquissimis effigiebus nec sedile nec scabellum pedum fuisse. Alii hoc negant (vide Ben. XIV, *De festis* 7, 85); v. gr. Reusens *Arch.* I, 459 dicit usque ad sec. IX pedes *saepenumero* scabello niti; dein II, 464 asserit tantum sec. XIII morem introductum fuisse praetermittendi suppedaneum. Pariter Martigny, *Dict. des ant. chrét.*, a. cruc.: « Nous croyons que le système du suppedaneum est le plus ancien dans les pratiques de l'iconographie. »

Accedit Judaeos ea in re etiam fuisse valde severos, et certe Romani eorum moribus repugnare noluerant, sic v. gr. permiserunt vinum praebere myrrhatum.

Corluy citat etiam J. 21, 18 *Cum autem senueris,... alius te cinget, et ducet quo tu non vis:* istud *cinget* intelligit de cingulo circa lumbos, quia opponitur verbis *cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas.* Juxta hanc explicationem oportet inversionem quamdam supponere in *te cinget et ducet:* cf. q. 982.

Maier in *Kirchenlex. v. Wetz. u. W.* a. *Crucifiem.* putat opinioni de velo favere J. 20, 15, ubi narratur Jesum sumptum fuisse ut hortulanum, adeoque ipsum apparuisse cum linteo satis lato in medio corpore, sicut solent operarii in regionibus calidis. Verum deductio infirma est: an Jesus haberi non potuisset ut hortulanus nisi ita esset denudatus? An hortulani tempore *verno* et *primo mane* in Palaestina ita nudati laborant? An decens fuisset talis apparitio?

Firmius est testimonium. Evang. apocr. Nicod. 10: *Exuerunt eum vestimentis et linteo succinxerunt.* Sunt qui addant in antiquissemis imaginibus Jesum indui perizomate usque ad genua descendente (Corl.): sed nihil inde concludi potest, quia in omni casu non liceret corpus prorsus nudum effingere.

Altera sent. affirmans.

Multi tamen autumant Jesum prorsus nudum fuisse; ita Ben. XIV, *De festis*, qui et alios citat. Videsis eumd. *De can. ss.* l. 3, c. ult. Pariter Lipsius *De cruce* 2, 17, Suarez, Calmet etc. Isti nituntur imprimis Artemidoro: sed verba hujus rem non probant: dicit enim *Oneirocr.* 2, 58: « Crucifigi bonum pauperi, quia « sublimis est crucifixus; noxium vero diviti, quia *nudi* (γυμνοι) crucifiguntur. » Adducunt etiam Arrianum *In Epict.* 4, 26, qui ait: « Et in balneo exutus vestibus « (εκδυσαμενος), et extendens te ipsum, ut solent crucifixi, friceris hinc et illinc. » Hoc testimonium firmius est quam praecedens; posset tamen dici verba *ut solent crucifixi* praesertim ad *extendens te ipsum* referri.

Utcumque exponenda sint istorum verba, certum est 2m sententiam admitti a s. Ambr. *In Luc.* l. 10, n. 110, qui Christum in cruce cum Adamo nudo in Paradiso, et a s. Aug. *De civ. Dei* 16, 2; *Contra Faust.* 12, 23, qui eumdem cum Noe ebrietate nudato comparant. Huic ultimo concinit s. Cypr. *Ep. 63 ad Caecil.* Cf. etiam Pseudo-Athan. *Serm. de cruce*, n. 20.

Alia opinio solis nixa conjecturis.

Alia, praeter duas illas eruditorum sententias, occurrit paucorum opinio, quae mera *conjectura* potius dicenda est. Haec ponit tamquam verum, damnatos ad crucem fuisse quidem perfecte nudos; sed putant singulare quid Jesu hac in re contigisse. V. gr. apud Ps.-Ans. (*De Pass. Do.*, qui quidem libellus *fabulis et puerilibus nugis oppletus est*, teste ed. Bened.): « Nudaverunt, ait B. Maria ..., Jesum... totaliter vestibus suis, et ego exanimis facta fui [absit]; tamen velamen capitis mei accipiens [exanimis facta?], circumligavi lumbis suis [ejus]. » S. Birg. *Revelat.* 4, 70 narrat, idque ait se a B. Maria accepisse, hominem quemdam, miserationis sensu tactum, Christo velum dedisse quo tegeretur: sed, ut ait Ben. XIV, hae **piae** quaedam sunt **commentationes, quae dirimendae controversiae nihil quidquam proficiunt.** « In talibus revelationibus, inquit Papebr. *Acta SS. vindic.*, seu *Resp. ad P. Sebast.*, a. 30, nihil est praesidii ad quaestiones pure historicas, seu sacrae illae, seu profanae sint, prudenter dirimendas. » Ita etiam Muratori *De ingen. moder.* 1, 17; et Amort *De revelat.* t. 2.

Jesus in cruce nimis nudus effingitur.

R. ad 2m. De cetero, etiamsi ponamus, quod haudquaquam certum comperlumque est, Salvatorem prorsus nudum in cruce pependisse, omnino decet et severe praescribitur ut Christi crucifixi imagines cum velo ante verenda effingantur : imo vero, forsitan **melius esset totum corpus cooperire tunica,** qualis in antiquissimis conspicitur imaginibus (1), vel saltem mediam corporis partem breviore induere veste, ut olim semper fiebat apud Graecos in *stylo Byzantino*. Etenim piae effigies, aut pictae, aut sculptae, *realismum* sapere non debent : in omni arte praeclara, quae *dux certior quam natura* (Cic.) dici meretur, haud pauca sunt quae **ex pacto** et convento, aut **secundum usum translatitium,** formanda atque exprimenda sint, etiam rei ipsius veritate interdum neglecta. *L'art n'est pas la représentation crue et physique de la nature, mais la reproduction d'un idéal plus pur et plus élevé :* cf. P. Felix, *Confér. de* 1867.

Jesus in cruce coronam spineam gestabat.

***Q. 855.** Vetus (2) et pia traditio, ait Ben. XIV, refert Jesum in cruce pendentem coronam spineam capite gestasse. Tert. *Contra Jud.* 13 disertissime : Jesus, ait, erat *inhaerens cornibus crucis, corona spinea in capite ejus circumdata.* Id etiam testatur Evang. apocryph. Nicod. 10. (3) Imo vero, Orig. *H.* 35 *in M.* hanc sententiam argumento quodam Scripturistico confirmat, inde petito quod vestis purpurea dicatur detracta, non vero corona spinea. De cetero, quum Christum cruci addixerint nomine affectati regni, idque in ipsa crucis inscriptione testati sint, admo-

---

(1) **Quare Jesus in cruce hodie non vestiretur colobio ?** « Toutes les plus anciennes images de Jésus en croix, ait Martigny *Dict. des ant. chrét.*, a. *Crucifix*, parvenues jusqu'à nous, presque sans exception, nous le montrent couvert d'un *colobium*, ou tunique sans manches, descendant jusque sur les pieds. » Pariter Reusens *Arch.* I, 459 sq. — Narrat s. Greg. Tur. *De gl. mart.* c. 22, ap. Ruin. c. 23, per visionem miraculosam jussum fuisse ut imago Christi crucifixi vestimento cooperiretur. Optima sane praescriptio ; quamquam imagines istae minus elegantes haud paucis pictoribus videbuntur. — Imago Garrucciana, de qua q. 844, hominem crucifixum refert *vestitum*, ideo fortasse quod christiani solerent Jesum in cruce ita effingere.

(2) **Quid notandum de antiquis imaginibus.** Corluy : antiquissima, ait, quae exstat crucifixi imago (sec. v) refert Christum cum corona murali, non cum corona spinea. Garucci, sicut Münz (cit. ap. Pierik, *Lyd. J.*), affirmat omnes veteres Christi crucifixi imagines absquecorona spinea esse effictas : talis est ex. g. imago antiquissima quam Martigny l. c. delineavit. Idem docet Reusens *Arch.* 1, 457 sq. hisce verbis : *Dans la 1re période des représentations connues du Sauveur en croix, depuis la dernière moitié du 6e siècle, jusqu'au 9e, la tête du Christ est nue, sans couronne, entourée d'un nimbe : quelquefois une couronne est suspendue au-dessus de la tête. C'est seulement au 11e et 12e siècle que la couronne est ordinairement placée sur la tête du Christ dans les croix d'autel. Cette couronne d'ailleurs n'est pas d'épines, mais une couronne royale, de forme crénelée : elle rappelle les couronnes murales que les Romains décernaient à celui qui escaladait le premier les murs d'une ville assiégée.* Nihil tamen inde concludi potest contra sententiam eorum qui tenent Jesum in cruce gestasse coronam spineam : namque, ut ait scriptor modo nominatus : *Toute cette période* (jusqu'au 13e sièc.) *est symbolique : on a voulu uniquement rappeler le triomphe de Jésus, en écartant tout ce qui peut avoir l'apparence de l'opprobre ou de la souffrance. C'est seulement au 13e sièc.* (addit idem p. 464 sq.) *que commence l'époque de la souffrance et de la réalité pour la représentation du Christ en croix : de là ces contorsions violentes et disgracieuses, et la tension presque verticale des bras dans les crucifix gothiques. La couronne d'épines, presque inconnue auparavant, paraît de temps en temps au 14e siècle.*

(3) Testimonium illud Evangelii Nicodemi magnam auctoritatem non habet, quia affirmat coronam spineam in Calvaria primum impositam fuisse : « Et, ait, quando venerunt ad locum (crucifixionis)... » coronam de spinis (στεφανον absque art. *une couronne d'épines*) imposuerunt super caput ejus. »

dum verisimile est eos coronam, insigne atque indicium regni, in sacro Jesu capite reliquisse. Ita etiam Grets. *De cruce* 1, 22.

Neque obstat tunicam, quae suturam nullam habebat, exui facile non potuisse, nisi antea ablata fuisset corona : nihil enim impedit quominus dicamus coronam abreptam paulo post rursum impositam fuisse (quod censet s. Birg., *Rev.* VII, 15 coll. I, 10 et IV, 70), vel vestem illam superne apertam fuisse quantum necesse esset ut corpus nudaretur absque eo quod removeretur corona.

Jesus in cruce occidentem respexisse videtur.

***Q. 856.** Ad quam coeli plagam conversa erat facies Jesu cruci affixi ?

R. Occidentem respiciebat Jesus, secundum Luc. Brug., qui citat Sedulium *Carm.* 4 : *Arcton*, canit ille, *dextra tenet, medium laeva erigit axem.* Ita etiam Ven. Beda *in L.* et Damasc. mox citandus. Quod si verum sit, **dorsum** ejus **ad Hierosolymam** versum erat : idque ut fieret, certe Judaei a militibus postularunt, propterea quod Jesum Urbis Sanctae aspectu indignum reputarent. Forte rem ita disposuit Providentia, ut significaretur Judaicam religionem abolendam esse, atque exteras gentes ad fidem vocandas : huc accommodare possumus haec Jer. 18, 17 verba quae in sensu tantum metaphorico apud Prophetam dicuntur : *Dorsum, et non faciem, ostendam eis in die perditionis eorum.*

Ideo, secundum quorumdam opinionem, populus christianus Deum precatur **ad orientem** conversus, quasi Jesu in cruce sedentis **faciem** intuens. Inter alios s. Joan. Dam. *De fide orth.* 4, 13, al. 18 : « Dominus cruci affixus, ait, ad occidentem « respiciebat, et sic adoramus ad ipsum oculos defigentes » ; scriptor ille loquitur de more christianorum, qui adorant facie ad orientem versa (de quo more Tert. *Apol.* 16, s. Bas. *De Sp. s.* 27, 66, aliique Patres citati ap. Coteler. *Patr. Apost.* ad Const. Ap. 2, 57).

Ob hanc multasque alias rationes *symbolicas* (quas refert Durand. *Rat.* 5, 2, 57, quarumque praecipuam indicabo q. 1091), ecclesiae nostrae **ad orientem** converti solent, et quidem ab antiquissimis jam temporibus (ut id fiat praecipitur in *Const. Apost.* 2, 57 ; cf. Lebrun *Expl. Missae*, t. 2, Diss. 1, a. 8) ; **adeo ut imago Christi** crucifixi, in altari majore exposita, **occidentem prospiciat.**

Crucis supplicium proprie Judaicum non erat.

Supra jam notavi supplicium crucis *Romanum* fuisse : in imperio autem Romano usitatum fuit usquedum sec. IV a Constantino M. abolitum fuit, teste Sozom. 1, 8.

***Q. 857.** 1° Judaeisne usitatum erat crucis supplicium ? 2° Obiter indica quaenam fuerint poenae capitales secundum legem Mosaicam.

R. ad 1m. **Non erat** supplicium **lege Mosaica statutum**, neque apud Judaeos usitatum ante Romanorum dominationem, nisi in casu extraordinario tamquam crudelitas praeter legem adhibita : cf. Flav. Jos. *Antiq.* 13, 14, 2 ; *B. Jud.* 1, 4, 6, ubi narrat jussu Alexandri, filii Hircani, octingentos in media civitate captivos in crucem actos fuisse. Apud Judaeos tamen, aetate Christi, supplicium crucis apprime notum erat, adeo quidem ut per verborum translationem universe sumeretur pro qualibet poena gravissima ; cf. q. 847 in nota marg.

Objectio diluitur. Sunt qui contendant supplicium crucis etiam ab Hebraeis receptum fuisse (Calm., *Diss. de suppl.*), et nituntur 2 Reg. 21, 6-9, ubi in versione

Vulg. dicitur quosdam a Gabaonitis fuisse *crucifixos* : at vero hebraica verba ita videntur intelligenda (cum Allioli, qui remittit ad Num. 25, 4, ubi talem opinionem tenet), ut miseri isti viri prius fuerint occisi et dein patibulo suspensi vel affixi, quemadmodum aperte dicitur factum fuisse de quinque regibus Chananaeorum, Jos. 10, 26 ; ali locum illum 2 Reg. de strangulatione per suspendium interpretantur.

R. ad 2m : vide infra ad calcem, q. 1177. Quaedam ibi dicemus de variis capitis poenis Lege statutis : quod quidem exponere utile erit ut Moyses defendatur adversus accusationes olim a Thonissen, vero catholico, imo profess. Univers. Lovan., imprudenter et immerito editas.

De supplicio Jesu generatim spectato unica manet quaestio hic tractanda.

Quamdiu Jesus in cruce pependerit.

***Q. 858.** 1° Quamdiu, generatim loquendo, homines cruci affixi in isto supplicio vivebant ? 2° Quamdiu eorum cadaver patibulo suspensum manebat ? 3° Quanto temporis spatio Jesus, tum vivens, quum mortuus, ligno infami adhaesit ?

R. ad 1m. **Amplius duodecim horis** plerumque vivebant, saepe usque ad diem sequentem, imo vero nonnumquam usque ad tertium diem et adhuc diutius : ut testantur Petron. *Sat.* 111 et Eus. *H. E.* 8, 8, adeo ut fame conficerentur lente. Narrat Wiseman *Discours sur les rapp.* etc., 5e Disc., juvenem quemdam robustissimum per duos dies vixisse in cruce. Quando Romani supplicii atrocitatem mitigare volebant, sontis crura frangebant, ut mors citius accideret *(on lui donnait le coup de grâce)*. Vide infra, q. 921 sq.

R. ad 2m. Apud Romanos cadaver in patibulo **suspensum manere solebat** donec a volucribus depastum, vel corruptione consumptum esset : Plaut. *Milit. glor.* 2, 4, 19, *Scio crucem mihi fore sepulcrum.* Horat. *Epist.* 1, 16, 48 *Non pasces in cruce corvos.* Alia testimonia indicat *Winer *Rwb. Kreuzig.* Verumtamen in ipsa urbe Roma **corpora deponebantur,** teste Quintill. *Decl.* 6, 9 : *Cruces succiduntur, percussos sepeliri carnifex non vetat.* Illud etiam in Provinciis nonnumquam fiebat per exceptionem, nimirum quando instabat aliquis festus dies, v. gr. dies natalis Imperatoris (Philo in *Flacc.* II, 529).

Apud Judaeos vero consuetudo erat ut **cadavera** ante solis occasum **auferrentur :** Deut. 21, 22 *Quando homo... appensus fuerit in patibulo* (certe post lapidationem q. 1177) *non permanebit cadaver ejus in ligno, sed in eadem die sepelietur ; quia maledictus a Deo est qui pendet in ligno ; et nequaquam contaminabis terram tuam.* Cf. Jos., *B. J.* 4, 5, 2, citat. q. 933. Et hunc Judaeorum morem tolerabant Romani, J. 19, 31.

R. ad 3m. Servator vivus pependit per **tres** circiter **horas**, a meridie ad horam nostram tertiam (cf. q. 814) ; mortuus vero usque ad vesperam, puta usque **ad horam fere quintam :** videsis infra, q. 936.

Tandem quaedam trademus de inventione crucis Dominicae ; sed haec melius ponentur ad calcem in Append. IV, Excurs. 47, q. 1178.

Obiter de signo Crucis, quo christiani crudele Domini supplicium grato animo recolunt, atque etiam de inscriptionibus quae imagini Jesu crucifixi apte supponi possint, pauca addere lubet.

Q. 859. Signum Crucis.

Jam primis Ecclesiae seculis **in usu frequenti** erat signum crucis. Tert. *De corona milit.* 3 : « Ad omnem, ait, progressum atque promotum, ad omnem aditum « et exitum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quaecumque « nos conversatio exercet, frontem crucis signaculo terimus. » Cf. s. Cypr. *Testim.* II, 21, 22, et Lact. *Instit.* IV, 27. Testatur s. Aug. *In Ps.* 50, 1 adeo communem fuisse sua aetate morem faciendi signum crucis, ut dicat christianos, vel in ipso circo, si aliqua ex causa expavescerent, continuo se signasse in fronte. Idem *In Joan.* tr. 3, 2 : « Signum Christi est humilitas ejus... Noluit stellam esse in fronte fidelium signum « suum, sed crucem suam. » S. Hier. *Ep. ad Eustoch.*, ep. 22, 37 ap. Migne : « Ad « omnem actum, ad omnem incessum, manus pingat Domini crucem. » S. Chrys. *Hom. in M.* 16, 22 : « Domi, et in parietibus, et in fenestris, et in fronte et in mente, « crucem cum multo studio depingimus. »

Sub imagine JESU cruci fixi quid scribendum.

Quaest. 860.

Liber Sanctorum divinissimus, inexhausta refertus doctrina, imago est Jesu cruci affixi : cujus quidem doctrinae capita praecipua, a nobis diligenter meditanda, tamquam epigraphen libro isti praefigendam, eleganti stropha paucis descripsit Santolius, hisce verbis :

En celsa *Sedes*, qua docuit Deus ;
Vitalis, in quo nos peperit, *Torus* ;
Currus triumphantis ; *Tribunal*
Judicis ; atque litantis *Ara*.

Atque haec quidem iste : suaviora autem Ecclesia : *Ecce*, canit, *lignum crucis, in quo salus mundi pependit ; venite, adoremus !* Fer. 6ª in parasc.

Ecce crucem Domini : fugite partes adversae ! Off. inv. s. Crucis, 3ª Maii.

Per signum crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster. Ib.

Salva nos, Christe Salvator, per virtutem crucis. Ib.

Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi,
Quia per crucem tuam redemisti mundum. Ib.

Christus se tibi,
Tu te Christo !
Er für dich,
Du für ihm !

Mors unius
Omnium vita.

In ecclesia B. M. V. Brugis sub ingenti Crucifixi imagine, mira arte sculpturae laborata, quae ad introitum chori pendet in alto, legitur haec inscriptio : SIC DEUS DILEXIT MUNDUM (J. 3, 16).

Sed haec hactenus : tempus est ut unde digressa est, et amplo quidem spatio, eo referat sese disputatio nostra. Quae si longior

fuerit, cum magnitudine argumenti comparetur : ita fortassis etiam brevior videbitur. Nunc igitur Evangelicam repetimus narrationem.

N° II. Latrones cruci etiam affixi.

Praeced. vide ante q. 863.

M. 27, 38. Tunc crucifixi sunt cum eo duo latrones : unus a dextris, et unus a sinistris. 39 Praetereuntes autem etc. *Vide ante q. 867.*

Praeced. ante q. 863.

Mc. 15, 27. Et cum eo crucifigunt duos latrones : unum a dextris, et alium a sinistris ejus. 28 Et impleta est scriptura, quae dicit : Et cum iniquis reputatus est. 29 Et praetereuntes etc. *Ante q. 867.*

Praeced. ante q. 836.

L. 23, 32. Ducebantur autem et alii duo nequam cum eo ut interficerentur. 33 Et postquam pervenerunt in locum qui vocatur Calvariae, ibi crucifixerunt eum, et latrones, unum a dextris, et alterum a sinistris. 34 Jesus autem etc. *Ante q. 862.*

Praeced. ante q. 843.

J. 19, 18... crucifixerunt eum, et cum eo alios duos, hinc et hinc, medium autem Jesum. 19 Scripsit etc. *Ante q. 863.*

Q. 861. 1° Quinam simul ac Jesus crucis supplicio affecti fuerunt ? 2° Quo oraculo illud praedictum fuit ?

R. ad 1m. **Duo** latrones λῃσται (non κλεπται), M., Mc., i. e. **praedones,** fl. *roovers, baanstroopers* (non proprie *dieven*, ut Angli dicunt *the two thieves*) ; apud L. vero v. 32 et v. 33 bis vocantur κακουργοι, *malefici*, facinorosi, fl. *kwaaddoenders*. Non dicitur conceptis verbis eos *homicidas* fuisse : ideo appellatio flandrica *de twee moordenaars* non est certo accurata. Verum, si Flandri forsitan crimen augent, Galli, ut videtur, nimis minuunt, quando dicunt *larron :* nam vox latina *latro*, sicut graeca λῃστης, sign. *brigand, bandit, voleur de grand chemin*. Id temporis hujusmodi praedonibus infesta erat Palaestina (Jos. *Ant.* 17, 10, 8; 20, 8, 10: cf. parab. de bono Samarit. L. 10, 30), atque adversus eos bellum quasi continuum agere debebant Procuratores Romani (Jos. *Bell. Jud.* 2, 13, 2).

Duo latrones, de quibus hic agitur, verisimiliter **Judaei** erant : saltem de latrone contumaci hoc colligi posse videtur ex eo quod Jesum vocet *Christum (Si tu es Christus, salvum fac* etc.), non, ut milites Romani, *regem Judaeorum*. Sunt qui putent latrones fuisse de numero seditiosorum, qui cum Barabba (cf. supra q. 790) capti

mortisque damnati fuerant : namque, aiunt, Barrabae supplicium eodem tempore exspectabatur, et aliunde novimus praedones illa aetate saepe praefuisse seditionibus populi Judaei adversus Romanos, vel factionibus quorumdam Judaeorum contra magistratus suos rebellantium. Sed hae sunt merae conjecturae.

Magis autem probabile est istos duos servatos fuisse ad Paschatis solemne sacrum, ut coram ingenti multitudine supplicio afficerentur : quod quidem in hunc finem solebat fieri, ut eo plures metu commoverentur : « Omnis enim poena, inquit Quintill. *Declam.* 275, « non tam ad delictum pertinet quam ad exemplum. »

Igitur, in crucem acti sunt cum Jesu, ideo sane quod ejusdem criminis rei habiti fuerunt, sc. **seditionis** : talis videtur fuisse mos Judaeorum, secundum Sanh. 14 (cit. ap. *Byn.) : « Numquam condemnant plures una die [et, supple, morte afficiunt], nisi ambo rei sunt ejusdem transgressionis. » Nota tamen ex L. 23, 40 (*in eadem damnatione es*, εν τω αυτω κριματι) probari non posse de eodem crimine (accusatione) agi : nam κριμα forsitan sign. hic *supplicium*.

Utcumque ista se habeant, latrones cruci confixi fuerunt, vel, ut innuit adverbium *tunc* M., postquam Jesus affixus fuerat ; vel, secundum sententiam Beelen, eodem tempore quo Jesus, atque adeo per milites alios. Huic ultimae opinioni favet M. v. 36 (cit. ante q. 864) *sedentes servabant eum :* ergo, postquam Jesum crucifixerant ejusque vestes diviserant, sederunt tamquam tales qui laborem suum perfecissent. Jam vero in crucifixione latronum, certe **clavi** per manus pedesque eorum adacti fuerunt, eodem modo quo Salvator ligno fuit affixus (1).

Patibula autem eorum juxta crucem Christi plantata erant, adeo quidem ut latronum alter a dextris Jesu, alter vero a sinistris ejus, Servator vero in medio atque in loco honoratiore esset (2), quasi **praedonum dux** caputque facinorosorum ; quod profecto igno-

(1) **Latrones etiam clavis affixi.** Etiamsi admittatur sontes ad crucem interdum vinculis tantum, non clavis, adstrictos fuisse, certum tamen est, ut diximus supra q. 845, Jesum clavis in manus pedesque adactis ligno infami affixum fuisse ; et nulla subest ratio quare sententiam ss. Aug. *in J.*, Chrys. *h. de cruce*, et Greg. *Mor.* 18, 23, relinquamus, et putemus latrones alio modo quam Christum supplicio affectos fuisse : eo vel magis quod si isti ligati, non confossi, fuissent, miraculo opus non fuisset ut s. Helena crucem Jesu a latronum patibulis distinxisset (de quo miraculo vide q. 1178). Igitur in latronibus cruci affixis **saepe errant pictores,** ut jam monui q. 845.

(2) Secundum s. Aug. *in J.* tract. 31, n. 11, Christus inter duos latrones imaginem refert extremi judicii : vide citat., q. 877.

miniae causa factum fuit, et forsitan ex ludibrio, quia se dicebat regem Judaeorum. S. Cyr. *in J.* : « Inter duos latrones, ait, cruci-« fixus est, ex malitia Judaeorum, qui, ut turpissimam mortem « ejus ostenderent, justum cum iniquis condemnarunt. » Verum, ut notat s. Chrys. *in J.* : « Inviti prophetiam implebant : quae « enim illi ad contumeliam faciebant, haec veritati inserviebant, « ut discas quanta sit ejus virtus. »

De hac autem praedictione nunc dicemus.

R. ad 2m. Mc. refert eventu comprobata fuisse haec Is. 53, 12 verba *Et cum iniquis reputatus est.* Verum authentia hujus versiculi apud Mc. a nonnullis in dubium vocatur, quia non legitur in codd. ABCDX : attamen hoc non sufficit ut certo rejiciatur cum Tischend., namque in omnibus fere antiquis versionibus reperitur. De cetero, eadem **Isaiae praedictio** certo habetur apud L. 22, 37, ubi Christus eam de se ipso recitavit in ultima Coena. Loquitur Propheta de *Servo Jehovae*, i. e. de Messia, et sensus est : *numeratus fuit inter iniquos* (peccatores, praevaricatores). Hoc stricto sensu impletum fuit quando simul cum latronibus supplicio affectus fuit, quasi esset etiam latro. Hoc etiam potest sumi in sensu paulo latiore : *tractatus fuit sicut iniquus*, sicut sceleratus ; et impletum fuit per omnia quae Jesus a comprehenstione usque ad mortem passus est (ita apud L.).

Caetera vero quae ad latrones spectant, narrantur infra q. 872 sq.

N° III. Verbum 1m Jesu in cruce.

Praeced. vide ante q. 861.

L. 23, 34. Jesus autem dicebat : Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt. Dividentes etc. *Ante q. 864.*

Crux Domini **cathedra** quaedam **magistri** fuit : igitur summa cum reverentia, perfectoque mentis obsequio, ultima coelestis Doctoris verba audiamus, nobis in memoriam revocantes id quod in ejus Transfig. vox Dei Patris dixit M. 17, 5 : *Hic est Filius meus dilectus... : ipsum audite.*

Jam vero, **septem sunt verba Jesu in cruce,** quorum primum nunc explicabimus.

Q. 862. 1° Quodnam est 1m Christi verbum in cruce ? et quando

dictum fuit? 2° De quibus loquebatur Salvator, et quo sensu eos excusare videtur? 3° Quam docet nos virtutem? Adde quis in N.T. legatur ipsum hac in re accuratissime imitatus fuisse.

R. ad 1m. *Pater, dimitte illis : non enim sciunt quid faciunt.* Probabiliter dictum fuit, quando tortores eum cruci affigebant (1), ut ex verbo *faciunt* colligitur.

R. ad 2m. Christus de militibus Romanis, qui manus pedesque ejus perforabant, expresse et directe non loquitur, quum isti non essent nisi ministri aliorum jussa exequentes ; sed, quamvis eos non excludat, **proprie respicit Judaeos,** praesertim Synedrii judices, qui veri erant et stricte dicti auctores supplicii. S. Th. quidem *Sum.* 3, 47, 5 negat ipsum pro Judaeorum principibus orasse : verum ei merito contradicit Suarez, cit. ap. Ben. XIV, *De festis*, 94.

Jam vero, Dominus noster, eximia caritate motus, eos **aliquatenus excusat,** cum ait scelus ab eis committi ex **ignorantia** (*non enim sciunt* etc.). Certe haec ignorantia invita nequaquam erat, proinde neque ex toto peccato, imo vero neque ex gravi peccato istos eximebat, ut probatur J. 15, 22 *Si non venissem..., peccatum non haberent ; nunc autem excusationem non habent de peccato suo*, coll. ib. v. 24; unde J. 19, 11 de populo Judaeo aperte affirmat Jesus *Qui me tradidit tibi* (Pilate), *majus peccatum habet;* ideo etiam aliis in locis eis malitiam exprobravit poenamque praedixit.

Attamen ignorantia illa voluntarium aliquantisper minuebat, ideoque **excusabat a tanto,** ut aiunt theologi, et eatenus de criminis audacia, ac de contemptu Dei qui sceleri inerat, nonnihil detrahebat (ita Suar.) : cf. Act. 3, 17 (comm. nostr. 5a edit.), ubi similiter dicit s. Petrus : *Scio quia* **per ignorantiam** *fecistis, sicut et principes vestri.* Cf. 1 Cor. 2, 8 *Si cognovissent, numquam Dominum gloriae crucifixissent.* Ipsum tamquam Messiam non agnoverunt, propterea quod externa ejus conditio non conveniebat cum eorum opinione de Messia rege potentissimo et gloriosissimo : atque adeo reipsa non sciebant quod faciebant quando Jesum crucifigere fecerunt.

---

(1) **Sigillum divinitatis.** Notat hic cl. Foisset *Hist. de J. C.* : « Pas un cri d'indignation ! Si le sceau divin est quelque part dans les Evangiles, c'est en cet endroit. » Testatur Seneca *De vita beata* 19 solemne fuisse ut homines cruci affixi Deum blasphemarent, diras judicibus suis imprecarentur, spectatores conspuerent etc.

Efficacitas orationis Christi.

Obiter notemus non inanem fuisse hanc Christi deprecationem (J. 11, 42 *Semper me audis*, ait ad Patrem), siquidem in Act. 6, 7 narratur *multam turbam sacerdotum* Hierosolymis *fidei obedivisse*. Recte igitur s. Hier. *Ep. ad Hedib.*, ep. 120, c. 8, ed. M., loquens de illa Jesu oratione *Pater, ignosce illis*: « Impetravit, ait, quod petierat, « multaque statim de Judaeis millia crediderunt. » Et s. Leo s. 11 *de Pass.*: « De « cujus utique orationis potentia fuit, ut praedicatio Petri Apostoli, ex iis qui « dixerunt *Sanguis illius super nos et super filios nostros*, multorum ad poenitentiam « corda converteret, et uno die baptizarentur tria fere millia Judaeorum (Act. 2, « 41), fieretque omnium cor unum et anima una (ib. 4, 32), paratorum jam pro eo « mori quem poposcerant crucifigi. »

De cetero, animadvertendum Christi preces ratas habitas fuisse, etiam quod omnes attinet Judaeos, hoc sensu, quod gratias sufficientes, quibus sese ad Deum convertêre potuissent, impetraverit. Opinio Sylvii *In 3m p. s. Th.* Christum pro solis praedestinatis Patrem rogasse, omnino improbanda est.

R. ad 3m. Salvator petiit quod ipse per se facere potuisset, eo fine ut nobis ostenderet **pro inimicis** et laedentibus **precandum esse.** Igitur, heroico exemplo nos docet condonare injurias etiam gravissimas, malis bene velle, eos precibus adjuvare etc. Ergo, facto nunc confirmat illud ipsum quod in concione Montana verbis commendavit: M. 5, 44. Ipsum vero perfectissime imitatus est s. Stephanus Act. 7, 59, qui, cum lapidaretur, flexis genibus *Domine*, aiebat, *ne statuas illis hoc peccatum.*

Post corpora sontium cruci confixa, statim imponebatur super capita eorum tabella in qua damnationis causa breviter erat inscripta. Quaenam fuerit ista **inscriptio,** ad Jesum quod attinet, ex Evang. nunc discemus.

N° IV. Titulus crucis: 27, 37.

a. Titulus cruci impositus.

Praeced. vide ante q. 864.

M. 27, 37. Et imposuerunt super caput ejus causam ipsius scriptam: HIC EST JESUS REX JUDAEORUM. 38 Tunc crucifixi sunt cum eo etc. *Vide supra ante q. 861.*

Praeced. ante q. 867.

L. 23, 38. Erat autem et superscriptio scripta super eum litteris Graecis, et Latinis, et Hebraicis: HIC EST REX JUDAEORUM. 39 Unus autem etc. *Ante q. 867.*

Praeced. ante q. 864.

Mc. 15, 26. Et erat titulus causae ejus inscriptus: REX JUDAEORUM. 27 Et cum eo crucifigunt etc. *Ante q. 861.*

Praeced. ante q. 861.

J. 19, 19. Scripsit autem et titulum Pilatus: et posuit super crucem. Erat autem scriptum: JESUS NAZARENUS, REX JUDAEORUM. 20 Hunc ergo titulum etc.

b. De eo queruntur Pontifices.

J. 19, 20. Hunc ergo titulum multi Judaeorum legerunt : quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus : et erat scriptus Hebraice,Graece, et Latine. 21 Dicebant ergo Pilato Pontifices Judaeorum : Noli scribere, Rex Judaeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judaeorum: 22 Respondit Pilatus : Quod scripsi, scripsi. 23 Milites etc. *Ante q. 864.*

Evangelistae inter se comparantur. Omnes et singuli de crucis titulo loquuntur, sed soli L. et J. notant eum triplici lingua scriptum esse; J. autem Judaeorum hac de re querelam apud Pilatum, hujusque responsum, solus refert. M. verum temporis ordinem servasse non videtur, cum de imposito titulo loquatur v. 37, postquam v. 35 et 36 jam sortitionem vestium narraverat : cf. infra, q. 866, ad 2m.

J. v. 19 *Scripsit Pilatus,* scribi jussit, *et posuit super crucem,* poni jussit.

Q. 863. 1° Quid intelligis per **titulum** crucis? 2° Quaenam erat inscriptio cruci Jesu imposita? Explica sensum quem habent verba per se et sensum quem habebant in mente Pilati. 3° Qua lingua exarata erat? 4° Quinam et quare hac occasione reclamarunt? 5° Quid isti reclamationi responsum fuit? 6° Quid factum est de titulo, a/ ante supplicium, b/ tempore quo Jesus in cruce penderet, et c/ postea in variis Ecclesiae seculis?

Animadverte quaestionem tali modo proponi ut habeatur *compendium analyticum* eorum omnium quae ad *titulum* spectant.

R. ad 1m. Quod attinet nomen, *titulus* dicitur (J. τιτλος, vox latina graecizans), seu *inscriptio* (επιγραφη L.), seu *causa* (αιτια M.), seu *inscriptio causae* (ἡ επιγραφη της αιτιας Mc.), utpote quae *causam poenae* indicaret. V. gr. Eus. 5, 1 : ουτος εστιν Ατταλος ὁ Χριστιανος ; Suet. *Domit.* 10: *Cum hoc titulo : Impie locutus Parmularius.* Dio Cassius *Hist.* 54, 3: « Servus quidam, ait, per forum crucifigendus agitur, cum inscriptione mortis causam aperiente. »

Jam vero, titulus crucis Dominicae **non in charta** scriptus fuit, sicut saepe referunt pictores, sed exsculptus excavatusque **in lignea tabella** (πινακ̃ Eus., σανις Socrat. *H. E.* 1, 17), transversa et oblonga, ut ex ejus ss. Reliquiis colligitur (*une planchette d'un peu plus d'un demi-pied de largeur et d'environ deux pieds de longueur :*

ou 0m65 sur 0m20, comme dit Rohault de Fleury). Haec autem tabella plerumque erat dealbata gypso vel cerussa (unde vocatur λευκωμα Sozom. 2, 1), literisque nigris vel rubris (1) inscripta.

De titulis latronum nulla fit mentio; sed ideo dicendum non est (cum s. Chrys. *in J.* 19, 21) nullos fuisse. Attamen certitudinem hac de re non habemus, quum Romani (teste *Bynaeo) aliquando contenti *superdictione* essent, i. e. ut praeconis praeeuntis voce populo nuntiaretur crimen, ob quod supplicium de aliquo sumendum esset. Quod moris etiam Judaici fuit: cf. Maimon. *Tr. de Synedr.* 13.

Obiter nota a Nicqueto S. J. scriptam fuisse a. 1647 *Hist. Tituli s. Crucis*. Videsis etiam Drach *L'inscript. hébr. du titre de la s. Croix*, Rome 1831.

R. ad 2m. Secundum J., qui cruci adstitit, inscriptio erat: Ιησους ὁ Ναζωραιος ὁ βασιλευς των Ιουδαιων, *Jesus Nazarenus rex Judaeorum*. M. et L. sic eam referunt: Οὑτος εστιν Ιησους ὁ βασιλευς των Ιουδαιων, *Hic est Jesus rex Judaeorum*. Sunt qui putent verba *hic est* inutilia esse et aliena a stylo epigraphico; adeoque non pertinere ad veram inscriptionem jussu Pilati cruci impositam: sed inscriptio de Attalo supra citata eadem verba habet. Mc. refert tantum damnationis causam Ο βασιλευς των Ιουδαιων, *Rex Judaeorum*.

Multi dicunt titulum accuratius redditum fuisse a J.; alii opinantur a J. traditam fuisse inscriptionem sicut erat in lingua hebraica (Aramaea), a M. et L. sicut legebatur in lingua graeca, et a Mc. sicut latine scripta erat (forma hujus brevis concinit mori legum Romanarum). Communiter tamen una tantum admittitur formula, ea quam habet J.

Jam vero sensus tituli est: hic homo est Jesus a Nazareth, qui capitis damnatus fuit **tamquam seditiosus,** quia factus est rex Judaeorum, vel quia volebat se regem facere Judaeorum: itaque sensus erat ambiguus, unde exorta est querela de qua statim sub 4°. Notum est Judaeos eo tempore Romanis fuisse subjectos, adeo ut, si quis regnum apud eos affectaret, crimen Laesae-Majestatis committeret.

Quod autem attinet ad **mentem Pilati,** hic certe verbis *Rex*

(1) Ex fragmento sacri Tituli, quod Romae custoditur, concludendum videtur inscriptionis literas fuisse *rubras*.

Judaeorum eumdem sensum tribuit quo antea dixerat *Ecce rex vester.... Regem vestrum crucifigam ?* nempe intelligebat talem qui contendebat se regem esse Judaeorum, et quem hac de re accusaverant Judaei. Ceterum, verum erat Jesum se dixisse *regem*, v. gr. coram Pilato J. 18, 37 ; sed alio sensu quam putabant Judaei et Pilatus, non regem politicum, sed spiritualem. Igitur Pilatus, cum per hunc titulum testaretur se mortis damnasse hominem illum propterea quod vellet se regem Judaeorum facere, efficaciter declinabat Judaeorum minas J. 19, 12 *Si hunc dimittis, non es amicus Caesaris : omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari*. Et certe hoc libenter fecit, quum valde periculosum esset apud Caesarem accusari negligentiae in tuendo jure imperatoris. Tandem, cum sensus tituli esset in se ambiguus, et posset significare : hic Jesus *est rex Judaeorum,* Pilatus ita potuit suum in Judaeos contemptum suamque iram significare.

His rationibus a parte Pilati indicatis, obiter addimus speciali **Dei providentia** factum esse ut authentico documento constaret Jesum ob hanc solam causam cruci affixum fuisse, quia *rex* erat *Judaeorum*, i. e. quia erat Messias cui soli hoc nomen competebat.

R. ad 3^m^. **Hebraice** (puta, in dialecto illius aetatis), **graece** et **latine** scriptus erat. Sunt qui contendant inscriptionem solo sermone latino, sed literis hebraicis, graecis et latinis exaratam fuisse. Vide infra, q. 1203, ubi de sacris *Tituli* Reliquiis. Ex istis patet hebraicam (seu potius aramaicam) inscriptionem fuisse superiorem, mediam graecam, inferiorem vero latinam, ut innuit J. (aliter L.), qui Jesu in cruce pendenti adfuit, remque accuratius refert. Ita Prudent. in *Apoth.* 381 et Sedulius ; pariter Nicquet op. cit. ; Baron. *ad a.* 34 ; Gretser, *De cruce* etc.

Tres illae linguae omnium praecipuae erant ea tempestate, et signum seu figuram triplicis excellentiae prae se ferre videntur : nempe hebraea *religionis*, graeca *sapientiae*, et latina *potentiae*, ut ait Theophyl. h. l. Pariter *Midr. Tillin* 31, 20 : « R. Johannan dixit : Tres sunt linguae, Romana ad *praelium*, Graeca ad *orationem*, Assyria ad *preces* ». « Quae linguae, ait s. Aug. *in Ps.* 58, in « toto orbe maxime excellunt. » Atque ita « Declaratum est, ait « id. (*s. 218*, al. *de div. s. 76*), non solum Judaeis, sed etiam « gentilibus Jesum regnaturum fuisse. » Nempe, ut *omnis lingua*

confiteretur ipsum esse Regem regum et Dominum dominantium 1 Tim. 6, 15.

R. ad 4m. Multi ex Judaeis inscriptionem legerunt, quia prope civitatem erat patibulum, et plures in ea invenerunt **sensum genti Judaicae probrosum,** nempe Jesum esse Judaeorum regem : et re quidem vera, in mente Pilati erat Judaeis contumeliosa. Ideo (1) pontifices adierunt Pilatum (puta, hunc in finem in urbem reversi), et dixerunt ei : Noli scribere *Rex Judaeorum*, sed quia ipse dixit *Rex sum Judaeorum*.

R. ad 5m. Pilatus autem vexatus, et pungentibus animi stimulis cruciatus, sentiens se istorum libidini jam nimis cessisse, respondet cum ira acri et mordaci : **Quod scripsi, scripsi ;** nihil immutabo ; abite, et sinite me.

Sunt qui verba Pilati explicare velint per haec Apul. *Florid.* 1 : « Proconsulis tabella sententia est, quae, semel lecta, neque augeri litera una, neque minui potest ; sed, utcunque recitata, ita provinciae instrumento (gall. *archives*) refertur. » Inde demonstratur quidem sententiam judicis Romani mutari non potuisse (nisi per superiorem auctoritatem), non autem per leges Romanas vetitum fuisse quidquam in *titulo* retractare.

Igitur Pilatus scriptum novare noluit *ob iracundiam*, de cetero legitimam in hoc casu. Nota verba Philonis *Legat. ad Caium :* « Erat Pilatus natura inflexibilis, et per arrogantiam durus ; » et paulo post « iracundus homo. »

Sicut non absque **divina Providentia** factum est ut Pilatus hunc titulum elegerit, quemadmodum supra animadverti, ita quoque voluit Deus ut nihil in eo mutaretur, et merito cum s. Hier. exclamamus : « Velitis, nolitis, o Judaei, omnis vobis « gentium turba respondet : Jesus rex Judaeorum est, hic est « imperator credentium et confitentium. » In hac ultima voce s. Hier. ad etymologiam verbi *Judaei* tacite respicit : *Judaei* יְהוּדִים a יָדָה in hiph. *confiteri, laudare*. Acute vero, pro more, s. Aug. *in* ℣. tr. 117, 5 : « Ideo Pilatus quod *scripsit scripsit*, quia « Dominus quod *dixit dixit*. »

(1) Ex eo quod tunc tantum, cum titulus cruci impositus fuisset, multi Judaei eum legerint, et pontifices reclamaverint, quidam concludunt tabellam istam in via ad Calvariam coram Jesu latam non fuisse. Forte, ait Fouard, collo ejus appensa erat, unde non tam facile legi posset.

R. ad 6m. a/ Titulus in itinere ad Golgotha probabilius ab uno militum **coram Jesu portatus fuerat,** ut mos erat (*praecedente titulo*, Suet., *Calig.* 32 ; *tabella ipsum* damnatum *praeeunte*, Eus. 5, 1). Dico *probabilius*, quia aliqui, ob rationem supra ad 4m adductam, opinantur inscriptionem nonnisi in ipsomet Golgotha confectam fuisse : verum, ratio ista non tanti est momenti ut dicamus morem solitum tunc observatum non fuisse. Aliam enim possumus explicationem excogitare quare sacerdotes non prius reclamaverint : fortassis hoc ut facerent moti fuerunt vocibus spectatorum, qui, titulum legentes, eum male interpretabantur : quod quidem innuit *ergo* v. 21 ; adverbium enim videtur referendum ad *legerunt* v. 20.

b/ Titulus porro *super caput Jesu* positus fuerat M., nempe **super crucem** ejus J., i. e. fuerat clavis affixus ei stipitis parti quae brachiis crucis excelsior erat, posito tamquam vero crucem Domini fuisse latinam † ; si autem admittatur crucem fuisse in forma *tau* T, titulus super lignum transversum positus erat eidemque per cuspidem insertus, quemadmodum factum fuisse videmus in famosa imagine Garrucci, de qua supra q. 844.

c/ Titulus **a s. Helena repertus** fuit seorsum a cruce (q. 1178) ; et Romam asportatus, in Basilica s. Crucis-in-Jerusalem fuit collocatus, ubi pars quaedam usque ad hoc tempus existit et a christianis pie colitur : cf. q. 1203.

Cunctis jam peractis, quae ad supplicium spectant, carnifices, quum otio fruantur, spolia damnatorum suo commodo inter se dividunt, ad pedem patibulorum, quae servare debent, ac deinde sedent ibi rerum exitum exspectantes. Igitur

N° V. Sors super vestes Jesu : 27, 35.

a. Christi vestes sorte divisae.

Praeced. vide ante q. 843.

M. 27, 35. Postquam autem crucifixerunt eum, diviserunt vestimenta ejus, sortem mittentes : ut etc.

Praeced. ante q. 862.

L. 23, 34.... Dividentes vero vestimenta ejus, miserunt sortes. 35 Et stabat etc. *Ante q. 867.*

Praeced. ante q. 843.

Mc. 15, 24... Diviserunt vestimenta ejus, mittentes sortem super eis, quis quid tolleret.
25 Erat autem hora tertia : et crucifixerunt eum. 26 Et erat titulus etc. *Ante q. 863.*

Praeced. ante q. 863.

J. 19, 23. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta ejus, (et fecerunt quatuor partes : unicuique militi partem) et tunicam Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum 24 Dixerunt ergo ad invicem : Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cujus sit. Ut etc.

b. Praedictio eventu confirmata.

M. 27, 35... ut impleretur quod dictum est per Prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem. 36 Et sedentes etc.

J. 19, 24... Ut Scriptura impleretur, dicens : Partiti sunt vestimenta mea sibi ; et in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem haec fecerunt. 25 Stabant autem juxta etc. *Ante q. 879.*

c. Milites servant patibula.

M. 27, 36. Et sedentes servabant eum. 37 Et imposuerunt super caput ejus etc. *Vide supra ante q. 863.*

Omnes referunt vestimenta Jesu a militibus seu carnificibus divisa fuisse : imo M. et J. notant id olim jam oraculo fuisse nuntiatum. Solus J., qui pro more suo Passionem Jesu ceteris distinctius narrat, mentionem facit de tunica inconsutili.

Q. 864. 1° Quinam et quo jure obtinuerunt vestes Christi cruci affixi? 2° Quomodo eas inter se diviserunt? Hac occasione quaedam de tunica Jesu notentur, sc. de forma ejus et opere textili, ut explicetur quare *scissa* non fuerit. 3° Quis istam vestimentorum partitionem olim praedixerat?

R. ad 1m. Vestes (spolia parvi pretii, *pannicularia*) eorum qui supplicio capitis afficiebantur, secundum consuetudinem, carnificibus cedebant, quae quidem consuetudo postea per legem confirmata fuit, sc. Digest. 48, 20, *De bonis damn.* 6 : ideo milites, qui Jesum in crucem egerant, **vestes** ejus **legitime obtinuerunt.** Idem certe factum est de latronum spoliis, quamvis hoc praetermittant Evangelistae, quippe qui de Jesu praecipuam habeant rationem (1).

R. ad 2m. Aderant quatuor milites (custodia solita, Act. 12, 4), cum suo praefecto (hic erat *centurio*, ut patet ex M. 27, 54) : *fecerunt* igitur *quatuor partes* aequales ex *vestimentis* Jesu, puta, ex calceamentis seu soleis pedum (2), cingulo, interula seu subucula (3) (quam gestasse videtur Jesus), et praesertim ex pallio, quod, cum magnum

(1) Certum non est eosdem milites Jesu latronumque supplicio praefuisse : fortassis singuli damnati suos quatuor habebant milites supplicii ministros.

(2) De **capitis tegumento** hic mentio fieri non debet, quum Jesus probabiliter coronam spineam servaverit. In q. 1008 dicemus de communi Judaeorum more, quem ceterum Christus tenuisse videtur.

(3) Sub interula (*une espèce de chemise sans manches*), vel ejus loco, sacerdotes (et hi soli, ut videtur) portabant *feminalia*, a renibus usque ad genua pertingentia, quibus verenda tegerentur : Ex. 28, 42. Vide q. 1003.

esset quadratumque, probabiliter in quatuor partes discissum fuit.

Plane incertum est quod *Grotius *in J.* aliique dicunt, pallium facillime in 4 partes dividi potuisse, quoniam apud Hebraeos quatuor pannis esset compositum, quorum extremitates fibula essent conjunctae : Deut. 22, 12 (sensus ibi est de *fimbriis*, de quibus dixi ad M. 23, 5). Opinamur potius pallium plerumque ex una dumtaxat plagula, seu **ex uno panno magno et quadrato**, confectum fuisse, instar straguli linei quo in lectis uti solemus. *Braunius autem *De vest. sacerd. Hebr.* 2, 5 contendit pallium rotundum fuisse et undique clausum, puta cum foramine in medio pro capite immittendo : videsis quae ad calcem hujusce commentarii in Append. I q. 1002 sq. de vestibus Jesu fusius disputabimus.

Utut haec se habeant, milites ex omnibus Jesu vestimentis, dempta tunica, fecerunt quatuor partes, et *miserunt sortem super eis quis quid tolleret*. Vel per *talos* (gall. *dés oblongs, ronds de deux côtés, et n'ayant ainsi que 4 côtés marqués*), vel per *tesseras* (*dés cubiques marqués sur les 6 côtés*) id fieri solebat, vel sortes seu nomina in galeam dejiciebantur (Virg. *Aen.* 5, 49). Dein tunicam singillatim sortiti sunt, ut nunc dicemus. Mald., Bisp. etc. censent sortem missam fuisse *semel*, nempe de tunica ; sed sensus obvius Marci indicat sortitas fuisse etiam alias vestes, ut ait Knab.

Q. 865. De tunica inconsutili.

Tunicam τον χιτωνα non sciderunt, sed sortiti sunt cujus esset, quia erat **inconsutilis,** ἀραφος, i. e. sine ulla sutura aut acus sarcinatricis opera, **desuper contexta per totum** J.: flandr. *van boven tot onder één weefsel* (Beelen), germ. *von oben an gewebt ganz durch* (Bisp.) ; quales erant vestes sacerdotales, de quibus Ex. 28, 4, 39, secundum descriptionem traditam a Jos. *Ant.* 3, 7, 4 : « Haec « tunica, ait (loquens de vestibus Pontificis supremi), non constat e « duobus segmentis, ut suturas habeat in humeris ac lateribus « [certe tales erant vulgo tunicae] ; sed unica tela, in longum « contexta, aperturam in summo habet, non transversam, sed in « longum descendentem a tergo et ante usque ad medium pectus : « cui decoris causa assutus est limbus ne scissura appareat : eodem

« modo qua manus exseruntur est scissa » (1). Quum autem talis esset Jesu tunica, si milites scidissent eam, et artificium perdidissent et usum.

Tunica porro Jesu, quemadmodum aliorum Hebraeorum, erat vestis **talaris** (2) et **utrimque manicata** (cf. *Braun., *De vest. sacerd. Hebr.*), super quam circumdabatur pallium, quando v. gr. exeundum erat (Act. 12, 8). Sub tunica autem illa interula quaedam seu tunicella usque ad genua pertingens gestari solebat (cf. quae notabo de vestibus Christi, in Append. I, q. 1002 sq.).

Sed quaeritur **quomodo talis tunica,** rotunda, antrorsum clausa, atque manicata, **texi potuerit desuper per totum.** Multi putarunt id in tela (*sur un métier de tisserand*) fieri non posse : atque ideo Ben. XIV cum aliis censet, tunicam fuisse *textilem* ad illud exemplum quo nunc tibialia ex uno filo binis praelongis acubus nectunctur, fl. *gebreid.* Verum huic opinioni duo obstant, primum hoc non esse opus textoris (*tricoter n'est pas tisser*), deinde hujus artificii mentionem nusquam fieri apud veteres, ideoque illis incognitum videri (*Byn.). Ad me quod attinet, a sensu verborum obvio recedere nolim, quum tunicam manicatam **contexere** per totum, non adeo difficile hodiedum sit, neque olim fuerit, ut ostendit *Braunius (ap. *Byn.), qui etiam narrat se jugum textorium ad tale opus perficiendum construxisse (3).

De s. Reliquia Tunicae vide infra q. 1206.

Obiter nota tunicam Jesu inconsutilem a ss. Patribus habitam fuisse tamquam **figuram Ecclesiae,** quae una est et indivisibilis. S. Cypr. *De unit. Eccl.* 7 ; s. Aug. *In Joan. tr.* 13, n. 13 ; id. *Enarr.*

---

(1) Ex eo quod Jesus tunica Pontificeae simili uteretur male colligit *Ewald ipsum e tribu Levi oriundum esse : forte propter decorem quemdam habitus et gravitatem, ut doctor et Rabbi, pro more virorum hujusmodi, vestem tam amplam portabat.

(2) **Tunicae** vulgo **longae** erant, ideoque cum incedendum esset, attollebantur per cingulum quo lumbi succingebantur : Act. 12, 8 ; cf. Ex. 12, 11 ; 4 Reg. 4, 29 ; 9, 1. Idem fiebat ad opus peragendum, Prov. 31, 17 ; ad arma gerenda seu ad praeliandum, Job 38, 3 ; 40, 2. Inde locutio *lumbos succingere* pro *se parare, paratum esse* : L. 12, 35 *sint lumbi vestri praecincti* etc. Eph. 6, 14 *State succincti lumbos vestros.* Pauperiores vero et operarii, v. gr. piscatores, tunicam gestabant breviorem, usque ad genua pertingentem : cf infra q. 978. Nota Christum usum non fuisse *stola* (cf. supra q. 588), seu tunica illa pretiosiore, quam divites et magnates saepe, necnon sacerdotes et Pharisaei gestabant, in publico praesertim.

(3) **Tunicam facere sine sutura.** Admodum facile erit tunicam uno quasi tractu per totum texere, si eam sic cogitemus confectam : une assez grande pièce d'étoffe, aux bords arrondis, ayant au milieu une ouverture longitudinale par où la tête doit passer, et des deux côtés une fente pour laisser passer les bras : la ceinture serrait ce vêtement et l'adaptait au corps, de telle manière qu'au-dessus d'elle les plis formaient les manches sur les côtés.

in Ps. 21, 19. Lege quae in Brev. Rom. de s. Petro Alex. dicuntur 26 Nov.

R. ad 3m. David in Ps. 21, 19 *Diviserunt sibi vestimenta mea* etc. Illud praedixerat : vide *Comm.* nostr. *in Psalmos*, 3° vol. – Verba Vulgatae M. 27, 35 *Ut impleretur quod dictum est per prophetam dicentem : Diviserunt sibi vestimenta mea, et super vestem meam miserunt sortem* in omnibus fere antiquis codicibus apud M. non leguntur, ideoque sunt glossema ex J. 19, 24, ubi certo sunt genuina. *Ut impleretur* : istud *ut* non refertur ad milites, qui de hoc vaticinio nihil sciebant, sed indicat per divinam providentiam liberos hominis actus ita directos fuisse ut prophetia impleretur.

***Q. 866.** Pro repetione. 1° Quot erant milites qui Servatorem et latrones supplicio affecerunt? 2° Quid egerunt per illud tempus quo Jesus in cruce pependit?

R. ad 1m. Quatuor erant milites, cum suo praefecto ut solet, qui Jesum cruci affixerunt; sunt qui putent alios quatuor pro singulis latronibus adfuisse : cf. q. praeced.

R. ad 2m. Milites autem, qui Jesum in crucem egerant,

1° Cruci imposuerunt titulum: hoc enim videtur factum statim post ipsam crucifixionem, antequam vestium partitio facta fuit, quamvis M. v. 35 et 36 hanc praemittat. Quamobrem praet. *imposuerunt* vel vim habet plusquamperfecti, *imposuerant*, seu potius verbum refertur ad *crucifixerunt* v. 35, quasi scriptor crucifixionis descriptionem complere velit. Dein latrones crucifixerunt, in supposito quod id factum non fuerit interea temporis per alios milites.

2° Spolia victimarum inter se diviserunt, eo modo quo dixi q. praec.

3° *Sedentes servabant* patibula, ut mos erat: puta, ne quis ad sepulturam vel ad vulnerum sanationem corpora detraheret: Petron. *Sat.* 3, 1; Plut., *Cleomen.* 38; Jos. *Vita* 75.

4° Multi interpretes opinantur unum ex istis militibus spongiam aceto plenam Jesu praebuisse, M. v. 48 : vide infra, q. 888. Tandem L. v. 36 dicit : *Milites accedentes et acetum offerentes ei, illudebant ei.* Non autem certum est eosdem fuisse qui supplicium perfecissent.

Atque haec quidem omnia, quae a q. 843 longe lateque pertractavimus, ad ipsam crucifixionem pertinent : nunc vero ea quae facta sunt dum Jesus in cruce pendebat, usque ad illud temporis momentum quo mors ejus instabat, deinceps exponemus.

P. II. QUAE FACTA SINT DUM JESUS IN CRUCE PENDERET.

Jesus nunc acerba de cruce pendet, tormenta patiens crudelissima ; milites, supplicii ministri, spolia pro more partiti sunt, et,

sedentes haud procul a patibulis, ea custodiunt. Per spatium trium circiter horarum Salvator vivus mansit in infami ligno, usquedum ultimos mortis appropinquantis dolores expertus, clamavit *Deus, Deus meus* etc. Quid interea temporis evenerit, in hoc 2° puncto religiose meditabimur.

Divisio. Tria sunt praecipua rerum capita : n° 1 iniqua agendi ratio multorum in Jesum, cui n° 2 opponitur admirabilis ejus benignitas, imprimis A/ erga bonum latronem, et B/ erga matrem. Hae sunt hominum actiones, quibus addere oportet stupendum naturae inanimatae opus : sc. n° 3 obscurationem solis tenebrasque miraculosas super faciem terrae expansas.

N° I. Irrisiones, contumeliae et maledicta in Jesum. M. 27, 39-44.

a. Irrisiones populi.

Praeced. vide ante q. 861.

M. 27, 39. Praetereuntes autem blasphemabant eum moventes capita sua, 40 et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in triduo illud reaedificas: salva temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce. 41 Similiter etc.

Praeced. ante q. 861.

Mc. 15, 29. Et praetereuntes blasphemabant eum, moventes capita sua, et dicentes : Vah qui destruis templum Dei, et in tribus diebus reaedificas : 30 salvum fac temetipsum descendens de cruce. 31 Similiter etc.

Praeced. ante q. 864.

L. 23, 35. Et stabat populus spectans, et deridebant eum principes cum eis, dicentes etc.

b. Irrisiones sacerdotum.

M. 27, 41. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum Scribis et senioribus dicebant : 42 Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere : si rex Israel est, descendat nunc de cruce, et credimus ei : 43 confidit in Deo : liberet nunc, si vult eum : dixit enim : Quia Filius Dei sum. 44 Id ipsum etc.

Mc. 15, 31. Similiter et summi sacerdotes illudentes, ad alterutrum cum Scribis dicebant : Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere. 32 Christus Rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo etc.

L. 23, 35... deridebant eum principes cum eis, dicentes : Alios salvos fecit, se salvum faciat, si hic est Christus Dei electus. 36 Illudebant etc.

c. Irrisiones militum.

L. 23, 36. Illudebant autem ei et milites accedentes, et acetum offerentes ei, 37 et dicentes : Si tu es rex Judaeorum, salvum te fac. 38 Erat autem et superscriptio etc. *Vide ante q. 863.*

d. Irrisiones latronum.

M. 27, 44. Idipsum autem et latrones, qui crucifixi erant eum eo, improperabant ei. 45 A sexta etc. *Ante q. 883.*

Mc. 15, 32... Et qui cum eo crucifixi erant, conviciabantur ei 33 Et facta hora sexta etc. *Ante q. 883.*

Praeced. ante q. 863.
L. 23, 39. Unus autem de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos. 40 Respondens autem alter etc. *Vide infra ante q. 871.*

Observationes praeviae.

Q. 867. Demonstra irrisiones illas fuisse valde crudeles.

I. *Maledicta saepe mordent acerbius quam res ipsae.* Ut novus ille cruciatus plenius intelligatur, notemus, cum s. Chrys. *in M. h. 15*, saepe fieri ut « Maledicta acerbius mordeant quam res ipsae. In « periculis enim multa sunt quae laborem faciunt leviorem ; v. gr. « cum ab omnibus excitamur, et multos habemus plaudentes, « coronantes, praedicantes. In maledictis vero haec consolatio « amovetur. » Quam observationem Doctor ille ex historia s. Job comprobat, quippe qui omnes aerumnas suas facile passus sit, sed cum amicos viderit insultantes, turbatus fuerit.

II. **Conviciorum acerbitas.** Quod autem attinet ad ipsarum amaritudinem contumeliarum, juvat addere **quatuor considerationes** sequentes :

1° Illudi et contemni semper ingratum esse et arduum ;

2° Sed magis durum esse, quando ab iis quibus nihil mali, imo vero insignia beneficia praestiterimus, contumeliae inferuntur.

3° Summum vero supplicium esse, cum viro misero per irrisiones poena adjiciatur atque afflictio. Unde Eccli. 7, 12 *Non irrideas hominem* qui versatur *in amaritudine animae.*

4° Tandem contumelias ipsas, in se spectatas, ignominiosissimas et vere omnium maximas fuisse. Etenim, ex una parte, summa Jesu dignitas praecipuusque ejus honor (quod sit *Filius Dei* seu *Christus, Rex Israel, thaumaturgus*), imo etiam intima ejus sensa, quibus pie in Deum afficitur (*confidit in Deum* etc.), in crudelissimum convertuntur ludibrium ; ex altera vero parte, omnes ipsum conviciis lacessunt, et Judaei et Gentiles, et populus et principes seu magistratus, et spectatores et supplicii socii, saltem unus ex iis. Ita eventu comprobata fuit praedictio Ps. 21, 8 *Omnes videntes*

me deriserunt me. Aptissime s. Chrys. *In Joan.* 19, 29 : « Tu vero « mihi perpende sceleratum adstantium animum. Etiamsi enim « innumeros habeamus inimicos, et intolerabilia ab eis perpessi « simus, quando videmus eos interfici, plangimus : hi vero non « flexi sunt erga illum, neque his conspectis mitiores facti sunt ; « sed magis efferebantur, et irrisionem augebant. »

His praemonitis, opprobria Jesu illata distincte et fusius exponemus.

Q. 868. 1° Quinam irriserunt Jesum cruci affixum, addendo quid dicerent ? 2° Quid vero respondit ille ?

R. ad 1m. Quatuor hominum irridentium genera distinguenda sunt : 1° plebs, 2° proceres et magistratus, 3° milites Romani, et 4° latrones. De singulis vero per partes nunc dicemus.

1° Irrisiones plebis.

Praetereuntes, M. v. **39** (1), et qui adstabant spectantes, nempe Judaei ex populo (*stabat* **populus** *spectans etc.* L.), *blasphemabant*, i. e. irridebant *eum*, et gestu et voce : sc. *moventes capita sua* (2), *et dicentes* : v. **40** *Vah* (*οὐα* plerumque admirationem, hic vero contemptum notat : ceterum in multis deest codicibus apud M., forte glossima est ex Mc. ubi certo genuinum est) *qui destruis templum Dei et in triduo illud reaedificas*, (3) perfice nunc quod minus est ; *salvum fac temetipsum : si Filius Dei es, descende de cruce* M. Isti ex ludibrio, et acerrimo quidem, repetunt duas accusationes, coram Synedrio adversus Jesum adductas, de Templo destruendo et de titulo *Filii Dei.*

2° Irrisiones procerum.

Dominum etiam illuserunt M. v. **41** *principes sacerdotum cum Scribis et Senioribus :* « In quem manibus amplius saevire non « poterant, linguarum tela jaciebant (s. Leo, *De Pass.* 4). » Certe nonnisi post auditas populi contumelias id facere vicissim ausi

(1) Ut supra, ad q. 830 notavi, juxta viam, qua frequens transibat populus, solebant cruces erigi.

(2) Videsis Comm. nostr. in Ps., ad Ps. 21, 8, ubi istae irrisiones praedictae fuerunt. **Caput movere** in signum contemptus dicitur etiam 4 Reg. 19, 21 ; Job. 16, 5 ; Ps. 43, 15 ; 108, 25 ; Is. 37, 22 ; Jer. 18, 16 ; Lam. 2, 15 ; Eccli. 12, 19 ; 13, 8.

(3) Iterum, ut supra M. 26, 61, verba Jesu J. 2, 19 distorquentur : inde videmus Judaeos vehementer exacerbatos fuisse verbo isto tam male intellecto, vel forte a Synedristis tam prave interverso.

sunt : antea timebant vulgus, ne forte tumultum quemdam excitaret, quo Jesum liberaret ; sed nunc laeti et triumphabundi vident omnes Domino infensos. Igitur ipsum commodo suo irrident, dicentes, non ad Jesum, sicut populus (quod viros istos graves non decuisset), sed alter ad alterum :

Tria Synedristarum contumeliosa verba.

a/ *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere* M. v. **42** : unde concludere volunt opera mirabilia, quae fecit iste, ut veritatem muneris et doctrinae suae demonstraret, minime valere ; eademque Beelzebub, non ipsi Deo, ut olim jam contenderant, adscribenda esse. Ergo, ut notat s. Chrys., miracula ejus calumniantur atque in dubium vocant. Haec sane mens ipsis erat ; sed hoc non exprimunt ipsamet eorum verba : quare s. Hier. eadem contra istos retorquet : « Etiam nolentes confitentur Scribae et « Pharisaei quod alios salvos fecerit. Itaque vos vestra condemnat « sententia : qui enim alios salvos fecit, utique, si *vellet*, seipsum « salvare poterat. »

b/ Deinde pergunt, quasi titulum super caput Jesu positum interpretari velint, ejusque inanitatem et stultitiam demonstrare : *Si* (1) *rex Israel est, descendat nunc de cruce* M. ; et addunt, non serio, sed per crudele ludibrium, *ut videamus* oculis nostris *et credamus* Mc. ; imo asseveramus illud : tale faciat miraculum, *et* ecce *credimus ei* (nota vim esse in praes. *credimus*), M. Sed mox ostendit se non Israelis modo, sed totius orbis regem esse, cum tot et tanta in morte sua fecit prodigia ; attamen ei non crediderunt. Imo vero, quod isti postulabant plene praestitit ; nam se ipse salvum fecit, quando vitam sua recuperavit potentia : fidem tamen ei adhibere noluerunt. Igitur s. Hier. : « Fraudulenta promissio, ait ; quid est « plus, de cruce descendere adhuc viventem, an de sepulchro « mortuum resurgere ? Resurrexit, et non credidistis ; ergo, si « etiam de cruce descenderet, similiter non crederetis. » Jure ac merito hoc asserere licet : etenim, teste s. Chrys. *h. 2 De cruce et latr.*, n. 5, « Multo majus erat quatriduanum Lazarum, fasciis

(1) Cod. BDL non habent 22 *si*, et irrisionem reddunt amariorem : *Rex Israël est !* dixit saltem : bene ! nunc probet quod dixit !

« involutum, una cum illis educere e monumento » : attamen non crediderant ! Et s. Aug. *tract. 37 in Joan.* : « Quia patientiam « docebat, ideo potentiam differebat ; si enim commotus ad eorum « verba descenderet, victus conviciorum dolore putaretur. »

c/ Tandem, addunt contumeliam adhuc multo acerbiorem, omnium quae **rabies diabolica** excogitare potuisset mordacissimam, talem quae usque ad **intima cordis sensa** penetret, quasi conscientiae sanctuarium scrutari et violare cupientes : *Confidit in Deo*, aiunt v. **43**, tamquam in Patre suo : *liberet nunc, si vult eum*, i. e. si eum diligit et tuetur ; *dixit enim quia Filius Dei sum.* Ita ratiocinantur : si verum esset quod dixit se Filium Dei esse, Deus ostenderet dilectionem erga eum liberando eum de cruce. Respondemus istis : imo dixit *Filius Dei sum*, idque ineluctabili vi demonstravit : vere Filius Dei est ; atque ideo Deus liberabit eum, non *nunc*, ut vos vultis, sed *tunc*, quando libebit ipsi.

Notatu dignum est, Davidem Ps. 21, 8 et 9, decem ante seculis, vaticinatum fuisse ista convicia, totidem verbis expressa, contra Messiam proferenda esse : *Omnes videntes me, deriserunt me : locuti sunt labiis, et moverunt caput. Speravit in Domino, eripiat eum : salvum faciat eum, quoniam vult eum.* Igitur abusi sunt isti ipsissimis s. Scripturae verbis, sed ea pervertere non timuerunt quum dicerent hypothetice *si vult eum*, loco *quoniam vult eum*, כִּי חָפֵץ בּוֹ.

3° Irrisiones militum.

Praeter plebem et principes, de quibus hactenus, *illudebant ei et milites* (L. solus), *accedentes et acetum offerentes ei, et dicentes : Si tu es rex Judaeorum, salvum te fac.* Hoc certe acetum ex irrisione oblatum fuerit ; nam sensus verborum obvius requirit ut istud *illudebant* tam ad *acetum offerentes*, quam ad *dicentes : Si tu es* etc. referamus. Igitur, aceti vasculum (1) Jesu ostendebant quidem, et versus eum attollebant, sed potum ori ejus per spongiam bacillo impositam non admovebant : ideoque illud ab eo quod narrat M. v. 48, de potu Domino vere tradito, plane diversum esse opinamur. S. Aug. tamen *De cons. Ev.* 3, 17 aliter sentit : cf. q. 888.

(1) Ut dicemus q. 888, pro militum siti (et forte cruciariorum) appositum ibi erat vas cum aceto vel vino viliore.

Quod autem milites dixerint *Si tu es rex Judaeorum*, hoc sane e crucis titulo, et ex auditis sacerdotum conviciis, imo vero ex accusationibus coram Pilato contra Jesum latis (quae scenae spineae coronae ansam jam dederant), desumpserunt.

4° Irrisiones latronum.

Tandem v. **44**, etiam *latrones*, socii tamen in poena, probris maledictisque eum vexabant, M. et Mc. ; saltem **alter e duobus** L. istud fecit, his vel similibus usus verbis : *Si tu es Christus, salvum fac temetipsum et nos.* Verum, cum irrisio ista ab altero reprehensa fuerit L., atque adeo orta sit occasio propter quam Salvator insigne caritatis testimonium benignissime ostenderit, de agendi ratione latronum separatim disputabimus, infra, q. 872.

R. ad 2m. Jesus ne ullum quidem verbum respondit, sed contumelias omniaque convicia, quemadmodum et crucis tormenta, patientissime sustinuit ; atque ita Is. 53, 7 oraculum *Quasi agnus coram tondente se* **obmutescet** *et non aperiet os suum*, eventu confirmavit.

Occasione hujus Evangelicae narrationis, de iis qui cruci adstabant spectantes et illudentes, quaestio poni potest de iis etiam adstantibus, qui pio animi affectu spectabant, quique adeo Christum, in infame lignum elatum, per praesentiam suam et per sensa miserationis consolati sunt.

*Q. 869. Quinam Jesum tunc consolati sint.

Vide quae infra, q. 880, dicemus de piis spectatoribus. Ergo a/ primum, et magis quam omnes alii, **mater** ejus carissima, B. Maria V., quae juxta crucem stabat, solatium ei praebuit dulcissimum : quamvis simul Christus novos dolores in anima passus fuerit, cum matrem moerore profligatam conspiceret.

b/ Post matrem vero recensendus est **s. Joannes,** discipulus ille quem Jesus prae ceteris diligebat, quique, Mariae comes, ad pedes crucis stabat condolens. Ejus autem fidelissima et perseverans praesentia gratissima sane et jucundissima Salvatori fuerit.

c/ Tertia, in illo caritatis humanitatisque officio, fuit matertera Jesu (s. Hier. *in M.* 27, 56), **Maria Clopae,** soror B. Mariae V. Et quarta, **Maria** illa **Magdalena,** quae, ut notum est, ardentissimo amore Jesum prosequebatur.

d/ **Aliae mulieres piae**, inter quas nominatur mater filiorum Zebedaei, sc. Salome, et **quidam viri**, *noti* Jesu, stabant **eminus**, forsitan retroacti a militibus, et quae fiebant moerentibus aspiciebant oculis : utique, per praesentiam suam et miserationem Servatori levamento fuerunt.

Animadvertere juvat omnes illos, qui pio animo aderant, tum mulieres quum viros, neque periculo suo, neque spectaculi tristitia, neque probris inimicorum absterritos fuisse : tanta enim vis est verae caritatis !

e/ **Bonus latro** etiam citari potest, quippe qui socii sui maledicta reprehenderit, Jesu innocentiam palam professus fuerit, et summa cum humilitate se Domino commendaverit. Cf. q. 872 et sq.

f/ Etiam **miles** ille, **qui spongiam** aceto plenam **ad os Jesu admovit**, memoratu haud indignus videtur : q. 889.

N° II. Benignitas Jesu in cruce.

Q. 870. Jesus *duo benignitatis testimonia* irrisionibus opponit.

Transitio. Ut vidimus, multi ex adstantibus Judaeis, praesertim principes et optimates, spectaculo tot tantorumque tormentorum, quae Jesus patiebatur, nihil commoti, neque ulla affecti miseratione, sed contra, omnem humanitatis sensum exuentes, sceleste ei conviciantur, atque adeo afflicto afflictionem addere haud erubescunt. At vero Salvator noster, admirabili usus magnanimitate, duo benignitatis et misericordiae praeclarissima testimonia pessimae istorum agendi rationi opponit : primum A/ erga alterum ex duobus latronibus, qui ejusdem consortes erant supplicii ; deinde B/ erga matrem carissimam, quae cruci adstabat moerens, quamque morte relicturus erat post pauca temporis momenta.

De utroque jam pie inquiremus.

A. Bonus latro : 2m verbum in cruce.

Praeced. vide ante q. 863.

L. 23, 39. Unus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabat eum dicens : Si tu es Christus, salvum fac temetipsum, et nos. 40 Respondens autem alter increpabat eum, dicens : Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es. 41 Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus : hic vero nihil mali gessit.

42 Et dicebat ad Jesum : Domine, memento mei, cum veneris in regnum tuum. 43 Et dixit illi Jesus : Amen dico tibi : Hodie mecum eris in paradiso. 44 Erat autem fere hora etc.

Ante q. 883.

De conviciis latronis, quae huic facto occasionem dederunt, quaedam jam diximus supra, N° I, ubi de irrisionibus Jesu illatis.

Praevia annotatio obiter inserta.

Q. 871. S. Lucas benignitatem Jesu erga peccatores praesertim demonstrat : affer quaedam exempla.

Solus L. historiam pii latronis narrat, et proinde 2m verbum Jesu in cruce pendentis refert solus. Solus etiam 1m verbum tradit. Bina sunt misericordiae et condonationis verba : ex aliis autem pluribus exemplis videmus mentem fuisse isti Evangelistae, ut benignitatem Jesu erga peccatores diligentius demonstraret : v. gr. ipse parabolam filii prodigi, et unctionem a publica peccatrice factam (L. 7, 36 sq.), describit solus.

Q. 872. M. et Mc. dicunt *latrones* (in plur.), qui cruci affixi erant cum Jesu (1), ei conviciatos fuisse : 1° num uterque latro hoc fecit ? Quomodo verba M. et Mc. conciliantur cum iis quae narrat L. de latrone poenitente ? 2° Quid bonus latro dixit ? Ostende in verbis ejus latere vera poenitentiae sensa. 3° Quid Jesus ei respondit ? Benignitatem responsi expone, et imprimis proba plus datum fuisse quam rogatum fuisset.

R. ad 1m. Secundum **sententiam probabiliorem**, quam tenuit jam s. Ambr. *in L.* l. 10, 122, et post ipsum s. Aug. *De cons. Evang.* 3, 16, et Ps.-Cypr. *De Pass. Dom.*, unus tantum latro (puta, ille qui a sinistris Jesu erat) blasphemavit : **pluralis** autem ille est **categoricus** seu **genericus**, loco singularis : cf. M. 2, 20, supra q. 120 : sic etiam s. Joannes dicit *milites* (in plur.) obtulisse Jesu spongiam aceto plenam, quamvis ex M. et Mc. constet ab uno tantum id factum fuisse. « Sic illud est, ait s. Ambr. l. c.: *Adstiterunt reges* « *terrae et principes convenerunt in unum ;* solus enim Herodes rex et « princeps Pilatus in Act. Ap. conspirasse adversus Christum « Petri voce produntur [cf. Act. 4, 27]. Sic et ad Hebr. habes cap. « 11, 37 etc. » Ibi, ad Hebr., *secti sunt* de solo Isaia dicitur. Simili modo diceret quis, ut notat s. Aug. ib. « Et rustici mihi insultant, « etiamsi unus insultet. »

Alia opinio. Orig. autem *in M.*, Ps.-Athan. *Hom. de Pass. et cruce*, n. 23 (in append. edit. Bened.), s. Chrys. et s. Hil. censent utrumque initio Jesu insultasse : ita etiam s. Hier. : « Uterque « latro primum blasphemavit ; dehinc sole fugiente, terra com-

(1) Quinam essent latrones isti dixi supra, q. 861.

« mota, saxisque disruptis (1), et ingruentibus tenebris, unus « credidit in Jesum, et priorem negationem sequenti confessione « emendavit. » Hanc opinionem simul cum priore proponit s. Ambr. l. c. : « Fortasse et iste prius conviciatus est, sed repente con- « versus est. »

Prior tamen sententia innuitur verbis ipsis quae ad socium dixit bonus latro : *Neque tu times Deum* etc. *ουδε φοβῃ συ τον Θεον*. Non sane ita locutus fuisset, ait Ben. XIV, si et ipse jam antea blasphemasset. Priorem sententiam amplectimur cum Langen, Schegg, Bisp., Beel., Reischl, Didon, Knab. etc.

Quum **satis mirum** videatur M. et Mc., de latronibus loquentes, nihil aliud referre quam eorum contumelias, **Fouard** per conjecturam opinatur Lucam factum illud didicisse a B. Maria V., et duos alios Evangelistas id ignorasse. Sed haec conjectura scrupulum quemdam animo injicit nostro, et etiam **satis mira** videtur.

R. ad 2^m^. Tria dixit, quae, si attente considerentur, habenda sunt tamquam praeclarissimum exemplum sensorum in homine vere poenitente requisitorum.

Verba boni latronis sensa verae produnt poenitentiae.

Quaest. 873.

Etenim 1^m^ latronis verbum *Neque tu times Deum, quod in eadem damnatione es* quamdam **peccati detestationem** includit, qua eidem renuntiat ; 2^m^ vero *Et nos quidem juste, nam digna factis recipimus,* **peccati confessio** expressa est ; 3^m^ tandem *Domine, memento mei cum veneris in regnum tuum*, est praeclara **veniae precatio.** Igitur vir ille poenitens 1° a timore Dei *(times Deum)* initium ducit ; qui quidem affectus movet eum ad hoc ut peccatum in socio reprehendat, et proinde ut odium peccati palam ostendat. Hoc verae contritionis sensu animatus, 2° peccata sua ingenue et sincere confitetur. Sed ista non sufficere, ex misera Judae sorte novimus : ideo 3° cum fide et spe, quibus etiam charitas continetur, ad Salvatorem se convertit, condonationemque seu absolutionem humiliter implorat.

(1) **Recedo a s. Hier.** Non recte loqui videtur hic s. Doctor de *terra commota saxisque disruptis*, nam illud nonnisi tardius, eo ipso momento quo Christus obiit, verisimiliter evenit ; quamvis Lucas de velo scisso, quod portentum Hier. cum terrae motu forte connectebat, mentionem faciat antequam mortem Jesu referat ; vide infra, q. 906.

Sed jam ad singula veniamus.

a/ Increpabat alterum, firmo quidem animo, et veritati non parcens, sed simul cum candore, comitate et affabilitate sermonis; etenim, **non dure** et superbe eum **reprehendit,** sed se ipse simul accusat *(recipimus)* ; imo vero socium aliquantulum excusat (*neque tu*, puta aliorum inductus exemplo), sensa miserationis erga eum ostendit, simulque in ipso provocat miserationem erga Jesum *(in eadem damnatione*, poena, *es)*. Ne minimum quidem profert verbum quod socium exacerbare aut offendere possit : omnia enim et singula huc manifesto spectant, ut ad meliorem frugem eum revocent. Quid igitur dicit nobilis ille animus ?

Neque tu times Deum, non magis quam isti qui irrident Jesum, *quod in eadem damnatione es*, i. e. quamvis idem supplicium sustineas, atque adeo mox moriturus sis et a Deo judicandus. Alii ita explicant : neque tu times Deum, sed sicut isti irrisores miserum illum hominem conviciis impetis, quamvis in eadem, qua ipse, poena, eaque tam crudeli, verseris; potius ipsius misereri deberes, eo vel magis quod, ut statim addet in b/, nostra culpa longe gravior sit, imo vero quod ipse plane innocens sit. Certe, qui virum crudeli afflictum poena graviter laedit, eique indignissime insultat, *Deum non timere* merito dicendus est.

Multi verba illa L. legunt tamquam interrogationem : *Neque tu times Deum quod in eadem damnatione es ?* Beelen : *Vreest ook gij God niet, daar gij dezelfde straf lijdt?* Idque non falso. In edit. tamen authentica Vulg. a. 1698 signum interrogationis post vocem *es* non habetur.

b/ Pergit pius latro : *Et nos quidem juste* sumus in hac damnatione, in hoc supplicio ; *nam digna factis recipimus; hic vero nihil mali gessit*. Loco *mali* graece est verbum mitius : *ουδεν ατοπον*, *nihil inconveniens*, *incongruum*, flandr. *niets onbetaamlijks*, a fortiori nihil *scelestum* seu *malum* fecit. Duo autem hisce verbis efficit: hinc quidem, vera cum humilitate et sinceritate sua confitetur peccata; illinc vero, summo studio totoque pectore perfectam Jesu innocentiam aperte proclamat (1). Sed undenam eam noverat iste?

(1) **Ultimum** nunc, inter Passionem, Jesum nullius criminis reum esse diserte pronuntiatur : id jam professi sunt, ut vidimus, et Judas, et Pilatus, et uxor ejus, et Herodes (adde Centurionem, sed post mortem Jesu).

Imprimis ex interna gratia; deinde ex iis omnibus quae viderat et audierat de ipso, ex patientia ejus et tranquillitate, ex magnanimitate qua dixerat *Pater dimitte* etc. Hoc ultimum praecipue affert Theophyl.

c/ Tandem conversus ad Jesum : *Domine,* ait, *memento mei,* benigne mecum age, *cum veneris in regnum tuum.* Tria praesertim in his verbis admiramur : modestiam petitionis (*memento mei*), fidei excellentiam (de qua statim dicemus, et etiam q. 876), et firmitudinem spei (quippe quum speret *contra spem*, Rom. 4, 18). In graeco lectio probabilior est *in regno tuo* (ablat., non autem acc.) ; sensus igitur est *cum veneris*, cum redieris in terram, et fueris *in regno tuo*, in gloria et potestate regni tui. Cf. M. 16, 28.

Fides eximia. Itaque, quod longe aberat a communi Judaeorum persuasione, quippe qui Messiam exspectarent potentem, gloriosum beatumque in terris, quodque adeo ignotum omnibus erat, et ipsis quidem Apostolis adhuc absconditum, illud latro divina adjutus gratia intelligit, et credit, et impavide profitetur coram omnibus, nempe **Christum per cruciatus et mortem introiturum in gloriam.** Etenim, pro certo ponit ipsum e sepulcro surrecturum, et putat regnum Israel gloriosum et politicum tunc instaurandum fore. Atque ideo petit ut cum ipso ad vitam revocetur, felicitatemque regni ejus participare possit.

Quomodo explicentur sensa illa nobilia. Judaeus ille, cujus animus satis probus nobilisque videtur (forte vir politicae factioni addictus et ita seditionis reus), multa sane audierat de doctrinis Jesu, praesertim de regno Dei ab ipso restituendo ; saltem aliquid novisse debuit de ingressu ejus triumphali et quasi regio, qui quinque diebus antea contigerat, *universamque civitatem commoverat* (M. 21, 10) ; forsitan etiam quaedam olim viderat ex ejus miraculis, saltem hic et nunc animadvertit prodigiosam solis obscurationem ; praeterea Christi incredibilem patientiam mansuetudinemque heroicam miratur, necnon magnanimitatem ejus in verbis *Pater, dimitte* etc. ; potuit etiam ex ore Jesu audiisse quaedam alia verba pia et amica in Evang. non relata ; tandem, quod praecipuum est omnium, speciali et extraordinaria Dei gratia afficitur et pertrahitur. « O latro, exclamat s. Cyr. Hier. *Cat.* 13, 31, quis te illu-
« minavit ? quis te docuit ? Tu, o Lux aeterna, quae illuminas eos
« qui in tenebris versantur ! » — Vide quae mox addemus, q. 876.

Q. 874. Quam dulcia sint verba Jesu.

R. ad 3m. *Amen dico tibi*, solemnis asseveratio de re certissima maximique momenti : *hodie mecum eris in paradiso.* Quanta dulcedo in his verbis ! quanta felicitas ! Tria enim continent promissa, quae in unam vergunt aeternam perfectamque beatitudinem : esse cum Christo (*mecum*), et *hodie* jam, et in loco quidem summae amoenitatis (*in paradiso*). Optime Ps.-Bern. *tr. de Pass.* seu *de vite myst.* 9 : « Mira benignitas : non dicit simpliciter *Eris in paradiso*, « vel *Cum Angelis eris*, sed *Mecum eris.* Satiaberis eo quem deside- « ras, videbis in majestate quem confiteris positum in infirmitate. »

Per **paradisum** seu locum felicitatis non intelligitur *coelum* proprie dictum, quasi Christus secundum id quod Deus erat locutus fuisset, ut docet s. Aug. *Ep. ad Dard.* (ap. Migne ep. 187, n. 7), hoc sensu : statim post mortem tuam, quae *hodie* jam accidet, *eris mecum*, ubi ego Deus sum, sc. eris in loco beatorum in quo ego Deus semper sum, quippe qui ubique sim. Potius significatur (quod etiam proponit idem s. Aug. l. c. n. 6) **limbus Patrum**, in quo justi detinebantur usquedum per Christi Ascensionem essent in coelum introducendi : ad illum enim inferorum locum Jesus statim post mortem descendit ; illuc latronis animam secum adduxit (Mald.). Sensus igitur est : salutem et felicitatem, gaudium et requiem mecum obtinebis, statim post mortem tuam, hoc ipso die.

Igitur « Uberior est gratia quam precatio ; **semper** enim **plus** « **Dominus tribuit quam rogatur** (Ven. Beda *in L.* 23, 43). » Benignam petebat latro recordationem, sed forte putabat se antea diu passurum esse ; regnum Jesu venturum sperabat, sed nonnisi post multum temporis illud fortasse exspectabat : ideo dicitur ipsi **hodie**. Dein, optat ut aliquid refrigerationis in regno Jesu consequatur : et ecce **ipsius regni possessio** ei conceditur. Tandem, regnum cogitabat generatim dictum, vel temporale et terrenum : verum *paradisus*, seu **regnum** inauditae et **supremae felicitatis,** ei promittitur !

In verbo *mecum*, secundum interpretationem nostram, indicatur descensus Christi ad inferos : cf. infra q. 1192.

Notatu dignum videtur, ad latronem solum, ex tot myriadibus qui Christum audierant, Salvatorem locutum fuisse de *Paradiso* :

« Repromissionem Paradisi nemo ante latronem accepit (s. Chrys. « *Hom. 2 de Cru. et Latr.*). »

Numquam gratia major et promptior concessa fuit, sed numquam etiam edita fuit professio fidei magis meritoria, nempe fidei in Jesum fere ab omnibus denegatum et illusum, imo infami supplicio jam traditum.

De significatione vocis Paradisus in Scriptura.

***Q. 875.** Hac occasione obiter quaerimus quo sensu vox *Paradisus* in s Scriptura sumatur.

R. **Paradisus**, hebr. פַּרְדֵּס *pardès* (Neh. 2, 8 ; Eccl. 2, 5 ; Cant. 4, 13 , probabiliter Persicae originis vocabulum est *(fardaithi,* hodie *ferdews)*, quod in linguam graecam transiit (παραδεισος), et saepe occurrit apud Xenoph., in sensu horti amoenissimi, muris undique clausi, crebris aquarum fontibus rivisque irrigati, arboribus frugiferis consiti, in quo erant etiam nemora magna, nobilium ferarum gregibus repleta.

Jam vero. quod attinet ad usum illius nominis in Bibliis sacris, **tres** distinguendae sunt significationes, nempe :

1° In sensu illo **horti amoenissimi** vocem adhibuisse videntur 70 et Vulg., quando hebraea גַּן־בְּעֵדֶן proprie *hortum in Eden*, quibus verbis Gen. 2, 8, prima protoparentum habitatio designabatur, transtulerunt *paradisum voluptatis*, sumentes עֵדֶן tamquam nomen appellativum, cf. q. 1174. Eodem fere sensu Gen. 13, 10 regionem circa Jordanem fertissilimam vocant *paradisum Dei* (hebr. גַּן־יְהוָה *hortum Jehovae*).

2° In posteriore aetate, nomen illud significationem magis generalem minusque corpoream apud Judaeos obtinuit, cum dictum fuit de loco requiei et felicitatis, in quem justorum animae post mortem descendebant (sc. ante Christi ascensum in coelum) : idem ac **limbus Patrum**, seu, ut alii dicunt, *sinus Abrahae* (1). Et hic quidem sensus est quem Christus in responso ad pium Latronem vult significare, ut diximus in q. praeced.

3° In Apoc. vero 2, 7, quum limbus Patrum jam non exstaret (animae enim justorum cum Christo in coelum ascenderant), majorem vim adepta est vox *paradisus*, atque **ipsummet** denotat **coelum :** quemadmodum etiam, secundum multorum interpretationem, in 2 Cor. 12, 4, ubi s. Paulus dicit se *raptum fuisse in paradisum :* imo vero, sunt qui putent ibi indicari locum quemdam altiorem et excellentiorem coelestis civitatis, sc. eum in quo solium Dei est (Apoc. 2, 7 coll. 22, 1-3) : vide *Comm.* nostr. *in epist. Paul.* 6ª ed., Brugis, 1899.

Brevis repetitio. Igitur, ad quaestionem supra positam breviter respondeo: *Paradisum* « generale nomen esse quo significatur ubi feliciter vivitur (s. Aug. *Ep.*

(1) Obiter nota **Sinum Abrahae**, in quem Lazarus dicitur receptus L. 16, 22 et 23, majus quid significare quam simpliciter *limbum Patrum* seu animarum justarum sub V. T. receptaculum. Etenim, sedem quamdam eximiam et primariam in isto receptaculo designat, quemadmodum in convivio singularis honor et amor ei defertur qui *in sinu*, i. e. a dextris patris familias, collocatur.

« *ad Dard.*) » ; illud autem in s. Literis triplici sensu sumi : 1° pro loco amoeno his in terris ; 2° pro limbo Patrum ; ac 3° pro ipso coelo.

De prompta justificatione viri tam scelesti.

Q. 876. 1° Quaeritur quomodo vir tantorum reus criminum tam cito veniam obtineat et Paradisum promereatur. 2° Indica nonnulla doctrinae catholicae capita, quae ex historia felicis latronis confirmantur, vel illustrantur.

Resp. ad 1m. Ps.-Ambr. *Serm. 49 de s. Latr.* (citatur sub nomine s. Ambr. in Brev. Rom., in fine, die 24 Apr. ; sed editores Benedict. eum rejiciunt et remittunt ad Maximum in Bibl. PP.) praeclare docet promptae veniae multiplicem esse causam :

Et 1° quidem, quod vir iste ex devotione fidei de aeterno judicio, magis quam de temporali supplicio quod patitur, cogitet : ideoque non **corporis** sed **animae** petit liberationem. Quam venuste et **lepide s. Greg. Nyss.** *Or. de 40 Mart.* : « Non sponte sua latro ad « crucem accessit : sed postquam prope salutem fuit, animadvertit « acutus et ingeniosus fur thesaurum, et nactus occasionem *vitam* « rapuit, arte furandi pulchre et solerter abusus ! »

2° Quod **eximiam** ostendat **fidem**, ut supra q. 873 jam animadvertimus, credendo virum cruci affixum esse Messiam, quum Judaei contrarium tunc persuasum haberent omnes ; adeo ut ipsimet Salvatoris cruciatus, qui aliis scandalo fuerunt, illi ad fidem profecerint. Si credidit moriturum, saltem credidit resurrecturum, quem nuntiat regnaturum... Cernat licet hiantia vulnera, Deum tamen credit (Ps.-Ambr. ad sensum). S. Chrys. *H. 2 De cru. et la.* n. 2 : « Populum vociferantem et infinita convicia jactantem con- « spicatus, non vertit oculos ad injuriam crucifixi ; sed fidei oculis « omnia haec praetercurrens..., agnovit coelorum Dominum. » S. Leo *Serm. 2 de Pass.* (post s. Chrys. l. c.) : « Quae istam fidem « exhortatio persuasit ? quae doctrina imbuit ? quis praedicator « accendit ? Non viderat prius acta miracula (1) ; cessaverat tunc « languentium curatio, caecorum illuminatio, vivificatio mortuo- « rum ; ea ipsa quae mox erant gerenda, non aderant : et tamen

(1) Hoc tamen certum non est ; saltem videbat prodigiosam solis obscurationem quae tunc fiebat. S. Leo, ut innuitur, putabat tenebras miraculosas eo momento nondum ingruisse : forsitan a meridie paulatim invaluerunt, adeo ut nonnisi circa horam 3m ad summum gradum pervenerint.

« Dominum confitetur et regem, quem videt supplicii sui esse con-
« sortem. »

Consectaria dogmatica et moralia ex historia pii latronis.

Quaest. 877.

Resp. ad 2m. 1° Exemplum est, quo confirmatur doctrina s. Pauli ad Rom., salutem pendere **a fide in Christum,** non ab operibus legis Mosaicae (Orig. *in Rom.* III).

Sine Baptismo salvatus. 2° Praeterea, ex hac historia colligunt quidam Baptismum flaminis seu desiderii sufficere ad salutem. Alii vident hic Baptismum sanguinis : cf. s. Hier. *Epist.* 58, 1 (ed. Migne) : « Latro crucem mutat paradiso, et « facit homicidii poenam martyrium. » S. Aug. de baptismo Latronis saepius inquirit, et anxie examinat quomodo viro illi adhibitum fuerit remedium salutis adeo necessarium : *Contra Don.* 4, 22 ; *Retract.* I, 26 ; III, 18, 25. Sed inutilis est haec quaestio, quum eo tempore nova Lex nondum esset satis promulgata ut praeceptum Baptismi vim haberet.

3° Deinde latrones nobis imaginem exhibent **ultimi judicii.** S. Aug. *Tract.* 31 n. 11 *in Joan.* : « Ipsa crux, si attendas, tribunal fuit : in medio enim judice con-
« stituto, unus qui credidit liberatus, alter qui insultavit damnatus est. Jam signi-
« ficabat quod facturus est de vivis et mortuis, alios posturus ad dexteram, alios
« vero ad sinistram. »

4° Latro poenitens docet de salute animae **nemini** umquam **desperandum** esse : *sperent* peccatores quamdiu *spirant !* « Numquam sera est conversio, ait s.
« Hier. *Epist.* 107, al. 7, *ad Laetam ;* latro de cruce transiit ad paradisum. »

Terribile impoenitentiae exemplum. 5° Attamen, ne spes in temeritatem convertatur, neve peccatores sibi illudant, dum sibi promittant poenitentiam in lecto mortis peragendam, probe animadvertamus oportet, ex duobus alterum in malo statu mortuum esse ; atque istud ei accidisse, quamvis ad latus Jesu versaretur, ejusque exempla, imprimis patientiam vere heroicam, videret, et verba audiret, tam dulcia tamque apta ad animum commovendum, quae Salvator ad socium ejus, ejusdem sceleris et poenae consortem, benigniter protulit. Adde etiam conversionem boni latronis, quae ipsum ad imitationem pertrahere debuisset, et verba justae reprehensionis, quae nata erant animum ejus tangere, atque in eo serios doloris et poenitentiae affectus excitare. Tandem, neque illud praetereundum est, tenebras miraculosas a misero isto conspectas fuisse ; ipsumque in mediis illis rerum adjunctis, quae cor lapideum ferreumque frangere potuissent, mansisse pervicacem et obduratum. Tanto terribilius est ejus exemplum, quanto mirabilis alterius conversio jucundior et solatio plenior dicenda sit.

Concludamus et **spem** salutari **timore, et timorem spe** sancta temperanda esse. « Timeat bonus, ait s. Aug. *De symb.* 2, 6, non desperet malus ! »

Festum boni Latronis. Beatum latronem, ab ipso Domino quasi **canonizatum,** Ecclesia colit die 24 April. (in fine Brev.) ; verum nihil dicit de nomine ejus, nec de historia ejus quae in Evangeliis apocryphis narratur, v. gr. in Evang. Nicod. 2, 10, in Narr. Joseph. 3, in Evang. infant. 23. Lectiones autem 2i et 3i Nocturni vere pulcherrimae sunt (nota tamen lect. 2 Noct. s. Ambrosio immerito adscribi).

Transitio.

Q. 878. Quo magis appropinquat vitae finis, eo perfectius sese pandit **cor Jesu;** cor illud **amantissimum**, quod vinculis amoris omnia ad se trahere debet, secundum promissa ipsius Domini J. 12, 32 *Et ego, si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum.* Ideoque, post mirae testimonium benignitatis latroni pio redditum, sequitur jam eximium caritatis erga matrem indicium: igitur primum ad se **traxit latronem gratia,** nunc autem verbis pietate filiali plenis **trahet nos ad Mariam,** ut et ipsa ad Jesum nos trahat et perducat.

Quum de corde Jesu amantissimo singulariter se pandente hic sermo occurrat, juvat in gratiam concionatoris sacri quaedam notare ad promovendam devotionem erga **sacratissimum Cor** nostris diebus mirabiliter propagatam. Vide in Append. IV Excurs. 49bis, q. 1178bis.

B. Jesus matrem Joanni commendat: 3^{m} verb.

Praeced. vide ante q. 864.

J. 19, 25. Stabant autem juxta crucem Jesu Mater ejus, et soror matris ejus, Maria Cleophae, et Maria Magdalene. 26 Cum vidisset ergo Jesus matrem, et discipulum stantem, quem diligebat, dicit matri suae: Mulier, ecce Filius tuus. 27 Deinde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. 28 Postea sciens Jesus etc. *Ante q. 887.*

Connexio.

Q. 879. Tria priora verba in cruce sunt tria caritatis testimonia. Primum verbum inimicos, secundum peccatorem poenitentem, tertium vero personas ipsi amicissimas respicit: atque adeo loquitur ante omnia ut **Mediator,** dein ut **Filius Dei,** nunc vero ut **filius hominis. Tria** itaque sunt **verba eximiae caritatis,** apto ordine relata, ita quidem ut praeponantur quae digniora et excellentiora sint.

Pulchra s. Ambr. verba. S. Joannes, dilectionis discipulus, factum illud tenerioribus animi sensibus insigne, et ad se proprie et singulariter pertinens, solus habet. S. Ambr. *in L.* l. 10, 129: « Alii mundum descripsere concussum, coelum tenebris obductum,

« refugisse solem... : Joannes, qui plenius divina penetravit myste-
« ria..., solus me docet quemadmodum (Jesus) in cruce positus
« appellaverit matrem, pluris putans quod victor suppliciorum...
« pietatis officia dividebat, quam quod regnum coeleste donabat.
« Nam si religiosum est quod latroni venia donatur a Domino,
« multo religiosius quod mater honoratur a filio. »

Antequam autem audiamus verbum illud tertium, quaedam dicenda sunt, cum J., de mulieribus quae juxta crucem stabant, additis aliis spectatoribus piis de quibus Lucas. Igitur duas distinguimus tractationis particulas, sub literis a et b.

a. De spectatoribus piis, Jesu devotissimis.

Q. 880. 1° Quinam ex notis Jesu steterunt *juxta* crucem ejus? 2° Sed feminae quaedam, ex iis quas J. dicit fuisse *juxta crucem*, secundum tres Synopticos steterunt *a longe* cum multis aliis (M. v. 55, L. 23, 49) : quomodo Evangelistae inter se conciliantur?

R. ad 1m. Singulos Evangelistas seorsum interrogemus.

1° Secundum J., quatuor (1) sequentes *stabant juxta crucem* : B. Maria V. et s. Joannes, Maria Clopae (*Clopae* est lectio melior quam *Cleophae*, quae erat soror B. M. Virginis (an *soror* proprie dicta, an vero *cognata* tantum, sc. uxor Clopae, qui frater erat s. Josephi, germ. *Schwägerinn*, disputatur), et Maria Magdalena (2).

---

(1) **Salome non erat soror matris Jesu.** Verba autem Joannis a quibusdam ita explicantur ut praeter unum virum, s. Joannem, ibi habeantur quatuor mulieres : 1° mater Jesu, 2° soror matris ejus, quae non nominatur, nempe Salome, seu mater filiorum Zebedaei (quae commemoratur apud M. v. 56 eadem occasione), 3° Maria Cleophae et 4° Maria Magd. Secundum hanc sententiam, Apostoli Jacobus Major et Joannes, filii Salomes, erant **cognati** Christi, sc. consobrini (*cousins germains, enfants de 2 sœurs*), et haec cognatio, aiunt, fuit specialis ratio cur Jesus moriturus matrem suam Joanni commendavit (Fouard). Verum, hac de propinquitate alibi in Evang. nullum reperitur vestigium ; dein interpretationi isti obstat, conjunctionem και *et* non repeti ante Mariam Cleophae, sicut ante alias personas (eam repetunt syr., et pers. (p), et aethiop., sed nulli alii) : haec repetitio necessaria fuisset ad vitandam amphiboliam, eo vel magis quod post verba *soror matris ejus* sponte exspectemus nomen istius personae. Ideo longe probabilius mihi videtur, verba Joannis intelligenda esse de tribus mulieribus, adeo ut *Maria Cleophae* sit appositio cum *sorore matris ejus*. Hanc sententiam demonstrare conabor q. 1133 sq. ubi de *fratribus Domini*.

Joannes omittit hic matrem suam. Secundum illam interpretationem Joannes inter mulieres quae cruci adstabant non recensuit matrem suam. Haec autem omissio explicatur, vel 1° supponendo Salomen tunc nondum ad Calvariam pervenisse (a M. et Mc. non nominatur nisi post narratam mortem Jesu) ; vel, cum haec hypothesis parum probabilis sit, 2° dicendo mulierem illam forte adstitisse in alio coetu (*un autre groupe*) quam tres istae a Joanne nominatae ; vel 3° Evangelista de matre sua non locutus est ex quadam animi modestia.

(2) **Contra pictores.** Nota Magdalenam **stetisse** : nescio quare tam saepe pingatur ante crucem genibus flexis. Sed magis reprehendo eam ornatu effingi pene meretricio, nudis lacertis et pectore, pedes Jesu avide amplectentem et osculantem, quasi amore deperditam. Hac occasione addere juvat, eamdem coram Jesu e cruce deposito tali modo etiam pingere non decere.

2° M. autem, loquens de iis quae fiebant post mortem Jesu, dicit v. 55 et 56 *fuisse ibi mulieres multas a longe* aspicientes (haec ultima vox non est in Vulgata, sed vera lectio eam habet in graeco), *quae secutae erant Jesum a Galilaea ministrantes ei: inter quas erat Maria Magd., et Maria Jacobi* Minoris *et Joseph mater* (loco *Joseph* vera lectio hic est *Joses*, sed M. 13, 55 vera lectio est *Joseph*; ergo duplex erat forma nominis), quae est eadem ac Maria uxor Cleophae, *et*, praeter illas duas, aderat etiam *mater filiorum Zebedaei* nomine *Salome* (1).

Matthaeo autem concinit Mc. 15, 40 et 41 : vide infra post q. 916.

3° L. autem 23, 49 loquitur praeterea de **viris** qui aliquantulum a cruce remoti erant : *Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quae secutae eum erant a Galilaea, haec videntes* (ὁρῶσαι in femin.), i. e. contemplantes ea quae ad supplicium Jesu in Golgotha referebantur : igitur isti omnes non erant tam longe, ut Jesus eos vicissim aspicere non posset. Non dicitur notos illos stetisse prope mulieres : verisimiliter erant **duae parvae turmae** (*deux petits groupes*), quarum altera, feminarum, forte minus remota a cruce erat (num ideo ὁρῶσαι in fem. ?). Atque, in imaginibus Christi cruci affixi, rem ita pingi velim ego. Vide ad M. 27, 55.

Probabile autem est *aliquos* tantum *notos* Jesu adfuisse, quamvis ap. L. 23, 49 habeatur : *stabant* **omnes noti** *ejus a longe ;* nam hoc videtur sic intelligendum : a longe stabant omnes qui aderant ex notis ejus ; vel saltem vox illa *omnes* non est stricte sumenda. Igitur praeter Joannem, qui stabat juxta crucem, alii viri aderant, eminus aspicientes.

A longe stabant, ideo forsitan quod propter tumultuantem plebem, et milites custodiam agentes, prope accedere haud facile possent. Duae tamen mulieres, Maria Cleophae et Magdalena, interdum ad crucem appropinquare potuerunt : vide quae statim dicam ad 2m.

---

(1) Apud Luc 8, 3, inter mulieres pias, quae a Galilaea secutae sunt Jesum, quaeque ministrabant ei de facultatibus suis, praeter illas recensentur : **Joanna,** *uxor Chusae procuratoris Herodis, et* **Susanna.** Vix dubium est quin ista Joanna ibi adfuerit, quum L. 24, 10 nominetur inter mulieres quae ad sepulcrum Jesu venerunt. **Satis mirum est s. Matthaeum,** qui plures designat mulieres sanctas morti Christi praesentes, **de B. Maria Virgine nullam mentionem fecisse.** Verum, silentium illud non est proprium s. Matthaeo, sed tribus Synopticis commune : ipsi non referunt verba quibus Jesus matrem Joanni commendavit. Quare autem factum illud praetermiserint, nos prorsus ignoramus.

Quinam autem erant **noti** illi? Non certe *cognati* Jesu, sed **amici** ejus; namque L. 2, 44 γνωστους et συγγενεις apprime distinguit. Sed quinam ex amicis? Nemo novit. An nonnulli Galilaei, ex Nazareth aut locis vicinis, an unus alterve Apostolorum etc., an vir ille apud quem Pascha manducaverat? Incertum plane est.

De mulieribus sanctis, quarum mentio fit in Evang. verbulum iterum dicemus infra q. 917 sq.

Pii quidam prope crucem, quidam a longe.

R. ad 2m. Nullum dubium quin B. Maria V. et s. Joannes steterint *prope crucem*, cum Jesus ad eos verba fecerit (Danko minus accurate *in promiscua turba*); et facile crediderim eos a cruce deinceps non recessisse: id enim perficit amor, quo majorem erga Jesum nullus in terris habuerit. *Amor sacerdos immolat*, ut canit Ecclesia: nimirum amans semet ipse immolat pro amato, atque adeo amor cum patiente pati vult. Imo vero *Fortis ut mors* est *dilectio* Cant. 8, 6, omniaque vincit, etiam mala et opprobria, etiam pericula et tormenta: et certe in istis rerum adjunctis Maria et Joannes talia subiere multa. Da amantem, et intelliget.

Aliae autem duae Mariae, de quibus loquitur J., interdum stabant aliquantum remotae cum ceteris feminis piis (*a longe*, aiunt Synoptici); interdum, sicut fit in simili casu, ad crucem appropinquabant (*juxta crucem* J.), ut matri Jesu et Joanni sese adjungerent, deindeque redibant ad eos qui eminus spectabant (1).

Ad pleniorem magisque distinctam historiae Evangelicae notitiam, juvat inquirere de Maria Magd., utrum eadem sit ac soror Lazari, adeo ut tres tantum sint Mariae.

An Maria Magdalena eadem est ac soror Lazari?

De quaestione illa hic mentionem faciendam esse duxi, propterea quod, si dicatur Magdalenam diversam esse a Maria sorore Marthae et Lazari, valde mirum videatur hanc ultimam inter mulieres sanctas in Golgotha non adfuisse. Quum vero satis ampla sit tractatio, satius erit eam ad calcem ponere, in Append. IV, q. 1197.

(1) Hac explicatione conciliantur Synoptici cum Joanne.

b. Verba Jesu ad Mariam et ad Joannem.

Evangelii pericopa citata fuit supra post q. 878.

Q. 881. 1° Quid Jesus in cruce matri suae dixit ? 2° Quid Joanni ? 3° Quam virtutem nos verbis illis docuit ? 4° Quisnam fuit effectus verborum Christi ? Explica singula Evangelii verba.

R. ad 1m. Ante notamus Jesum ex reverentia prius ad matrem et dein ad Joannem locutum fuisse. *Mulier*, ait, *ecce filius tuus* : ego te derelinquo, sed ipse partes meas sustinebit, ipse te tuebitur et colet. Interpretes, qui putant mentem Jesu fuisse ut etiam Joannem Mariae commendaret (quasi dixisset : Tu, mulier, vicissim eum dilige et tracta sicut mater filium), **sensum minus recte intelligunt** ; eo vel magis quod Joanni esset mater Salome, quae ibi adstabat. Unum et idem sibi vult Christus per utrumque verbum, nempe Mariam Joanni commendare.

Duritiam, quae in verbo **mulier** esse videtur, diluere conabimur q. 1023. Fouard opinatur Jesum nomen *matris* non adhibuisse, ne Mariam adstantium probris exponeret : sed in aliis etiam rerum adjunctis Jesus matri dixit *mulier*. Animadvertisse juvat Jesum quidem adhibuisse vocem *mulier*, Evangelistam autem hic quater repetivisse nomen **matris** : *stabat mater... soror matris... Cum vidisset matrem... dicit matri suae.*

R. ad 2m. *Ecce mater tua*, **eam ut matrem tuam** habe, tamquam talem **honora**, eam in domum tuam ducendo, custodiendo, alendo, defendendo etc.

R. ad 3m. « Docet nos, ait s. Chrys. *in Joan.*, ad extremum « usque halitum parentum curam praecipuam esse gerendam. » Pariter s. Aug. *tr. 119 in Joann.* ; et s. Ambr. *in Luc.* 23, 49. Omnino deserendus est s. Cyr. Alex. qui hic ait « Dominum matri, quae in « scandalum ceciderat et perperam de passione judicabat, providere « debuisse... Eam optimo praeceptori tradidit... qui mysterii alti- « tudinem exponere recte poterat. » **Mera suppositio, absurda « plane !**

R. ad 4m. *Ex illa hora accepit eam discipulus in sua*, εις τα ιδια, **i. e. in domum suam** (ut J. 16, 32, ubi Vulg. habet *in propria*, melius *in domum suam* ; pariter 70 verba hebr. *in domum suam* vertunt εις τα ιδια, Esth. 5, 10 ; 6, 12), gall. *il la prit chez lui.* Vix

differt s. Epiph. *Haer.* 78, 10 *accepit eam ad sese.* Minus recte s. Aug. *in J.*: « Suscepit eam in sua, non praedia, quae nulla propria « possidebat, sed officia, quae propria dispensatione exequenda « curabat. » — *In sua*, i. e. in domum suam, non significat in domum cujus ipse dominus esset (nam Apostoli omnia reliquerant), sed in domum in qua habitaret.

Ubinam mortua est B. M. V.? S. Joannes, Jesu voluntati morem gerens, omni officio et pietate Mariam semper coluit; etenim, quamdiu mansit in Palaestina, eam apud se habuit; profectusque Ephesum eam secum adduxit, ubi tandem Maria ex hac vita ad coelum convolavit. Ita Ben. XIV, *De festis D. N.* 7, 101: sed in festo Assumpt. dicit se dubitare de loco quo mortua fuerit B. Maria, an Ephesi, an vero Hierosolymis. Baunard, in libro praeclaro *L'Apôtre S. Jean*, ch. 11, Ephesinam B. Mariae habitationem non admittit. Misl. 2° vol. hanc tractans quaestionem concludit etiam Mariam Hierosolymis mortuam esse. Hodiedum ostenditur in monte Sion prope Coenaculum locus *Dormitionis B. M. V.* Anno 1899 imperator Germaniae hunc locum obtinuit et catholicis concessit, ut ibi aedificaretur ecclesia splendida. Aliunde constat ex vetustissima traditione *sepulcrum B. M. V.* situm esse in valle Cedron, prope Gethsemane.

Q. 882. *E verbis Jesu ad Mariam quid conjiciatur.*

Ex iis cum probabilitate satis magna colligimus **tria:** 1° s. Josephum eo tempore jam vita functum fuisse (contra s. Ambr. *in L.* 2, n. 4); 2° unicum Mariae fuisse filium, Jesum; 3° opes quibus sustentaretur Mariae non fuisse, nec sibi proprias neque a filio relictas, saltem non domum in qua habitaret curis vacua (quae inductio si admittatur, innuitur tum Jesu quum Mariae paupertas). Etenim, ut ait s. Epiphan. *Haeres.* 78: « Si habuisset **virum,** si habuisset **domum,** si habuisset **filios,** « in sua secessisset et non ad alienum. »

Pro more nostro adjiciendae videntur notae *asceticae* et *homiliticae*, quibus exponitur quam felix fuerit s. Joannes, et quam felices simus nos christiani, siquidem Mariam etiam *ut matrem* habere possumus eamque ut talem venerari debemus. Deinde quaedam dicenda sunt de *Maria, matre doloris*. Haec omnia ad calcem ponimus in Append. IV, Excurs. 50, q. 1219.

Sed a matre ad filium redeuntes, eum medio in opprobrio jam illustratum divinitus, voceque ipsius naturae celebratum contemplemur.

N° III. Tenebrae per totam terram.

Praeced. vide ante q. 867.

M. 27, 45. A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam. 46 Et circa horam etc. *Ante q. 885.*

Praeced. ante q. 867.

Mc. 15, 33. Et facta hora sexta, tenebrae factae sunt per totam terram usque in horam nonam. 34 Et hora nona etc. *Ante q. 885.*

Praeced. ante q. 871.

L. 23, 44. Erat autem fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque in horam nonam. 45 Et obscuratus est sol: et velum Templi etc. *Ante q. 903.*

Q. 883. Miraculi opportunitas.

S. Th. 3, 44, 2 : « Tunc praecipue oportebat in Christo « divinitatem ostendere, quando in ea maxime apparebat infirmitas « secundum humanam naturam. Et ideo in Christi nativitate stella « nova apparuit... ; in Passione autem adhuc major infirmitas... « apparuit, et ideo oportuit ut majora miracula ostenderentur, « circa principalia mundi luminaria. » Igitur, quum crucis supplicium omnium esset ignominiosissimum, quippe quod servis tantum et hominibus vilissimis scelestissimisque inferretur, scandalum, quod inde oriri poterat, opportune ablatum fuit per plurima prodigia, quae Jesu gloriam ejusque innocentiam abunde testata sunt. Inter ea autem *tenebrae*, ipso ortae meridie, quo dies solet esse clarissimus, primum obtinent locum.

Ordo et divisio argumenti. Quae quidem tenebrae ut probe cognoscantur, 1° temporis spatium quo permanserint, 2° earum causam et naturam (essentne vere miraculosae) et vim *(leur intensité)*, 3° amplitudinem seu latitudinem *(leur extension)*, 4° finem in quem eas immiserit Deus, ac tandem 5° antiquorum testimonia de eis, diligenter investigare oportet.

Silentium Joannis. Praemonemus de labore solis, sole justitiae laborante, Synopticos tantum locutos fuisse. Notatu dignum est Joannem de prodigiis in obitu Jesu factis ne verbulum quidem dixisse, quamvis tamen ipse Christi divinitatem libro suo imprimis demonstrare voluisse videatur. Hujus porro praetermissionis causam plane ignoramus.

Q. 884. 1° Quo diei tempore factae sunt *tenebrae ?* 2° Quaenam erat earum causa ? Erantne miraculosae ? Num densissimae, et aequales per totum tempus ? 3° An sese extenderunt super universum terrarum orbem ? 4° In quem finem contigerunt ? 5° Tandem, possitne Evangelica narratio testimoniis veterum scriptorum confirmari ?

Nulla V. T. oracula huc spectant. Ante responsum notamus, secundum plures ex ss. Patribus (ss. Hier. et Cyr. Alex. *in Joel.* ; Cyr. Hier. *Cat.* 13), de istis tenebris intelligenda esse quaedam V. T. oracula, ut Joel. 2, 10, 30, 31 ; 3, 15 ; Amos. 8, 9 ; Ez. 32, 7. Sed vaticinationes illae huc referri non videntur : sic Joel. 2, 30

citatur Act. 2, 19 alio sensu ; et quaedam certe ex eis extremum mundi fatum respiciunt. Ideo putamus nihil ibi esse, quo natura et vis tenebrarum, de quibus hic disserimus, definiantur.

1° Quanto tempore manserint tenebrae.

R. ad 1m. Factae sunt ab hora *fere* (L.) 6a usque ad 9m, i. e. circiter a meridie usque ad 3m nostram pomeridianam (1). Ex eo autem quod s. Leo *Serm. 2 de Pass.*, ut fidem beati latronis extollat, dicat miracula ab ipso visa non fuisse, possumus forte concludere (quod per se verisimile jam est, atque aliunde confirmatur) tenebras miraculosas non subito ingruisse, statim ac Jesus cruci affixus fuit ; sed eas a meridie **paulatim increvisse,** adeo ut circa horam 3m ad summum densitatis gradum pervenerint: q. 876 in not. marg.

2° Causa, natura et vis tenebrarum.

R. ad 2m. Ut videtur, ortae sunt ex obscuratione solis : etenim L. *Tenebrae factae sunt..... et obscuratus est sol*, i. e. (secundum probabiliorem explicationem) tenebrae factae sunt per hoc quod obscuratus est sol : itaque *et* sumitur tamquam particula explicativa, pro *nimirum*, *nempe*. Nota L. solum de sole deficiente loqui.

Miraculosas fuisse tenebras.

Jam vero, quod attinet ad causam istius obscurationis solaris, certum est eam per *naturalem* solis *eclipsim*, interposito nempe lunae orbe, ut olim jam contendebant quidam christiani nominis inimici (de quib. Orig. et s. Hier. *in M.*), factam non fuisse ; siquidem eo tempore, quando Pascha celebrabatur, luna erat plena, et proinde soli opposita (gall. *en opposition avec le soleil*) : atqui eclipsim solarem fieri cum luna sit nova et concurrat cum sole (gall. *en conjonction avec le soleil*) omnes norunt (cf. s. Aug. *De civ.* 3, 15). Deinde, ut notant s. Chrys. et Hier., tenebrae per eclipsim obductae non tres horas perseverant ; imo vix ultra 6 *minutas*

(1) Ergo per tres fere horas (a fine horae 6ae usque ad finem horae 9ae, *depuis qu'il était* 6 *heures du jour, jusqu'à ce qu'il fut 9 heures du jour*. Nolim cum *Winer *Realw.*, a. *Sonnenfinsterniss*, intelligere spatium quatuor horarum, ab initio horae 6ae (*11 heures du matin*) usque ad finem horae 9ae (3 *heures de relevée*). Huic enim sententiae obstant verba Mc. *Facta hora 6a* (*donc 6 heures étaient écoulées depuis le lever du soleil*), *factae sunt tenebrae.*

solet esse magna obscuritas (1). Igitur, certum est hanc non fuisse tenebrarum causam. Sed quaenam tandem fuerit, ignoramus, et nonnisi conjecturas statuere possumus. **Quatuor** referemus **sententias.**

1ª Multi opinantur solem defecisse **per eclipsim miraculosam,** nempe per hoc quod luna e regione coeli opposita soli se objicere venerit (Ps.-Dion. de quo infra ; Ben. XIV *De can. SS.* 4. 1, 25, 5-10 ; Mald. etc.) : verum ita miracula multiplicantur absque necessitate.

2ª Origenes autem *in M.* tr. 35, Theophyl., et Euthym. autumant tenebras **ex nubium** densarum **coagmentatione** exortas fuisse ; sed tunc, ut videtur, miraculum, quod fere omnes catholici post s. Patres admittunt, nullum fuisset. Saltem non facile esset cuiquam dubitanti persuadere nubes naturaliter adductas non fuisse. Hoc addo, propterea quod Origenes miraculum negasse non videatur, quum has tenebras iis comparet quae in Aegypto per tres dies factae sunt Ex. 10, 21 (2).

Relinquimus etiam conjecturam 3ᵐ, sc. eorum (Fouard cath., et mult. Rationalist.) qui contendunt **per vapores** e terrae penetralibus exortos accidisse aliquam aeris obscurationem generalem, qualis saepe fit in terrae motu (M. 27, 51) : quasi vero verba L. sic intelligenda sint : *Tenebrae factae sunt. et* per istas *obscuratus est sol.*

Ideo 4ª **sententia** (s. Greg. Naz. *Or.* 42 ad fin. ; s. Cyr. Alex. *in Joel.* 2 ; s. Hier.), quae tenet solem **in se ipso** fuisse obscuratum, lumine ejus retracto vel impedito i. e. diminuto, per directum quemdam Dei omnipotentis actum, **probabilior** nobis videtur : quocumque demum modo iste defectus solis cogitetur. Sive dicamus cum s. Hier. *in Joel.* 2, 10 coll. 3, 15, et *in M.*, solem velasse

(1) De Humboldt, *Cosmos*, 4ᵉ vol., p. 313 : « Une éclipse totale ne peut durer pour un point de l'équateur terrestre plus de 7′ 58″, et pour la latitude de Paris plus de 6′ 10″. » — Fateor tamen argumentum illud, ex spatio trium horarum deductum, quamvis non sit praetermittendum, plane *certum* non esse, quum non dicatur explicite *magnas* fuisse tenebras easque per omne tempus aequaliter crassas mansisse. Ceterum docent astronomici in eclipsi completa totum obscurati solis phaenomenon plus quam tres occupare horas. Sed, ut supra notavi, non potest hic agi de eclipsi naturali.

(2) Obiter nota non ejusdem generis fuisse istas **tenebras Aegyptiacas,** quum non in sole sed in aere ponendae sint, ut patet ex eo quod in terra Goschen (Gessen), ubi habitabant Hebraei, non esset obscuritas. Per ventum *Chamsin,* de quo loquuntur viatores, aer in Aegypto aliquando fit valde caliginosus : atque hoc quidem **naturale substratum** facti miraculosi fuisse videtur, teste Keil *und* Delitzsch *in Ex.*

faciem suam tenebris, seu retraxisse radios suos, hoc sensu quod (ut explicat s. Th. 3, 44, 2) divina virtute factum sit ut ejus radii ad terram non pervenirent ; sive quod aliqua crusta opaca discum solarem vestiret (Calm. *Diss. spec.*) ; sive quod in atmosphaera ignea lucidaque, quae circumdat orbem solarem (*la photosphère*, ut aiunt nunc astronomici), factae sint ingentes scissurae, unde maculae multae magnaeque apparuerint (1). Nolim autem facere cum Danko, qui prodigium illud adscribit actioni qua Deus per tres horas retardavit motum solis circa propriam axem ; id certe non approbarent astronomiae magistri.

Opinamur igitur tenebrarum causam fuisse obscurationem quamdam solis **praeter rerum ordinem,** adeoque eas in natura quidem, non vero naturae viribus accidisse. De cetero, etiamsi admitteremus eas terrae motu excitatas esse, miraculo tamen adscribendae forent, quum motus ille, de quo v. 51, etiam ut miraculosus exhibeatur a M., sicut alia prodigia inter quae recensetur.

Ut vero quaestionem hanc magis illustrem, de testimonio quodam antiquissimo historici Graeci, cujus nomen et verba hac in re ab omnibus recitantur, pauca addenda sunt.

Q. 884bis. Celeberrimum Phlegontis testimonium.

Plerique interpretes de tenebris istis intelligunt quae Phlegon Trallensis (in Lydia), scriptor ethnicus, narrasse dicitur (ap. Euseb. in *Chron.* ad ann. Christi 33) : nempe « Quarto anno ducentesimae secundae Olympiadis [qui videtur idem ac annus morientis Christi], magna et excellens inter omnes, quae ante eam acciderunt, defectio solis facta est. Dies hora 6a in tenebricosam noctem versus est, adeo ut stellae in coelo visae sint, ac terrae motus in Bithynia Nycaenae urbis multas aedes subvertit. »

Sed **testimonium illud non est** admodum **certum** (ut ostendit Serry), imo vero Danko *Hist. Rev. N. T.*, p. LXI affirmare non dubitat « huc non pertinere ». Etenim

(1) **Quomodo miraculum effingi possit.** Pictores solent, a multis retro seculis, lunae interventum in illo miraculo ponere, sive eam soli objiciant tamquam massam nigram quae istud astrum contegit, sive solem ex una crucis parte lunamque ex altera parte effingant, ut a 6° jam seculo communis usus introductus fuit. Licite utrumque faciunt : hoc quidem ultimum, quia vulgari nititur consuetudine, quae propter antiquitatem venerabilis habenda est (quidam etiam reperiunt hac in re sensum *symbolicum* satis arbitrarium : sic Mart. *Ant. chrét.*, a. *Cruc.* videt ibi in Christo duplicem esse naturam !!, et Reus. *Arch. chrét.* 1 vol. opinatur ita coelos enarrare gloriam Christi eique honorem deferre) ; illud vero primum, quia sententia, quae ponit eclipsim miraculosam, magnam habet auctoritatem, saltem externam. Si quis tamen, omissa luna, pingeret solem pallidissimum, vel sanguineum, vel nigris conspersum maculis, adeo ut sidus illud parum luminis emitteret, quasi lugens videretur, laudandus esset, propter majorem probabilitatem 4ae sententiae.

a/ Verisimile est Phlegontem de *naturali* quadam solis *eclipsi* locutum fuisse, non de tali quae in plenilunio contigisset : secus enim non omisisset notare lunam tunc plenam fuisse, tenebrasque ad tres horas perseverasse. Et Orig. *in M.* 27, 45 explicite dicit : « Phlegon quidem in Chronicis suis scripsit (de solis defectione), sed « non significavit in luna plena hoc factum. » Neque etiam Eus. mentionem facit de plenilunio.

b/ Annus porro, propter lectionis varietatem, certo statui nequit : Eus. enim in *Chron.* ponit annum 4^m^ Olympiadis 202, dum in *Dem. Ev.* 8, 2 dicit fuisse annum 2^m^. *Ideler 2, 417 censet intelligendam esse eclipsim quae 24 Nov. a. 29 accidit. Cf. *Wieseler, *Chronologische Synopse ;* Schegg, *Friedl.; pariter *Smith, *Dict.*, a. *Darkness.*

Tenebrarum vis et copia. Magnae sane fuerunt tenebrae istae, saltem tum cum ad culmen pervenissent (namque, ut supra diximus, probabile est eas non per omne trium horarum spatium aeque obscuras fuisse) ; quod quidem ex Evang. colligi posse videtur, siquidem tamquam prodigium referuntur, illudque ex modo quo ss. Patres de iis loquuntur confirmatur. Non tamen, ut observat Calmet, tam densae quam in atra nocte cogitandae sunt : huic enim conjecturae non favent quae narrantur gesta fuisse prope crucem Jesu ; praeterea, istud ex verbis Phlegontis de stellis medio die visis demonstrari nequit, quum testimonium non certo huc spectet ; tandem, animadverti debet solem dici quidem *obscuratum*, non vero *exstinctum*.

3° Tenebrarum amplitudo, seu quam late fuerint extensae.

R. ad 3^m^. Tres Evangelistae, qui de tenebris istis scribunt, aperte dicunt eas factas esse **super universam terram :** quaestio est utrum verba stricto sensu accipienda sint, pro : super omnes et singulas orbis terrarum regiones, in quibus (ut per se ponendum est) tunc sol lucem spargebat.

1^a^ Sent. Super solam Judaeam.

Maldonatus Origenis sententiam, qui **solam Judaeam** tenebris obvolutam fuisse existimat, sequitur ; innixus duplici praesertim ratione :

a/ Quia propter Judaeos id contigit, ut quibus Christus novam praedicaverat religionem, divinitas ejus confirmaretur ; sicut cetera signa, scissio veli, terrae motus, ruptio petrarum, monumentorumque aperitio, Hierosolymae et in vicinia facta sunt.

b/ Si universalis fuisset obscuritas, certe, ait Mald., unus alterve ex tot Graecorum Latinorumque historicis paganis, de re tam admirabili mentionem fecisset (1).

c/ Addi potest alibi dictionem πασα ἡ γη de sola Judaea sumi, ut L. 4, 25. Imo juxta Knab. Matthaeus uti solet voce κοσμος quando *orbem terrarum* vult designare, sc. 4, 8 : 5 14 ; 13, 38 ; 16, 26 ; 24, 21 ; 25, 34 et 26, 13.

Censet igitur Mald. verba *universa terra* (πασα ἡ γη M., ὁλη ἡ γη Mc., L.) per hyperbolen posita esse. Pro hac sententia citantur etiam s. Cyr., Baron. ad an. 34, n. 116, De Lyra, Erasm., Vatabl., R. Simon *Hist. crit. du N. T.* 34, Berg. *Dict.*, a *Eclip.*, Friedlieb ; imo s. Th., qui hanc et alteram proponit.

2ª Sent. Super universam terram in sensu proprio.

Attamen plerique auctores catholici, Cajet., A Lap., Fill. etc., cum s. Chrys. et Theophyl., opinantur rationes illas non esse sufficientes, ut ad hyperbolen, quae alibi in Scriptura quandoque occurrit, recurramus, et intelligamus universam Palaestinam, ut L. 4, 25, vel universum orbem Romanum, ut L. 2, 1 e multorum sententia ; pariter Act. 11, 28, ut nobis videtur, cf. com. nostr. 5ª ed. Contra, notant singularia atque insueta facti istius adjuncta suadere ut miraculum intelligamus maximum (L. 21, 35 *super faciem omnis terrae* etiam sensu proprio sumi videtur). Quando enim Creator mortem patiebatur, decebat ut natura creata lugeret universa (2). Pulchre Theophyl. : « Erant tenebrae in toto mundo, « non in parte mundi, ut in Aegypto (olim Ex. 10, 22 ; Sap. 17, 2 « sq.) : ut monstretur quod lugeat in passione Creatoris creatura, « et quod a Judaea lux recesserat [Christus sol intelligentiae « recesserat] ; Judaei quoque petentes signum e coelis [M. 16, 1], « nunc videant solem obtenebrari. »

Hanc autem sententiam ideo libentius sequimur, quod probabiliorem ducimus 4ᵐ illam conjecturam, de qua supra, secundum quam sol ipse in se defectum aliquem passus fuit : qui quidem

(1) Phlegontis autem testimonium, quod imprimis posset citari, immerito adduci, supra demonstravimus. Nec firmior est auctoritas *Julii Africani*, aut *Thallí* ab eo nominati (in *Chron.* gr. Eus., et ap. Syncell.) ut probat Danko l. c.

(2) Igitur, in tenebris illis et solis obscuratione admittenda est significatio quaedam arcana et figurata : *sol spiritualis et sol corporeus* simul deficiunt, non absque insigni sane causa.

defectus in omnes regiones, ubi tunc erat dies, vim suam exerere debuit. Ideo cum Bisp. vertimus *über die ganze Erde ;* non ut alii *über das ganze Land*, puta *Palaestinam.*

4° Finis in quem factae sint tenebrae.

R. ad 4m. Ex dictis concludimus tenebras, in triplicem praesertim finem factas esse :

Primum et praecipue ut Christi divinitas manifestior esset, atque adeo, scandalo crucis deleto aut saltem represso, ex una parte discipulorum fides confirmaretur, ex altera vero parte Judaeorum contumacia excusationem non haberet ullam : quare censuit s. Chrys. tunc concessum fuisse *signum de coelo* quod Judaei tam acriter postulaverant.

2° Ut in tenebris corporalibus *symbolum* quoddam seu signum altioris significationis esset, quod statim in nota marginali dicebamus : v. gr. Christum, solem justitiae et veritatis tunc occubuisse (s. Cyr. Jer. *Cat.* 13) ; vel tenebras spirituales tunc fuisse in animis Judaeorum, tenebras malitiae et obcaecationis. « Hae tene-« brae, ait auctor antiquus qui olim laudabatur sub nomine s. Chrys. *H. de cru. et la.*, « significant excaecationem Judaeorum : hodie apud Judaeos tenebrae sunt, apud « nos autem nox in diem conversa est. » S. Leo *De Pass.* s. 10, Judaeos alloquens : « His vocibus vestris, ait, stultis atque blasphemis reddunt omnia elementa « responsum, et unam in vos sententiam ferunt. Coelum, terra, sol, sideraque « indignos vos suo ministerio protestantur, terribili motu, insolitoque defectu « tenebras mundo vestrae caecitatis ostentant. » — Orig. h. l. praeclaram addit comparationem : « Sicut Moyse manus extendente in coelum, factae sunt tenebrae « super Aegyptios,... ita et Christo... manus extendente in cruce ad coelum, super « populum qui clamaverat *Tolle* de terra hunc *et crucifige eum*, factae sunt tenebrae, « et ab omni lumine sunt privati. »

3° Ut sceleris immanitas atque magnitudo plenius agnosceretur, quasi sol radios suos retraxisset *ex horrore* : « Ne, ait s. Hier., aut pendentem videret hominem, aut « impii blasphemantes sua luce fruerentur. » Hic autem tertius finis melius intelligetur, si nobis in memoriam revocemus divinae irae et ultionis vim praecipuam in Scriptura saepe declarari per solis obscurationem similesque imagines : Ez. 32, 7 ; Joel. 2, 10, 30 ; 3, 15 ; Am. 8, 9. Poetas profanos pariter naturae inanimae sensa tribuere, solemque describere obscuratum etc., quasi res omnes horrescant crimen, ut in epulis thyestaeis, utque (Virg. *Georg.* 1, 466 sq.) in nece Julii Caesaris, nemo ignorat.

Antitheton plane mirabile. Praetereuntes animadvertamus magnam rerum oppositionem in eo quod tenebrae pleno die ingruant densissimae cum moritur Jesus, dum in nocte Nativitatis claritas coelestis ac splendidissima mirabiliter effulsit. Ad praesepe personat laetitia, ad crucem vero luctus fit gravissimus.

Hactenus illud miraculum omni ratione examinavimus satis : unum tantum superest, ut inquiramus utrum singularis hujusce eventus mentio quaedam apud veteres scriptores reperiatur. Igitur

5° Antiquorum testimonia de tenebris.

Testimonium Dionysii Areop.

R. ad 5m. Praeter testimonia Phlegontis, Thalli et Julii Africani, quae, ut supra dixi, extra controversiam posita non sunt, solet imprimis invocari auctoritas *S. Dionysii Areopagitae,* Atheniensis.

a/ Antiqua traditio fert, aiunt, virum illum, cum solem praeter omnes naturae leges obscurari videret, attonitum exclamasse : « Aut Deus naturae patitur, aut « mundi machina dissolvitur ! » V. Brev. Rom. 9a Oct. Alii vero in haec verba locutum volunt : « Deus ignotus carne patitur », seu « Deus patitur ignote etc. »

b/ In operibus autem, quae sub nomine illius Dionysii edita sunt (l. 2, *Ep. 7 ad Polyc.* coll. *epist.* suppos. s. Dion. *ad Apoll.*, in vita Dion. ap. Cord.), legitur ipsum, cum Heliopoli in Aegypto versaretur, vidisse lunam ab oriente venientem et se soli objicientem, quamvis tempus conjunctionis non esset, et deinde eamdem ab hora 9a usque ad vesperum praeter rerum ordinem rediisse ad locum suum, soli e diametro oppositum, orientem versus. S. Th. 3, 44, 2, qui hoc admittit, ibi quatuor videt miracula distincta.

Validum non videtur. Notat tamen Muré *Byb. Geschied.* ea quae de Dionysio narrantur, tamquam historice vera a plerisque non haberi : imo ea strenue rejicit Calmet. Et merito facit, quum auctor operum Dionysianorum videatur 5i tantum vel 6i seculi esse, ipsaque narratio ejus falsitatem contineat : namque hora 6a, nostra 12a, lunam plenam in oriente intueri nemo potest ; ista quippe est sub terra in eadem linea meridiana ac sol ; imo etiam, hora 9a, nostra 3a pom., super horizontem nondum apparet.

Firmius est testimonium Tertulliani.

Ipse in *Apolog.* 21 ad veritatem illius facti stabiliendam annales regni publicos invocare non dubitat. En verba ejus : « Eodem momento (quo Christus spiritum « dimisit) dies, medium orbem signante sole, subducta est. Deliquium utique « putaverunt, qui id quoque super Christo praedicatum non scierunt [ratione « non deprehensa negaverunt (1)]. Et tamen eum mundi casum relatum in arcanis « [*vel secundum alios codices* in archivis] vestris habetis. » Sensus est : Illi, qui non scierunt id quoque (sicut et alia mirabilia quae antea attulerat Tert.) narratum fuisse de morte Christi, putaverunt tenebras illas ortas fuisse ex eclipsi solis, easque proinde fuisse naturales [quum rationem facti illius extraordinarii non deprehenderent, negaverunt exstitisse hujusmodi tenebras miraculosas, quae non ex solis eclipsi, sed praeter rerum ordinem ortae essent]. Attamen iste mundi casus, seu gravis ista legum naturalium perturbatio, negari nequit, quum legatur in Archivis [seu in documentis arcanis] regni vestri. Opinatur Schuster *Bibl. Gesch.* Tertullianum respicere ad *Acta Pilati*, quae quidem corrupta sunt, sed factis tamen historicis nituntur.

Magna tamen fit objectio. Si deliquium seu eclipsin putaverunt, id certe non contigit in plenilunio, ergo non die mortis Christi.

---

(1) Verba *ratione non deprehensa negaverunt* in uno tantum codice leguntur.

Testimonium Luciani Martyris.

Scriptor ille (a. 312) citatur ap. Ruf. *H. E.* 9, 6: « Requirite in annalibus vestris: « invenietis temporibus Pilati, Christo patiente, fugato sole interruptum tenebris « diem. » — Videte Ben. XIV, *De festis*, et *De can. SS.* 4, 1, 25, 5; Nat. Al. saec. 1, 1; Suar. q. 50, disp. 39.

Transitio. Igitur portentosae omnia nunc contegunt tenebrae, horrore plenae, inauditae: **atra** luctus mortisque **scena** pingitur. Jam sunt parata omnia, atque istat funestum Jesu fatum, mundi redimendi λυτρον. Diligenti ergo studio, atque majore pietate ultima Servatoris verba audiamus.

P. III. QUAE PAULO ANTE MORTEM EVENERINT.

Ordo rerum. Antequam Jesus universum vitae curriculum praeclara et eximia ratione concludit, dicens *Consummatum est* et *Pater in manus* etc., duo adhuc eloquitur verba quibus incredibilem suorum tormentorum vim declarat: 1° amaram querelam Deo Patri suo offert, cum exclamat *Deus, Deus meus* etc.; 2° sitim acerrimam, qua cruciatur, significat.

Hoc igitur punctum bifariam subdividimus.

N° I. Verbum 4m: Eli, Eli etc. Quidam illud irrident.

Praeced. vide ante q. 883.

M. 27, 46 Et circa horam nonam clamavit Jesus voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabacthani? hoc est: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 47 Quidam autem illic stantes, et audientes, dicebant: Eliam vocat iste. 48 Et continuo etc. *Ante q. 887.*

Praeced. ante q. 883.

Mc. 15, 34. Et hora nona exclamavit Jesus voce magna, dicens: Eloi, Eloi, lamma sabacthani? quod est interpretatum: Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? 35 Et quidam de circumstantibus audientes dicebant: Ecce Eliam vocat. 36 Currens autem etc. *Ante q. 887.*

Q. 885. 1° Qua diei hora Jesus 4m verbum in cruce (*Eli, Eli* etc., i. e. *Deus meus, Deus meus* etc.) pronuntiavit? 2° Ostende non esse verba desperantis, ut impie blasphemavit Calvinus.

R. ad 1m. Circa horam 9m, ergo paulo antequam exspiravit, quando igitur crucis tormenta ad summum doloris gradum pervenerant, verba illa prolata fuerunt. Nota Jesum, postquam Mariam Joanni commendaverat, aliquamdiu altum servasse silentium, quod quidem tenebris sensim crescentibus congruebat.

Interea temporis, summae tristitiae et acerbissimae animi aegritudini se tradit, quemadmodum in horto Olivarum fecerat; ac tandem diuturnum rumpit silentium, magnum terribilemque edens clamorem : *voce magna clamavit,* dicens *Eli* etc. Ps. 21, 1 אֵלִי אֵלִי לָמָה עֲזַבְתָּנִי, sed Evangelistae loco hebraei *hazabthani* ponunt Syro-Chaldaicum *schabacthani* שְׁבַקְתַּנִי, et Mc. loco *Eli* adhibet Syro-Chald. *Eloï* אֱלָהִי.

R. ad 2m. Christus, cum prima verba Ps. 21 adhibuit, locutus est secundum naturam humanam, non ut declararet eam sibimetipsi **prorsus** derelictam esse, **omnique** destitutam **auxilio naturae divinae;** sed ut nobis ostenderet se atrocissimis animi corporisque cruciatibus torqueri, absque ullo naturae solatio (1) ; quasi esset a Patre derelictus.

Tunc enim cruciatus ejus eo pervenerant, ut superarent omne quod homo pati potest in terris. Et non tantum in corpore, sed etiam in anima summum patiebatur dolorem, sicut in horto fuerat omni consolatione destitutus, et immenso quasi pelago moeroris obrutus : secundum Ps. 68, 2 *Intraverunt aquae usque ad animam meam : infixus sum in limo profundi... : veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me.* Tunc iterum, sicut in agonia horti, a Satana impugnatus fuit, et ultimam plenamque victoriam de eo reportavit; sicut ipse praedixerat futurum esse in Passione sua, J. 12, 31 *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.*

Illam autem mortis amaritudinem summam gustare voluit in anima aeque ac in corpore, ut pro nobis *mortis horrorem* imminueret, et sua desolatione nobis mereretur divinam consolationem.

Quo sensu erat derelictus ? Igitur vult docere se *factum* esse *pro nobis maledictum* Gal. 3, 13, imo *factum* esse *peccatum* 2 Cor. 5, 21, utpote peccatis nostris onustum ; atque ideo ipsi accommodari posse haec Deut. 21, 23 verba *Maledictus omnis qui pendet in ligno*

(1) **Mysterium** est, nostrae impervium rationi, in hoc quod Christus summos naturae humanae dolores et angores pateretur, quamvis natura ejus divina, quae humanae erat hypostatice conjuncta, visione beatifica frueretur (cf. q. 704 ad 2m) : sed mysterium istud, ad rem quod attinet non differt ab ipso Incarnationis mysterio. Imaginem quamdam imperfectam Christi patientis et simul gaudentis videre possumus in monte excelso, cujus cacumen purissima luce coronatur, dum latera ejus nube teguntur procellosa fulminibusque percutiuntur (Fouard).

(Gal. ib.). Ergo propter nos ita loquitur, « Quia personam nostram « gerebat, ait s. Joan. Dam. *De fide orth.* 3, 24 vel 34; non enim a « sua unquam divinitate desertus fuit, sed nos eramus derelicti et « contempti. » S. Leo *De pass.* 16: « Vox ista, ait, doctrina est, non « querela. » — « Ostendit se hominem verum, inquit Theophyl. « *in Matth.*, et non juxta apparentiam ; siquidem homo, cum vitae « sit cupidus, naturalem habet vivendi appetitum. Sicut enim in « moestitudine fuit ante crucem, ostendens timorem naturae nostrae « congruentem, sicet nunc inquit *Ut quid me dereliquisti ?* insi- « nuans naturalem vivendi cupiditatem : etenim vere homo erat, « nobisque per omnia similis absque peccato. »

Nulla desperatio, nulla contra Deum criminatio, sed exclamatio naturalis animae summo dolori immersae. Et in ipsis quidem illis terribilibus verbis jam detegimus initium nascentis fiduciae : *mi Deus ! mi Deus !* Quamvis videatur a Deo derelictus, novit esse Deum *suum*, qui ipsum adjuvare potest et vult ; unde spes quaedam oritur fore ut adjuvetur. Deinde, verba ipsa Christi morientis *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum* abunde probant sensa quaevis desperationis ab ipso fuisse prorsus aliena. Merito concludit Mald. : « Facessat igitur ista blasphemia. Satis blasphemiarum a Judaeis in cruce pendens Christus accepit : opus non est ut ab haereticis interpretibus ad dextram Patris sedens plures accipiat. »

Alia explicatio. Auctores nonnulli difficultatem solvunt, dicentes Jesum in cruce sine intermissione orasse, Psalmosque pie recitasse, v. gr. Ps. 21 *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* qui quidem Ps. specialiter refertur ad Christi Passionem. Forsitan Christus nihil aliud sibi voluit quam testificari Psalmum illum esse propheticum, et praedictiones ibi relatas nunc eventu confirmari. Ita, ut videtur, s. Chrys., qui dicit quod honoraret Patrem, ostenderetque se non esse Deo adversarium : « Ideo, pergit, « propheticam quamdam emisit vocem, usque ad ultimam horam « veteri legi praebens testimonium. » Huic concinit Mauduit, *Anal.*

Verba Eli Eli male intellecta et irrisa.

Q. 886. Quinam exclamationem illam male intellexerunt, et quo sensu eam sumpserunt ?

R. *Quidam de circumstantibus audientes dicebant : Ecce Eliam vocat* (Mc.) vel (M.) *Eliam vocat iste* (1). Plerique opinantur (**1ª sent.**) istos fuisse *Judaeos*, qui ex ludibrio diabolico fingebant se male intelligere verba amarae precis quae Jesus e Scriptura desumpserat, quique ea dedita opera et impio ausu a vero sensu detorquebant. Verum, ut censet Schuster, quum verisimile non sit Judaeos nomine Dei sacratissimo male usos fuisse, potius dicendum est verba Jesu ab eis distincte audita non fuisse ; aut istos fuisse **Hellenistas**, qui linguam Aramaicam nescirent. Obiter nota Eliam ut Messiae praecursorem habitum fuisse a Judaeis : cf. Mal. 4, 5 ; M. 17, 10 (L. 1, 17) ; M. 11, 14 ; Mc. 9, 11. Hodiedum huic adhaerent opinioni, teste Lipman *in Mc.* 15, 35.

2ª Sent. Sunt qui putent fuisse *milites* Romanos (ita s. Hier. qui 1ᵐ interpretationem etiam tradit), quia ille qui acetum Jesu praebuit, similia dixit Mc. ; deinde, quia M. ait *unus ex eis, spongiam implevit aceto* etc., cujus quidem sensus videtur unus ex eis qui dixerant *Eliam vocat iste ;* atqui acetum ab uno ex *militibus* fuisse oblatum totus narrationis contextus innuere videtur.

Huic quidem sententiae opponunt *Friedl., Fill. etc. Romanis de Elia nihil certe notum fuisse : istos potuisse simile quid dicere, postquam audiissent Judaeos adstantes verba Christi de Elia quodam interpretatos fuisse ; sed vix credibile esse Romanos primos hac de re cogitasse.

Respondet Knab. milites istos tales fuisse, qui, sicut Romani in provinciis facere solebant, ex ipsius regionis incolis conscripti fuissent, puta ex Samaritanis vel ex extraneis in Palaestina habitantibus (nam Judaei a militia erant liberi) : unde probabile est hujusmodi homines, qui ante militiam inter Judaeos vixissent, non fuisse plane inscios opinionis illius popularis de Elia praecursore Messiae.

Nostra sententia. Igitur, propter rationes prioris sententiae ex una parte, et ex altera parte propter verba M. *unus ex eis* quae favent alteri sententiae, censemus utramque sententiam conjun-

(1) Istorum irrisio, quam deinde milites repetunt, si illata fuerit eo tempore quo terribiles tenebrae omnia late contegebant, **attonitos nos reddit** : ideo conjicit Fouard tenebras eo momento, statim ante mortem Jesu, subito dissipatas fuisse. Potius supponimus tenebras non admodum crassas densasque fuisse, atque adeo non tantas ut diem in atram noctem converterint : quod supra jam monuimus.

gendam esse, sequenti modo : opinamur Judaeos primum exclamasse *Eliam vocat iste ;* num sperat Eliam, Prophetam nostrum illum magnum, forte venturum esse ut eum e cruce detrahat (Mc. v. 36)? Milites tunc Romani, has Judaeorum adstantium amaras irrisiones audientes, voces addiderunt suas, haec vel similia dicentes : Quis est ille Elias quem vocat iste ? Volumus videre utrum quis de coelo venturus sit ad ipsum liberandum. *Unus* tamen *ex eis*, cum putaret ex siti vehementissima elicitum fuisse *clamorem* illum Jesu *magnum* et certe raucum, cumque praeterea audiisset Jesum interea dicentem *Sitio*, miseratione motus fuit, et spongiam aceto plenam ori ejus obtulit : quod nunc exponemus.

N° II. Sitio (5[m] verbum) ; acetum : 27, 48, 49.

Praeced. vide ante q. 885.

M. 27, 48. Et continuo currens unus ex eis, acceptam spongiam implevit aceto, et imposuit arundini, et dabat ei bibere. 49 Caeteri vero dicebant : Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. 50 Jesus autem etc. *Ante q. 892.*

Praeced. ante q. 885.

Mc. 15, 36. Currens autem unus, et implens spongiam aceto, circumponensque calamo, potum dabat ei, dicens : Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. 37 Jesus autem etc. *Ante q. 892.*

Praeced. ante q. 879.

J. 19, 28. Postea sciens Jesus quia omnia consummata sunt, ut consummaretur Scriptura, dixit : Sitio. 29 Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori ejus. 30 Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit etc. *Ante q. 892.*

L. solus tacet de siti Jesu et de aceto *serio* oblato. M. et Mc. dicunt quidem acetum praebitum fuisse, sed solus **J.**, qui ceteris **plenius** atque enucleatius **omnia** quae in Passione Christi contigerunt **descripsit**, refert verbum *sitio*, acetumque a Jesu acceptum fuisse narrat.

Q. 887. Causae sitis illius vehementis. Jesus a vespera praecedentis diei cibo potuque abstinuerat ; totam noctem duxerat insomnem ; huc illucque raptatus fuerat ; magnam sanguinis copiam amiserat, tum in flagellorum, quum in crucis supplicio, eo vel magis quod, ut videtur, spinea corona e capite ejus detracta non fuisset ; cruciatus isti terribilissimi, quos passus fuerat, liquorem corporis vitalem exhauserant omnem ; adde ex vulneribus, quasi semper renovatis solisque ardori vel saltem aeri calido expositis, ortam esse inflammationem gravissimam, qua totum corpus febri-

bus aestuare debuit. « Graves autem dolores, ait s. Cyr. Alex. *in* « *Joan.*, magnam ad sitim commovendam vim habent, naturali « quodam et inexplicabili calore humidum consumentes, et igneis « ardoribus praecordia urentes. »

Q. 887bis. Quare Jesus *sitim* suam significavit ?

R. Certe ut nobis innotesceret tota vis tormentorum quae pro nobis pati voluit. Deinde, ut ostenderet etiam hac in re impleri Scripturam : cf. q. 890. Haud improbabilis est conjectura quorumdam Christum in cruce pie recitasse Psalmum 21, cujus prima verba jam pronuntiaverat (q. 885, ad 2m) : verbum enim *Sitio* congruit v. 16 ib. *Aruit tamquam testa* etc., q. 890. Pariter ultimum ejus verbum *Consummatum est* respondet ultimis verbis Ps. 21 in hebraeo : *populo nascituro* (nuntiabunt) *quia fecit,* i. e. nuntiabunt quod fecit seu perfecit opus suum benignitatis erga me : vide *Comm.* meum *in Ps.* Brugis 3a ed. 1886.

Obiter duo notamus 1° sitim vehementem, quae ex magna sanguinis amissione provenit, **crudelissimum** esse omnium cruciatuum corporalium, ut constat vel ex hoc solo quod milites graviter vulnerati semper ante omnia exclament *Aquam ! Aquam !* 2° Verbum Christi *sitio* sensu *mere accommodatitio* quandoque intellectum fuit de siti Jesu **spirituali,** qua salutem nostram obtinere, seu animas nostras lucrari, exoptat. S. Aug. *in Ps.* 61, 9 : « In cruce « positus, *sitio* dixit, quamvis illi non dederunt quod sitiebat : ipsos « enim ille sitiebat. » Cf. etiam Ps.-Bern., *Vit. spir.* seu *De Pass.* 13.

Q. 888. Quoties acetum Christo cruci jam affixo oblatum fuit, et qua occasione ? Evangelistarum narrationes hac de re inter se concilientur.

R. Secundum L. 23, 36 *milites Jesu illudebant, acetum offerentes ei :* hoc, ut videtur, ex irrisione factum est, potu ad os non admoto, et aliquamdiu antea accidit (cf. q. 868) ; proinde diversum fuit ab eo quod alii Evangelistae narrant haud diu antequam Christus exspiravit, cum dicunt spongiam aceto plenam ori ejus admotam fuisse. Sunt tamen qui putent, cum s. Aug. *De cons. Ev.* 3, 17, semel oblatum fuisse acetum (scil. postquam Jesu de siti conquestus est); illud vero factum apud L. fuisse anticipatum et paulo aliter narratum.

Rerum series. Utut ista se habeant, Christus, postquam excla-

maverat *Eli, Eli,* etc., *sciens omnia* alia jam *consummata* esse, *ut consummaretur* praedictio Scripturae, quae sola supererat, dixit *Sitio* J. Et continuo unus ex adstantibus (M. et Mc.), probabiliter unus ex militibus, *currens* M. ad *vas aceto plenum* quod ibi *positum erat* J., certe pro siti militum (et forte eorum qui cruci erant affixi) extinguenda (1), cepit *spongiam* aliquam, unam ex iis quae ad illud supplicium afferebantur ut vulnerum sanguis identidem detergeretur ; eam implevit aceto, et circumponens *calamo* (*canne de roseau* Mc., M.), seu potius J. cauli vel bacillo *hyssopi* (2), *dabat ei bibere* M. Alii vero milites, duriores et crudeliores, hoc impedire voluerunt, dicentes ex ludibrio M. *Sine, videamus an veniat Elias liberans eum*, inutile est ei potum dare, si Elias quidam mox veniat eum liberare. Alludunt ad verba *Eli, Eli* quae Jesus statim antea protulerat (q. 886). At vero, miles ille humanior respondit Mc. *Sinite me facere*, non impossibile est ut ab Elia reipsa liberetur ; *videamus si veniat Elias ad deponendum eum.* Sic M. cum Mc. conciliatur.

Sunt qui putent verba istius militis apud Mc. etiam ex ludibrio dicta fuisse : Sinite ut faciam, ego potabo illum, ut non moriatur antequam iste Elias, quem advocavit, veniat eumque e cruce liberet. Si ipse etiam jocatur, ut milites facere delectant, saltem misericordem se praebuit : ideo certe Jesus acetum accepit, ut aperte testatur Joannes.

Nota spongiam datam fuisse ab *uno* militum, ut dicunt M. et Mc.: ergo quando Joannes numerum adhibet pluralem *illi spongiam aceto plenam... obtulerunt ori ejus,* pluralis ille est categoricus seu genericus, et ponitur pro singulari.

***Q. 889.** Pro repetitione. An ille, qui acetum porrexit Jesu in cruce suspenso, ex benigno quodam miserationis sensu id fecit?

R. Videtur affirmandum, nam etiamsi supponamus verba ejus apud Mc. fuisse

(1) Potus ille militum Romanorum vocabatur *posca* (a *potando*, sicut *esca* ab *edendo*), et ex aceto, aqua et ovis compositus erat.

(2) Adhibitus fuisse videtur **bacillus hyssopi,** nempe talis qui duorum altitudinem pedum haberet. « *Une tige de 0m60 de longueur*, ait Rohault, *était suffisante pour atteindre la tête du crucifié.* » Cf. quae diximus de altitudine crucis q. 850. In Palaestina autem *hyssopus* in fruticem majorem quam in nostris regionibus accrescit. Hoc intelligimus de hyssopo **hortorum** vel vallium ; namque in **parietibus,** utpote siccis, valde humilis est illa planta, ut colligitur ex 3 Reg. 4, 33, ubi Salomon dicitur *disputasse super lignis, a cedro quae est in Libano usque ad* **hyssopum** *quae egreditur de pariete.* M. autem refert adhibitam fuisse καλαμον, *arundinem*, cui concinit Mc. : vox illa sensu improprio et latiore, de caule cujuslibet plantae, probabilius accipienda est. Sunt tamen qui putent ramusculos hyssopi, quibus continebatur spongia, arundinis vertici alligatos vel infixos fuisse.

contumeliosa, forsitan dicta fuerunt ex quadam levitate, vel ut sensa sua occultaret. Ceterum tali modo explicari possunt ut in ore ipsius nullam contineant irrisionem.

Q. 890. Ad quodnam Scripturae oraculum referuntur haec: *Jesus, ut impleretur Scriptura, dixit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem* etc.?

R. Praedictio in sola voce **sitio** haberi videtur, quo posito ad Ps. 21, 16 *Aruit tamquam testa virtus mea, et lingua mea adhaesit faucibus meis* respicitur. Nolim dicere Joannem loqui non solum de siti Jesu, sed etiam de **oblato aceto**, et in hoc casu verbis Ps. 21 modo recitatis addenda esse haec Ps. 68, 22 *Et in siti mea potaverunt me* **aceto.** Etenim totus contextus in Ps. 68 evidenter significat acetum offerri ex malo fine ad augendos dolores : cf. *Comm.* nostrum *in Ps.* 3ª ed. Si quis velit verba Ps. 68, 22 in sensu proprio (non metaphorico) de Christo intelligere, poterit ea referre ad M. v. 34 *Dederunt ei vinum bibere felle mistum.* modo haec sumat in malam partem, secundum opinionem illorum qui putant vinum ex malitia adulteratum tunc praebitum fuisse a militibus.

Hactenus quidem de Jesu *patiente* diximus cumulate : manet jam ut de eo *moriente* pauca addamus.

SCENA III.

Mors Jesu ejusque adjuncta.

Q. 891. Contemplatio generalis *luctuosae hujus scenae.* Pervenimus ad ultimum divini dramatis momentum. Sol, portentoso obtectus velo, tristis lugere videtur ; tenebrae horridae pleno adhuc die eousque increverunt, ut universam terrae faciem nigro atroque colore obvolverint : theatrum in Golgotha inaudito funestoque induitur apparatu, digno plane qui scelus Deicidii referat atque exornet. Hora est fere tertia post meridiem : tormenta Jesu extremum acerbitatis limitem transierunt, et adest tempus quo mortem obire sponte decrevit Salvator. **Hora** certe solemnis ac **memorabilissima,** qua major nec fuit antea, neque erit umquam. Mentem recolligamus, et piissime contemplemur quae ad sacratissimum illum eventum spectant.

JESU SUSPIRIA ULTIMA ET MORS.

a. Verbum 6m.

Praeced. vide ante q. 887.

J. 19, 30. Cum ergo accepisset Jesus acetum, dixit : Consummatum est. Et inclinato etc.

b. Verbum 7m.

Praeced. ante q. 903.

L. 23, 46. Et clamans voce magna Jesus ait : Pater, in manus tuas commendo spiritum meum. Et haec dicens etc.

c. Mors Jesu.

Praeced. vide ante q. 887.

M. 27, 50. Jesus autem, iterum clamans voce magna, emisit spiritum. 51 Et ecce velum etc. *Ante. q.903.*

L. 23, 46... Et haec dicens, exspiravit. 47 Videns autem centurio etc. *Ante q. 903.*

Praeced. q. 887.

Mc. 15, 37. Jesus autem emissa voce magna expiravit. 38 Et velum templi etc. *Ante q. 903.*

J. 19, 30... Et inclinato capite tradidit spiritum. 31 Judaei ergo etc. *Ante q. 919.*

Solus J. refert verbum *Consummatum est ;* et solus L. *Pater* etc.

Q. 892. Quam pia fuerint ultima Jesu verba.

Fiduciam, obedientiam et amorem in Deum spirant perfectissime. Veloci mentis intuitu totam retro vitam respiciens, exclamat *Consummatum est,* nempe quidquid a me consummandum erat : factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, calicem quem dedit mihi Pater penitus ebibi, omnemque faecem ejus exhausi. Merito et jure statim addit : *clamans voce magna* L., seu, ut ait M. *iterum clamans voce magna* (istud *iterum* refertur ad v. 46 *clamavit voce magna dicens Eli, Eli* etc.) : *Pater* (vox dilectionis, non ut supra *Deus, Deus meus*), *in manus tuas* etc. ; et dum haec dicit inclinat caput, forte in ultimum signum venerationis et obsequii erga Patrem et simul amoris erga nos, et cum emittit vocem *spiritum meum* tradit spiritum (*haec dicens, expiravit* L.), actum verbis conjungens. Quia « Nihil remanserat, ait s. Aug. *in J.*, quod antequam more« retur fieri adhuc oporteret, tamquam ille qui potestatem habet « ponendi animam suam et iterum sumendi eam [J. 10, 18]... tra-

« didit spiritum. » Significavit igitur se mori cum vellet (1), non ex vi propria supplicii, atque ideo ultro vitam relinquere. « Non « eam deseruit invitus, ait idem s. Aug. *De Trin.* 4, 16, sed *quia « voluit, quando voluit, quomodo voluit.* »

Q. 893. Quam apta quamque grandis sit dramatis conclusio.

Atque ita quidem consummatum fuit facinus iniquitatis **pessimum**, simulque opus virtutis, sanctitatis et benignitatis **maximum**. Terribile illud drama, quo sors generis humani aeterna decernenda erat, absolutum tandem est : personae, quae partes actionis in tragoedia ista divina egerunt, jam evanescunt omnes : muta elementa rugiunt strepuntque horrore et indignatione, dum vela cadunt scenamque sacram abscondunt : namque terra, divinitus concussa, tanta vi tremit, ut petrae findantur aperianturque sepulcra ; eodem tempore velum templi occulta manu scinditur.

Epiphonema tragoediae. Illico auditur vox, quae quasi *summarium* est *universi dramatis*, et simul effectus ejus primus, quippe quod ad salutem hominum actum fuerit totum : *Vere hic homo Filius Dei erat !* Nonne haec verba centurionis (q. 913) sublime **epiphonema** poematis sublimissimi habenda sunt ? Nonne eadem per omnium spatia seculorum, usque ad remotissimam mundi aetatem, merito proferent milliesque repetent illi omnes qui, sicut honestus ille miles, mente attenta sinceroque corde Jesum, ut **heroem vere divinum,** in cruce morientem contemplati fuerint ?

De his quae mortem Christi proxime secuta sunt, dicemus infra ad M. 27, 51 ; nunc de ultimis Jesu momentis deque obitu ejus tractabimus.

Q. 894. Recita 6^{m} et 7^{m} verbum Jesu in cruce, i. e. duo **ultima** ejus **verba in vita mortali.** Ea explica, et adde quam virtutem nos doceant imitandam.

R. 1° Verbum 6^{m} fuit *Consummatum est ;* hoc autem ait Jesus postquam dixerat *Sitio* et acetum acceperat, quo facto, noverat

(1) Noli cum quibusdam auctoribus id deducere ex M. *emisit spiritum* αφηκεν το πνευμα, nam hoc simpliciter sign. *exspiravit.* Verum, apud J. verba παρεδοκε το πνευμα aliquid voluntarii denotant : spiritum suum Patri suo cum fiduciali submissione *tradidit*, actu tunc perficiens quod statim antea dixerat : *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum.*

omnia quae de ipso praenuntiata fuerant esse eventu confirmata, praeter mortem. Sensus est : omnia et singula muneris officia jam perfeci ; aliis verbis, nunc peregi quidquid Pater, cum me in mundum misit, ut humanum genus redimerem, injunxit mihi.

Cum autem Jesus id de se ipse testaretur, docuit nos fidelitatem et perseverantiam, in munere nobis a Deo commisso, ad extremum spiritum servandam esse.

2° De 7° et ultimo verbo. In hora suprema, et quasi sub ipsa morte, Jesus clamavit *voce magna* M. dicens, ut habet L. : **Pater, in manus tuas commendo spiritum meum** (Ps. 30, 6 [1]). Tunc caput inclinavit J., et dein emisit spiritum (M. *clamans κραξας*, postquam clamasset, et, ut colligitur ex J., postquam caput inclinasset, *emisit spiritum*).

Sunt qui ubique videant prodigia. S. Chrys. *in J.* : « Non, « ait, postquam exspiraverat, caput inclinavit, ut apud nos fieri « solet ; sed postquam inclinaverat exspiravit. Quibus omnibus « declaravit Evangelista ipsum universorum esse Dominum. » Attamen P. Corluy *Comm. in J.* **nullum** hac in re videt **prodigium** ; et certe illud naturaliter fieri non potuisse demonstrabit nemo.

Quid lateat in ultimo Jesu verbo.

Sensus autem verborum *Pater* etc. sequens est : Pater, vitam, quam nunc amitto, tibi commendo, ut eam suscipiens, in meliorem immutes ac transformes ; vitam temporalem tibi offero, ut ejus loco immortalitatem vitae novae per resurrectionem mihi largiaris. Quasi repeteret quod vespere antea, in oratione post Coenam, jam dixerat, J. 17, 4 : *Ego te clarificavi super terram : opus consummavi quod dedisti mihi ut faciam* (*Consummatum est*) *: et nunc clarifica me, tu, Pater, apud temetipsum* (*Pater, in manus* etc.).

Igitur, ultimum Jesu morientis verbum plenum est **fiducia in Deum**, a quo vitam excellentiorem ea quam relinquit obtinere

(1) Liceat obiter notare ultimum Domini verbum in vita mortali e Psalmis desumptum fuisse, illudque etiam animadvertendum esse Salvatorem **Psalmorum** libro in docendo populum frequentissime, et multo quidem **saepius** quam quovis alio s. Scripturae libro, usum fuisse. Utinam et sacerdotes paulo diligentius praeclarissimis istis carminibus studerent, eorumque mirabilia verba accuratius adhiberent !

sperat ; proinde, spem resurrectionis et immortalitatis firmam certamque aperte profitetur.

Jam vero, dum ita loquitur, docet nos etiam Deo committere quidquid pretiosissimi habeamus, v. gr. vitam nostram, cum firma exspectatione fore ut Deus nos tueatur et salvet, hic in terris et postea in aeternitate.

Q. 895. Tres Synoptici notant singuli ultimum illud verbum Jesu jam morientis prolatum fuisse *cum clamore magno :* an ideo id addunt quod hac in re fuerit quid extraordinarium? Petitur igitur :

Clamor Jesu exspirantis fuitne miraculosus?

Non *certo* constat fuisse miraculum in eo quod Christus statim ante mortem *voce magna clamaverit* (quod bis fecisse legitur, sc. in 4° et 7° verbo). Probabilior tamen est sententia quae tenet clamore illo naturae vires fuisse superatas ; haec enim innuitur Mc. 15, 39 : *Videns centurio qui ex adverso stabat, quia* **sic clamans** *exspirasset, ait : Vere hic homo filius Dei erat.* Ben. XIV, *De festis*, omnino admittit **miraculum.** Et re quidem vera, solet non solum morientes, sed etiam timentes mortem, vox in primis deficere. S. Chrys. : « Ideo voce exclamavit, ut ostenderet ex potestate sua rem fieri. » Vide infra, q. 913.

Homiliticum. De Christo in cruce moriente venuste scribit s. Aug. (*tract. de virg.?*) : « Caput habet inclinatum ad **osculan-** « **dum,** cor apertum ad **diligendum**, brachia extensa ad **ample-** « **xandum,** totum corpus expositum ad **redimendum.** »

De septem verbis Jesu in cruce summatim.

***Q. 896.** Repetendi gratia obiter adjecta. 1° Recita septem Christi verba in cruce. 2° Qua occasione et ad quos dicta fuere ? 3° Quasnam docent nos virtutes ?

Resp. ad 1m et 2m ex praeced. collige. Igitur Servator ter allocutus est Deum Patrem, semel bonum latronem, semel matrem et s. Joannem ; verba autem *Sitio* et *Consummatum est* ad neminem singillatim dicta fuerunt.

R. ad 3m. Verbum 1m docet injuriarum condonationem ; 2m benignitatem et misericordiam erga miseros ; 3m pietatem erga parentes aut alios sanguine conjunctos ; 4m precationis ad Deum necessitatem in calamitatibus ; 5m perfectam Dei decretis obedientiam, et indirecte reverentiam s. Scripturae debitam (nam Christus dixit *sitio* eo fine ut Scripturam confirmaret, et quidquid in ea divinitus praefinitum fuerat perficeret) ; 6m fere idem docet ac 5m, sc. in omnibus et singulis muneris nostri officiis, usque ad extremum spiritum, Dei voluntati ejusque mandatis satis-

faciendum esse. Tandem 7m verbum adhortatur nos ad pietatem et fiduciam in Deum, qua ipsi commendemus quidquid habeamus pretiosissimi, v. gr. animam nostram.

Q. 897. Praecipua mortis Dominicae adjuncta.

1° Tempus.

Jesus mortuus est anno aerae vulgaris 29 (ut multi tenent), die 25° Martii (secundum antiquam et perpetuam traditionem Patrum latinorum (1)).

Mysticae quaedam congruentiae. Igitur, si admittatur haec sententia, **eodem die quo** 34 annis antea (vel, ut alii censent, 35 annis antea) in utero Virginis **conceptus fuerat.** Dies autem ille, quo major in seculorum spatio omnium nec fuit neque erit umquam, erat dies Veneris seu feria 6a, et proinde **idem** hebdomadis **dies** « **quo** factus est homo, ait Ven. Beda (*In fer.* 3 *Palm.* « cit. in Brev. Rom. offic. de S. Sindone : sed hom. subditicia « dicitur in ed. Migne t. 5, p. 410), et **tota est mundi creatura** « **perfecta...** Recte Salvator eadem sexta die crucifixus humanae « restaurationis implevit arcanum : ideoque, cum accepisset « acetum, dixit *Consummatum est*, hoc est, sextae diei, quod pro « mundi refectione suscepi, jam totum est opus expletum. »

Obiter nota, ex eodem auctore ib., Christum die sabbati in sepulcro requievisse, quemadmodum **Conditor** die 7° operi suo finem imposuit et **requievit.** Addimus Jesum vitam recuperasse primo hebdomadis die, quo die creata fuit **lux** : et merito quidem, namque simul ac Salvator novam inchoavit vitam, in mundo regenerato et quasi iterum creato nova vita infusa fuit, **lumenque resplenduit novum.**

Sed, ut ad quaestionem nostram, de temporis articulo quo mortuus est Jesus, redeamus, opinatur P. Patrizi (sed non recte, ut nobis videtur) eumdem fuisse diem hebdomadis quo natus fuerat Salvator.

Porro mors ejus in Pascha, festum diem omnium maximum, incidebat : « Oportebat enim, ait s. Leo *De pass.* 7, ut manifesto « implerentur effectu, quae diu fuerant figurato promissa mysterio :

(1) P. Patrizi autem *De Evang.* statuit diem 18 Martii, et censet Jesum vixisse annos 34 et dies 83 non integros.

« ut ovem significativam ovis vera removeret, et ut uno expleretur « sacrificio variarum differentia victimarum. »

Hora autem erat 9ª, i. e. 3ª nostra post meridiem (1) : eadem nempe hora, qua juge sacrificium vespertinum in Templo fiebat ; igitur, **quando agnus** sine macula, qui figura erat Christi, **jugulabatur**, et simul offerebantur simila et vinum (Ex. 29, 38-42 ; Num. 28, 3), quibus sacrificium Missae, seu immolatio Christi incruenta in ss. Eucharistia, praesignificabatur.

2° Locus.

Vide supra ad M. 27, 33. Mysterium illud augustissimum actum est in Golgotha seu Calvariae loco, ad occidentem Jerosolymae, prope moenia urbis, juxta plateam quamdam ; igitur in theatro valde publico, ubi supplicium a multis et eminus conspici poterat. **Extra urbem** Jerusalem, Judaicae gentis caput, situm erat, quod quidem legis veteris abrogationem gentiliumque electionem aptissime figurabat.

3ª Spectatores.

Quatuor milites cum centurione, qui Jesu supplicium intulerant, aliique forte milites pro custodia latronum appositi ; B. V. Maria, Joannes, Maria Cleophae et Maria Magd., juxta crucem (cf. q. 869 et 880) ; aliae mulieres piae, et noti Jesu stabant haud procul inde (cf. ib.) ; aderant quoque multi Judaei praetereuntes, spectantes et illudentes, praesertim Synedristae (cf. q. 868).

4° Quid proxime praecesserit.

Tenebrae miraculosae, a triplici fere hora ingruentes, et, ut videtur, sensim ingravescentes, factae erant super terram. In extremo spiritu Christus dixit *Consummatum est ;* dein *Pater, in manus* etc. Hoc autem ultimum verbum cum clamore valido protulit (2). Eodem tempore caput inclinavit et exspiravit : cf. q. 894.

---

(1) **Hora nostra Jesu morientis.** Quando Jerosolymis advenit hora 3ª post meridiem, in Belgio est tantummodo hora circiter prima, propterea quod procul a nostra regione, orientem versus, sita est Palaestina. *Jérusalem est à 32° 51', 15'' longitude Est de Paris, donc l'heure de Jérusalem devance celle de Paris de 2h 11' 25''. En effet, comme le soleil semble faire le tour du globe terrestre (c.-à-d. les 360° du cercle) en 24 heures, chaque degré de longitude constitue une différence de 4 minutes.* Inde explicat Estius *in M.* usum, qui suo vigebat tempore, **circa meridiem** pulsu aeris campani ad precandum admonendi Christianos. Sed, si haec fuit causa istius moris, quare sonitus non fiebat hora 1ª ?

(2) Supra jam notavimus, ex **clamore** illo vehementi concludi posse Christum non occubuisse propter vires exhaustas, sed quod tunc mori vellet, quippe quum sciret omnia esse consummata : nisi dicamus, cum quibusdam auctoribus, ipsum obiisse per subitam cordis rupturam, de qua opinione vide infra q. 927.

5° Tandem quid proxime secutum sit.

Effectus mortis Christi 1° in naturam inanimatam, seu prodigia cf. q. 904 sq.; et 2° in adstantes quosdam : cf. q. 911.

Christus omnia passus est quae homo pati potest.

S. Thom. 3. 46, 5 ostendit ex triplici capite Jesum secundum genus omnem passionem humanam sustulisse: 1° ex parte hominum, 2° ex parte eorum in quibus homo pati possit, et 3° ex parte membrorum corporis. Videsis ib.

De morte Jesu, quod attinet ad rationem ejus exegeticam, satis superque dictum esset, si nostra aetate inventi non fuissent auctores quidam novi generis, quorum praecipua virtus et laus est ut in dubium vocent quod ab omnibus semper et ubique certissimum habitum fuit. Qui quidem paucis sunt hic confutandi.

De vera et certa morte Jesu.

Aliqui **Rationalistae**, de numero istorum audacissimorum, qui absurdissima quaevis potius quam miraculum certum admittunt, ex inani et praejudicata opinione, ut Servatorem ad vitam rediisse negare possent, contenderunt vel ipsum mentis deliquio seu **syncope** affectum, vel ex pacto cum discipulis mortem simulantem, de cruce detractum suorumque cura sanatum fuisse. Hoc vero ultimum, de **simulata morte**, plane ineptum esse fatetur ipsemet *Paulus, qui syncopen asserere et defendere strenue conatur.

Unum tantum est quod in hac quaestione aliquam ingerit difficultatem, nempe Christum **tam cito** obiisse, quum viri cruci affixi sat diu in patibulo vivere solerent. Sed per tormenta, quae Jesus ante supplicium crucis passus fuerat, praesertim per diros flagellorum spineaeque coronae cruciatus, istud plenissime explicatur, absque eo quod cum Orig. miraculosum quid in hoc reperire debeamus.

His ante notatis, petitur ut

Q. 898. Demonstretur, contra Paulum **Rationalistam**, Christum in cruce veram mortem, non autem animi deliquium, passum fuisse.

R. Cum *Richter *De morte Serv.* Gott. 1757, *Gruner *De J. C. morte vera*, ed. 2, Hal. 1805, Coringio *Discurs. de repentina J. C. morte*, citat. ap. Malou, *Du culte du s. Sang*, aliisque laudatis apud

*Winer *Rwb.*, *Jesus,* cum Wiseman *Disc. sur les rapp. entre la sc. et la rel. révélée*, 5e Disc., id demonstramus sequentibus argumentis, quae breviter indicasse sufficiet.

Argumenta pro certa morte Jesu.

1° Ipsa vis verbi ἐξέπνευσε Mc. et L. (coll. M. *emisit spiritum,* et J. *tradidit spiritum*, i. e. Deo reddidit), sensu obvio et naturali sumpti, ut fatetur etiam *Winer. Absurdum est et inane commentum in eo quod *Paulus verbum *exspiravit* interpretetur per *deliquium, syncopen vel letargiam passus est,* quasi *exspiravit* idem esset ac *halitus cessavit!*

2° Præsentia tot testium, v. gr. centurionis, et praesertim Judaeorum qui pravo admodum animo verae Jesu morti inhiabant.

3° Ictus lanceae, quo latus alte perfossum fuit, et ad ipsam mortis certitudinem augendam illatus fuit. Vide infra q. 921.

4° Examen a Pilato institutum, antequam permisit ut corpus Jesu a cruce deponeretur.

5° Neque ea sunt praetermittenda quae de corpore ad funus composito, deque sepelitione ejus narrantur : quippe quae facta haud sane fuissent a viris piis Jesuque addictissimis, si in eorum mente vel levissimum de morte Servatoris exstitisset dubium.

6° Tandem etiam id notandum, fere omnes rationalistas nobiscum sentire : ipsemet *De Wette in J. 19, 50 affirmat opinionem, de morte existimata tantum, *parum probabilitatis* habere. Potius diceret iste auctor : *nullam* ipsi esse, *ne minimam quidem*, probabilitatem.

Exegeticae Passionis rationi et expositioni satisfactum hactenus fuisse confidimus : manet tantum ut, antequam commentarium de Jesu patiente et moriente absolvamus, homiliticas quasdam atque morales seu *asceticas* pro more nostro addamus annotationes, oratori sacro forte haud supervacaneas. Eas autem aptius ponemus ad calcem libri, in Append. IV, Excurs. 51, q. 1185.

Ultimum, quod hic inquirendum videtur, refertur ad rationes, quae Salvatorem nostrum impulerunt ut, quum per unum voluntatis actum genus humanum redimere potuisset, non solum multa passus fuerit mala, sed mortem ipsam, et mortem quidem crucis, sustinuerit. Igitur petitur :

*Q. 899. Quare Christus voluit I pati, II mori, et III in cruce quidem ?

Praemoneo rationes afferendas omnes esse **convenientiae**, non autem necessitatis absolute et stricte dictae.

I. Christus pati voluit.

Quia, ut docet s. Thom. III, 46, 1, id necessarium fuit necessitate finis (hoc sensu quod finis *convenienter* obtineri non posset absque illo), et ex triplici quidem parte: tum **ex parte nostra,** qui per ejus cruciatus redempti sumus aptissime, ut statim demonstrabimus ; tum **ex parte ipsius Christi,** qui per humilitatem Passionis meruit gloriam exaltationis (L. ult., 26 *Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam ?)* ; tum **ex parte Dei,** cujus decreta de Christo passuro in Scripturis relata perfici oportebat (L. ult., 44 *Necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me... Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati et resurgere a mortuis).* Unde dicendum cum s. Aug., *De Trin.* 13, 10 : « Sanandae nostrae miseriae convenientior modus alius non fuit quam per Christi « passionem » : quod quidem s. Th. supra cit. sequentibus confirmat rationibus, ex parte nostra deductis, ib. a. 3.

Quam salutare fuerit nobis quod Christus pati voluerit.

Pulchra materia pro sacra concione.

1° Hac ratione, ait s. Thom., homo cognoscit quantum Deus ipsum diligat, et vicissim provocatur ad Deum diligendum (Rom. 5, 8).

2° Jesus ita dedit nobis exemplum obedientiae, humilitatis, constantiae, justitiae ceterarumque virtutum quas inter dolores declaravit (1 Petr. 2, 21) : cf. q. 1187.

3° Per tormenta et mortem suam non solum hominum peccata expiavit (Apoc. 1, 5), sed etiam gratiam justificantem et gloriam beatitudinis eis promeruit (Hebr. 10, 19).

4° Quum sanguine Christi nos a peccato redemptos recogitamus, melius mente percipimus necesse esse ut immunes a peccato nos servemus (1 Cor. 6, 20).

5° Major *hominis* dignitas inde resplenduit, ut sicut homo victus fuerat a diabolo, ita etiam *homo* esset qui diabolum vinceret (1 Cor. 15, 57).

Videsis concion. in Pass. Domini, q. 1156.

II. Christus voluit mori.

Non solùm pati, sed *mori* voluit, et convenientissime quidem, ut s. Thom. 3, 50, 1, his fere argumentis ostendit :

1° Ut peccati expiatio fieret secundum strictum justitiae rigorem : poena enim peccati *mors* est, eam autem subiit Christus vice nostra.

2° Ut mors devinceretur, ideoque nobis minus esset terribilis (Hebr. 2, 14) ; quo sensu canit Ecclesia, in festo Invent. s. Crucis, 3ª Maii : *O magnum pietatis opus : mors mortua tunc est, in ligno quando mortua vita fuit.*

3° Ut Christus, ad vitam rediens, maximum omnium daret suae divinitatis argumentum (1 Cor. 15, 14).

4° Ut corporaliter moriendo similitudini peccati, i. e. poenalitati (quae potius peccati *effectus* dicitur), daret nobis exemplum moriendi spiritualiter peccato : secundum Rom. 6, 10 seq.

5° Ut se hominem esse verum, non phantasma, probaret : si enim, fugiens mortem, ex hominum conspectu subito evolasset, magna hac de re fuisset dubitatio.

Hactenus Doctor Angelicus, fere ad verbum. Quibus et hanc addemus rationem 6m :

6° Ut summum amoris gradum erga nos ostenderet : etenim *Majorem hac dilectionem nemo habet ut animam suam ponat quis pro amicis suis* J. 15, 13 ; eo autem generosior fuit ille amor quod, quando animam posuit pro nobis, non eramus amici ejus sed inimici : *Christus, cum adhuc infirmi* (peccatores) *essemus,... pro* nobis *impiis mortuus est. Vix enim pro justo quis moritur... : commendat autem charitatem suam Deus in nobis* (erga nos), *quoniam, cum adhuc peccatores essemus..., Christus pro nobis mortuus est* (Rom. 5, 6 sqq.). Atque adeo nos quoque ad summam charitatis perfectionem provocavit, docens oportere ut nos totos, vitamque ipsam, si necesse sit, ipsi offeramus et pro ipso immolemus.

III. Christus voluit mori in cruce.

Convenientissimum fuit, secundum s. Thom. 3, 46, 4, ut Christus mortem *crucis* pateretur. Praecipua autem sancti illius Doctoris argumenta indicabimus, nonnullis mutatis et additis.

Et 1° quidem, genus mortis erat omnium crudelissimum et ignominiosissimum, atque ideo peccata nostra perfectius expiabat : tunc enim Jesus execrationem contra nos latam plenius in se suscepit : cf. Gal. 3, 13 *Factus pro nobis maledictum, quia... Maledictus omnis qui pendet in ligno.*

2° Clarior fuit Christi triumphus, eo quod prius summae subjectus fuisset ignominiae.

3° Ita eventu confirmatae sunt antiquae praedictiones (q. 1189) et figurae (q. 1188) : plurimae enim ex istis ad mortem spectant *crucis*.

4° Favet symbolica ratio quae in s. Liturgia canitur : *Ut qui in ligno vincebat, in ligno quoque vinceretur ; et* ut Salvator *medelam ferret inde, hostis unde laeserat.* Atque etiam, ut qui per *lignum* peccasset edendo de arbore scientiae boni et mali, per *lignum* similiter expiaretur : s. Hier. *ad Gal.* 3, 14. — Symbolum etiam est in eo quod Jesus in cruce extendit brachia latissime (q. 852), quasi totum orbem amplecti vellet charitate.

5° Per hoc mortis genus praeclariora salutis exempla et documenta nobis dedit Salvator. Inde enim discimus, ait s. Aug. *l. 83 qq.*, q. 25, non tantum mortem non esse metuendam homini recte viventi, sed neque ullum mortis genus timendum esse : nulla enim mortis ratio supplicio *crucis* acerbior et formidolosior fuit. Praeterea, innumerae virtutes in cruce Domini, et perfectiore modo quam secus fieret, imitationi nostrae proponuntur : cf. q. 1187.

6° Tandem, ex summa istius supplicii crudelitate magis enituit charitas Christi erga nos, et melius docemur oportere ut ex mutuo amore omnia patiamur, etiam *gravissima* mala ; et gratus animus tanto ferventius in nobis excitatur, quanto excellentius est beneficium per crucem nobis collatum.

Propositum summum et ultimum.

Ex pia meditatione Passionis concludimus nos stricto jure Christi esse, utpote *emptos pretio magno* sunguinis ejus (1 Cor. 6, 20); proinde hoc tandem nobis proponere debemus: pro ipso unice vivere, seu, ut ait ib. Apost., *Glorificare Deum in corpore nostro* per vitam immaculatam.

Dicamus igitur cum Ecclesia (Brev. Rom., *off. s. Sind.*):

Nostra cum solum tibi, Christe, culpa
Causa tantorum fuerit malorum,
Nostra debetur tibi vita: vitam
Dedimus ipsam.

Conclusio universae de Passione commentationis.

Q. 900. Igitur, **divinum epos,** in se quidem **miserabile, admirabile** autem in effectu, quo majus neque in terris, neque in coelis agi aut excogitari nequit, quo *Deus in carne* mortem et amica mortis mille poenarum genera pertulit, suisque tormentis triplicem animarum hostem, mundum, carnem, et diabolum devicit, absolutum jam est auspicatissime.

Pro servis *Dominus* mortuus est,
pro sontibus *Insons*,
Medicus pro aegroto,
pro grege *Pastor*,
Rex pro populo,
et pro milite *Dux*;
imo vero *Opifex* pro opere ipso,
proque homine ipse *Deus!*

Atque adeo **mysterium** illud **caritatis** infinitae, qua motus et ductus Filius Dei, *qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo,... semetipsum exinanivit, formam servi accipiens... et humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Phil. 2, 6-8), totum patefactum est animis; et, dicam audenter, etiam **oculis** nostris, tanta heroica virtute attonitis atque stupefactis, fuit quasi **depictum.**

Didicimus ex eo et *comprehendimus, cum omnibus Sanctis, quae sit latitudo et longitudo, et sublimitas et profundum* charitatis Christi, Eph. 3, 18, cujus **cognitio**, testante Apostolo ib. v. 19, **omni** humanae **scientiae supereminet:** eam enim contemplati sumus, tamquam e propinquo et in imagine ad verum expressa. Quod quidem hunc in finem perfecimus, *ut impleremur in omnem plenitudinem Dei* (ib.).

Quid jam superest, nisi ut, in extrema parte hujusce de Passione tractationis gradum paulisper sistentes, exclamemus cum eodem s. Paulo, ibidem v. 20 et 21 :

Ei autem, qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus.., ipsi gloria in Ecclesia, et in Christo Jesu, *qui sanguine suo Ecclesiam acquisivit,* **in omnes generationes seculi seculorum! Amen!**

COMPLEMENTUM SECTIONIS 2ae.

A MORTE JESU USQUE AD RESURRECTIONEM. 27, 51-66.

Divisionis ac tractationis nostrae ratio.

Q. 901. Maxima rerum mutatio. Hactenus, in 2a sect. partis 3ae, de cruciatibus Domini diximus copiosissime, eamque historiam usque ad mortem Jesu perduximus, qua semel consummata, *Passio* proprie dicta finem habuit. Ad illum autem eventum sectionem istam concludendam esse duximus, propterea quod a primo momento mortis Dominicae maxima in historia Jesu contigit rerum omnium immutatio, adeo quidem ut nova quasi pars, alia εποχη, inchoanda videatur.

Christo honor jam et decus. Etenim, contumeliis cruciatibusque summis jam succedent plurima et quasi continua honoris decorisque testimonia, nempe prodigia in natura muta, mirabilis quorumdam adstantium conversio ad fidem, sanguinis et aquae e latere Jesu profluvium miraculosum, sepultura Christi honestissima et vere splendida, maxime vero Resurrectio ejusdem et Ascensio gloriosissimae.

Rationes convenientiae. Et certe decebat ut Servator, quo magis fuisset *humiliatus* et despectus, eo splendidius *exaltaretur* atque illustraretur (Phil. 2, 7 *Semetipsum exinanivit...* et *humiliavit...*, *propter quod et Deus exaltavit illum* etc.), tum in ipsius praemium, quasi in meritum mortis, tum in nostrum commodum, ut, Christi divinitate plenius demonstrata, *scandalum crucis evacuaretur*. Unde et s. Chrys. cit. ap. s. Th. 3, 51, 3 : « Viventibus aliis homi- « nibus, his scilicet qui egerunt strenue, arrident propria gesta ; « his autem pereuntibus, pereunt. Sed in Christo est totum contra-

« rium : nam ante crucem [ante mortem], omnia sunt moesta et « infirma ; ut autem crucifixus [mortuus] est, omnia clariora sunt « facta ; ut noscas non purum hominem crucifixum. »

His de argumenti divisione dictis, jam de ratione tractandi ea quae deinceps sequentur verbum addendum est.

Quaenam maneant tractanda. Secunda hujus partis sectio *de Passione Domini* inscripta fuit, tertia *de ejus Resurrectione et Ascensione* tractabit : verum quaedam sunt facta, ab Evangelistis tradita ante resurrectionem, quae ad Christum in cruce morientem satis arcte pertinent, v. gr. quae de prodigiis statim secutis et de fide quorumdam cruci adstantium, necnon de latere ejus confosso ac de sepelitione ejus, referuntur. Hanc ob rationem, priusquam in sectione 3ª de Christo ad vitam redeunte disseramus, per modum complementi sectioni 2ªᵉ annectimus ea omnia quae a primo momento obitus Jesu usque ad resurrectionem ejus evenerunt.

Q. 902. Enumera praecipua facta ab obitu usque ad resurrectionem. — R. Ista vero ad **quatuor rerum capita praecipua** revocari possunt : 1° prodigia quaedam fiunt, tum in natura inanimata, quum in mente hominum mirabiliter ad fidem excitata. Obiter cum Synopticis verbum dicemus de mulieribus cruci adstantibus. Mox 2° transfigitur latus Jesu, 3° ejusque corpus a cruce deponitur et sepelitur ; tandem 4° sepulcrum munitur custodia. Quatuor erunt puncta.

Quum autem ad illud temporis punctum, quo Jesus ultimum tradidit spiritum, nunc perventum fuerit, historica rerum series postulat ut ante omnia de descensu Christi ad inferos, qui mortem ejus sine ulla mora excepit, dicamus per modum Excursus scripturistici : vide ad calcem q. 1191.

PUNCT. I.

PRODIGIA IN MORTE JESU.

Divisio. Ea quae mortem Jesu statim secuta sunt ad **duo capita** revocari possunt, quorum 1ᵐ respicit effectus mortis Dominicae in **naturam inanimatam,** qui quidem effectus vera fuerunt *miracula*, ad divinam morientis naturam demonstrandam peracta ; 2ᵐ vero versatur circa effectus salutares, quos eadam illa mors in

homines quosdam cruci adstantes habuit, cum in eis veram fidem excitavit.

A. Prodigia in naturam inanimatam.

Praeced. vide ante q. 892.

M. 27, 51. Et ecce velum templi scissum est in duas partes a summo usque deorsum, et terra mota est, et petrae scissae sunt. 52 Et monumenta aperta sunt: et multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt. 53 Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem, et apparuerunt multis. 54 Centurio autem etc. *Ante q. 911.*

Praeced. ante q. 892.

Mc. 15, 38. Et velum templi scissum est in duo, a summo usque deorsum. 39 Videns autem Centurio etc. *Ante q. 911.*

Praeced. ante q. 883.

L. 23, 45... Obscuratus est sol: et velum templi scissum est medium. 46 Et clamans voce magna etc. *Ante q. 892.* 47 Videns autem Centurio etc. *Ante q. 911.*

Ante omnia animadvertimus, cum Fillion (*Ev. de s. Matth.*, 1878), sermonem s. Matthaei, qui solet quietus esse et simplicissimus, hic subito fieri **gravem et magnificum,** quasi pompa quadam poetica ornatum : et re quidem vera, phrases concitatae brevesque, per repetitas conjunctiones conglobatae, verum rhythmum prae se ferre videntur, tamquam carmen triumphale.

Verbulum interjicio de prodigio quodam a nonnulis hic relato.

Q. 903. Pan magnus mortuus est. Inter portenta, quae moriente Christo contigerunt, quidam auctores recensent illud quod a *Plutarcho De desitis oraculis* memoriae proditum fuit : ad Paxas insulas auditam fuisse vocem quamdam, quae nuntiaverit *magnum Pana mortuum esse.* « Sed horum, quae in Evang. non habentur, fides sit penes auctores », inquit Suarez, cit. ap. Ben. XIV, *De festis*, ubi de fer. 6 in parasc., n. 123. Illo igitur praetermisso, ad ea quae refert Evang. progredimur.

Connexio et rerum ordo.

Tria pro Christo testimonia gloriosissima. Supra exposuimus miraculum tenebrarum, quo *coeli* videntur de Christo testimonium dedisse ; nunc alia duo audiemus testimonia, sc. *terrae*, quae tremuit, et *inferni*, qui mortuos suos reddidit : ita aliquo sensu comprobatum est eventuque confirmatum illud Phil. 2, 10 *Omne genu* in honorem Jesu *flectatur, coelestium, terrestrium et infernorum.* Tunc vere *regnavit a ligno Deus*, ut cantat Ecclesia : cf. Comm. nostr. in Ps. 95, 10.

Q. 904. Quot et quaenam prodigia mortem Christi **proxime** secuta sunt ?

R. Disputatur. Immediate post mortem Jesu (constare videtur ex *Ecce* M.) *velum* Templi *scissum fuit, terra tremuit* et *petrae scissae sunt.* Haec tria possunt haberi tamquam 3 miracula distincta ;

potest etiam dici velum et petras scissa fuisse per ipsum terrae motum (q. 905 et 906). Facta sunt praeterea duo alia prodigia, sc. *aperta sunt sepulcra*, et *multi sancti ad vitam redierunt :* sed quidam auctores putant haec postea tantum contigisse, nempe post resurrectionem Christi ; alii tenent ea evenisse eo momento quo Jesus mortuus est ; alii haec duo separant et solam sepulcrorum aperitionem conjungunt cum morte Jesu (q. 907).

Prodigium de velo a tribus Synopticis, alia vero a solo M. referuntur.

a. Velum scinditur.

Ut hujusce expositio prodigii omnibus numeris absoluta sit, quinque rerum capita tractabimus.

Q. 905. Inquiremus 1° quo temporis momento contigerit ; 2° quodnam Templi velum intelligendum sit ; 3° ostendemus verum fuisse miraculum ; 4° quo tria praesertim mysteria significata fuerint ; 5° illud vero directe pro sacerdotibus, indirecte pro populo factum fuisse.

1° *Velum Templi*, ut statim dixi, videtur *scissum* fuisse **eo ipso momento quo Jesus emisit spiritum** : quod, teste s. Aug. *Cons. Evang.* 3, 19, Matthaeus satis expressit dicendo *Emisit spiritum, et esse velum* etc. ; ita ut mors Christi scissi veli causa fuisse demonstretur. Lucas tamen mentionem facit de velo scisso antequam referat Jesum expirasse : hoc enim prodigium cum miraculo tenebrarum connectit ; atque ideo « Volens miraculum « miraculo adjungere, ait s. Aug. l. c., praeoccupavit quod expi- « rante Domino factum est. »

2° Cum s. Leone *Serm. 10 de Pass.*, et s. Cyr. Alex. *In Joan.*, intelligimus *Velum* κατ' ἐξοχήν et singulariter dictum (το καταπετασμα, cum art.), velum celeberrimum et augustissimum, **velum** nempe **interius** quod Sanctum-Sanctorum a Sancto separabat ; non autem, ut opinatur post Orig. s. Hier. *Ep.* 129, *ad Hedibiam*, q. 8, velum exterius quod coram Sancto appensum erat (1).

(1) **S. Hier. nimis inhaeret Origeni :** intelligit velum **exterius**, quia nunc ex parte tantum videmus : « Cum autem, ait, venerit quod perfectum est, tunc et velum interius disrumpen- « dum est, ut omnia... domus Dei sacramenta videamus. » Sed haec ratio mystica vi et pondere argumenti exegetici, quod ex nomine *veli* (cum art. in graeco) simpliciter et antonomastice dicti desumitur, prorsus superatur. Deinde, si per commentationes mysticas sensus sit definiendus, majores et potiores sunt pro velo interiore, ut statim dicemus sub 4° ; ubi et ipse s. Hier.

3° Velum illud, in templo Jerosolymitano, simile erat velo interiori Tabernaculi Mosaici (de quo Ex. 26, 31-33), adeoque non solum pretiosissimum erat et splendidissimum, coloribus (hyacinthino, purpureo, coccineo, et niveo) figurisque Cherubinorum ornatum, ut ibi dicitur, sed certe etiam **densum** erat et **ex firma** confectum **materia**, nec pellucidum ; siquidem partem Sanctuarii interiorem prorsus abscondere debebat, et impedire quominus oculi eo penetrarent. Jam vero, velum illud, magna textum industria **solidissimumque** (erat vetustate contritum, ait *Kuinöl ; sed unde hoc noverit iste scire velim), per vim quamdam divinam, sive per terrae motum qui divinitus excitatus erat, sive invisibili quadam ratione, quasi per manum occultam (quod probabilius erit, si Matthaeum ita intelligamus ut terrae motus postea tantum factus fuerit), adeoque per miraculum manifestum, *scissum est medium* L. *in duo* Mc., seu in duas partes aequales, *a summo usque deorsum* M., Mc., adeo ut e Sancto aspectus pateret in locum intimum, quem nemo intueri aut ingredi poterat, nisi solus Summus Sacerdos et unico tantum die singulis annis.

S. Hier. testatur (hic, et *Ep.* 149, q. 8) in *Evang. sec. Hebr.* lectum fuisse : *superliminare templi* (aedis sacrae stricte dictae) *discissum est ;* quod si vere factum fuerit, explicatur quomodo scissio veli a summa parte inceperit. Hoc admisso, est et aliud quod statim menti occurrit, terrae motum scissionis causam fuisse : in hoc

---

loquitur de *omnibus Legis sacramentis* detectis, ergo de iis etiam quae ad Sanctum-Sanctorum spectant. Schegg aliam dat rationem, nempe exterius velum scissum fuisse, ut hoc prodigium, sicut cetera miracula tunc facta, patefieret omnibus, non tantum sacerdotibus, qui soli poterant ingredi Sanctum, adeoque soli videre velum interius. Sed opinor sententiam de velo interiore praevalere.

Fouard minus recte. Sunt qui e solo nomine καταπετασμα demonstrare velint (Fouard, *Vie de J.*) intelligendum esse velum interius, quia Philo *Vita Moys* 2, 150 illud sic vocat, dum velum exterius designat voce καλυμμα. Verum 70 Interpretes et Josephus hoc discrimen ignorant, sicut et scriptor ep. ad Hebr., qui 9, 3 ait το δευτερον καταπετασμα. Magis adhuc errant qui (id. Fouard) ex addito του ναου istud confirmari putent ; namque ὁ ναος aeque de Sancto ac de Sancto-Sanctorum dicitur.

Difficultas, quaedam hic occurrit, de qua verbulum addendum est. In 2 Par. 3, 14 unius tantum veli mentio fit, sed hoc solum nominatur quia praecipuum erat, sc. Sancto-Sanctorum oppansum. Inde patet istud intelligi ubi de *velo* simpliciter et absolute sermo instituitur. De cetero, in Tabernaculo, ad cujus exemplar constructum fuit templum, duo erant vela, *interius*, hebr. פָּרֹכֶת de quo Ex. 26, 31, et *exterius*, hebr. מָסָךְ de quo Ex. 26, 37. Praeterea Jos. *Ant.* 8 3, 3, duo vela in templo Salomonis commemorat, et pariter in templo Herodiano *B. J.* 5, 5, 4 et 5. Tandem Hebr. 9, 3 apertissime : *Post velamen secundum* (est) *tabernaculum quod dicitur Sancta-Sanctorum.*

supposito oportet dicere tria prodigia (veli rupturam, motum terrae, rupium discissionem) eodem momento facta fuisse, et Matthaeum de velo primum mentionem facere quia res erat maxime notanda.

Et re quidem vera, alta latent ibi arcana, ut nunc dicemus.

4° Cum velum discindebatur, **tria** praesertim **mysteria** significabantur : nimirum, per mortem Christi a/ abrogatum vetus Test. novumque sancitum esse ; seu, ut ait s. Hier., « Omnia Legis sacramenta, quae prius tegebantur, prodita « esse, atque ad gentium populum transiisse » ; et s. Ambr. *l. 10 n. 128 in Luc.* : « Scinditur velum vetus, ut Ecclesia nova fidei suae vela suspendat. » b/ Legis veteris penetralia nunc, in novo Test., detecta esse, omniumque oculis patere ; aliis verbis, quae Hebraeis olim in figura contigissent, jam ablato velo facie aperta videri (2 Cor. 3, 18). c/ Peccatis hominum expiatis, coeli januam patefactam esse, seu, ut Hebr. 9, 8, *propalatam esse sanctorum viam :* cf. Hebr. 6, 19 ; 9, 6 sq. ; 10, 19.

5° Miraculum non tam pro populo, qui aditu Sancti arcebatur, quique proinde velum illud interius non aspiciebat, quam **pro sacerdotibus**, qui mane et vespere, et hac ipsa quidem hora qua Christus moriebatur velumque scindebatur, Sanctum ingrediebantur ad incensum altari thymiatis imponendum et ad lucernas accendendas, obtigisse dicendum est. Populus tamen, qui tunc frequens adstabat in porticu atrii sancti (illius nempe atrii quod *Israelitarum* dicebatur), eo vel magis quod solemne Pascha eo die celebraretur (vel saltem, secundum aliorum sententiam, quod Pascha mox celebrandum esset), a sacerdote, qui Sanctum ingressus fuerat, prodigium illud sine dubio mox audivit.

b. Terrae motus vehementissimus.

Q. 906. *Terra mota est* (1), et per miraculum quidem (Ben. XIV, *De canon. ss.* IV, 1, 25) ; imo vero, tam vehementer tremuit, ut *scissae* fuerint *petrae*, (2) nimirum eae quae in circuitu Jerusalem

---

(1) **Terrae motus non fuit universalis**. Aliqui putant universum terrarum orbem tremuisse, quemadmodum *tenebrae factae sunt super universam terram*, et nituntur imprimis testimonio (parum firmo tamen) Phlegontis, q. 884bis, qui loquitur de *terrae motu* in Bithynia. Plures tenent cum Orig. saltem universam *Judaeae* terram tremore concussam fuisse : verumtamen in Evang. tantum dicitur *terram motam fuisse*, et quae sequuntur videntur innuere non alibi terram conquassatam fuisse quam Jerosolymis et in vicinia.

(2) Adeo ut scissio petrarum fuerit effectus naturalis terrae motus (Beel.). Sed quum fissura, quae hodiedum videtur in petra Calvariae, talis sit ut, secundum opinionem Fouard, per ordinarium terrae motum fieri non potuerit (vide not. seq.), forsitan melius est scissionem petrarum sumere tamquam prodigium independens a terrae motu.

erant (1), quod innuitur v. 53. Jam vero, per subitum illum terrae motum et per diruptas rupes indicabatur morientis Christi divinitas, adeoque sceleris commissi immanitas et Dei gravis offensio. Pseudo-Aug. (*Serm.* olim 41 *de pass.*, apud Migne in App. *serm.* 153) : « Expavit scelus hominum natura rerum, et quem creatura « rebellis non agnoscit, eum mundi Dominum tremens terra testatur. » Iterum Pseudo-Aug. (olim *Serm.* 119 *de temp.*, ap. M. in App. S. 154) : « Terra ipsa concussa est a fundamentis suis, quasi « quae crucem Domini vix sustineat. »

Terrae notu Deus se manifestare solet in V. T. tamquam legislator et judex : Ex. 19, 16 ; Ps. 96, 4 ; Mich. 1, 3 : hoc itaque signo Deus Pater declarat Filium suum legislatorem esse ac judicem, eumque morte sua in gloriam sibi debitam intrasse.

Ex illo prodigio colligere possumus quam stupenda esset Judaeorum pervicacia. « O **duriora saxis** pectora Judaeorum, exclamat « s. Ambr. *in Luc.* : finduntur petrae, sed horum corda obdurantur;... « eorum immobilis duritia manet, orbe concusso ! » S. Thom. *Sum.* III, 44, 4 addit significationem figuratam : sc. lapidea hominum corda per Christi mortem emollienda esse.

c. Petrae scinduntur.

Tertium est prodigium, in supposito quod hoc non sit sequela naturalis terrae motus, ut statim diximus in q. praec., not. marg. 2.

d. Sepulcra aperiuntur et e sancti multi resurgunt.

Q. 907. Quartum prodigium (juxta alios tertium). M. v. **52.** *Monumenta aperta sunt :* τὰ μνημεῖα, cum art. *les monuments*, puta *qui se trouvaient là*, ergo generatim *monumenta* (non *quaedam* monu-

---

(1) **Fissura petrae insolita hodiedum videtur.** On voit encore dans l'église du s. Sépulcre, entre le trou de la croix de Jésus et la place du mauvais larron, une fissure de 3 pouces de largeur sur 20 pieds de profondeur. Elle présente un aspect extraordinaire, puisque les couches et les veines du rocher sont coupées transversalement, ce qui n'arrive pas dans les tremblements de terre naturels (Fouard, *La Pass. de N.* S. Rouen 1876). — F. Liévin *Guide* éd. 1876, I, p. 202 : « La fente, qui porte toutes les marques d'un tremblement de terre des plus violents, forme une ligne ondulée allant de l'E. à l'O. Ce qu'on peut en apercevoir mesure 1,60^{m} de long sur 0,15^{m} de large. Les angles saillants de cette fissure correspondent aux angles rentrants, de sorte que s'il était possible de rapprocher les deux parties séparées, ces angles se rejoindraient en s'adaptant parfaitement les uns dans les autres. » On croit donc que cette fente est miraculeuse. Voir Mislin, *Les ss. Lieux* ch. 20, qui cite des témoignages d'auteurs Protestants. Déjà s. Cyr. de Jér. *Catech. illum.* vel *Commun.* 13, 39 parle des rochers fendus qu'on montre sur le Calvaire.

menta); et magnum quidem fuisse numerum monumentorum, quae mirabiliter patefacta sunt, colligimus tum ex eo quod aliunde sciamus ibi multa fuisse, tum quoque ex verbis *multa corpora surrexerunt*. Ista autem *monumenta* intelligi debent **sepulcra** magnatum divitumque, quae in petris erant excavata, qualia in circuitu Hierosolymae plura hodiedum conspiciuntur (ea describit* Smith, *Dict.* a. *Tombs*). Haec autem, secundum quorumdam sententiam, **aperta** sunt **per** illum **terrae motum** vehementem: puta lapidem magnum, qui pro more ostium sepulcrorum a latere occludebat, revolutum vel discissum fuisse.

Quintum prodigium (juxta alios quartum). Monumenta autem aperta sunt ut significaretur per mortem Jesu *Mortem* esse devictam; ergo « in signum *futurae resurrectionis* (s. Hier., *ep.* 120 *ad Hebid.* 8) »; nempe « ad ostendendum, ait s. Th. l. c., quod per ejus mortem mortuis vita daretur. » Atque adeo in hoc permagno et solemnissimo temporis articulo dogma fundamentale Christianismi modo symbolico demonstratum fuit. Et re quidem vera, e speluncis illis per miraculum apertis *surrexerunt multa corpora sanctorum qui dormierant,* qui mortui erant.

Quo momento contigere haec duo prodigia ?

Tres sunt sententiae. 1ª Sunt qui affirment monumenta aperta fuisse illosque sanctos revixisse, simul ac terra tremuit, sc. eo ipso momento quo Jesus expiravit. Sed, hac posita sententia, cum v. 53 dicatur viros istos, e sepulcro egressos, nonnisi **post resurrectionem Christi** Hierosolymam venisse, admittendum erit cum Lamy *Conc. Evang.* eos delituisse extra urbem donec Christus vitam recuperavit.

2ª **Sent.** Quod cum valde mirum videatur, nec satis excogitari possit quid demum fecerint isti interea temporis, alii censent (Beel. etc.) sepulcra quidem statim aperta fuisse, sed sanctos ex eis exiisse tantum post resurrectionem Jesu; siquidem eorum resurrectio facta fuit ut resurrectionem Jesu confirmaret. Hoc innuere videtur M. v. **53** *Et exeuntes de monumentis post resurrectionem ejus, venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis.* Obvium enim est hoc sic intelligere ut virgula ponatur post *ejus* cum Vulg. (non autem, ut Syrus facit, post *monumentis*). Ita s. Hier.: « Tamen,

« cum monumenta aperta sunt, non antea resurrexerunt quam « Dominus resurgeret, ut esset primogenitus resurrectionis ex « mortuis (1 Cor. 15, 20). »

3ª Sent. Alii tandem interpretes, exitum illum mortuorum cum reseratis sepulcris connectentes, opinantur nonnisi post Christi resurrectionem et sepulcra aperta fuisse, et mortuos ex illis egressos fuisse : ita Mald.: « Matthaeus, ait, cum coepisset ea « miracula, quae moriente Christo contigerant, commemorare, « hoc etiam cum ceteris copulavit, cujus causa, sicut et ceterorum, « Christi mors fuerat. »

Nec satis est hic disputasse de tempore quo factum fuerit portentum istud singulare ; et alia enim sunt, quae de sanctis illis viris curiositatem nostram movent, quaeque breviter examinare lubet.

Q. 908. Rationalistarum festiva ingenia.

Praemitto, delectamenti ergo, interpretationem *Michaelis et *Kuinöl, quae huc fere recidit : sepulcris per terrae motum apertis, cadavera quaedam recens condita a canibus feris *(Schakal)* devorata fuerunt : cum pii quidam Jesu discipuli hoc postea animadverterunt, sc. post auditum rumorem de resurrectione Jesu, statim crediderunt istos viros etiam resurrexisse, et eos in somnis viderunt, vel inter vigilandum aspiciendos se dedisse facile sibi persuaserunt.

Sed Rationalistas eorumque mythos relinquamus, et serio rem agamus.

De sanctis qui exierunt e sepulcris.

Q. 909. 1° Quinam erant ? 2° Quem in finem ad vitam revocati fuerunt ? 3° Mortemne iterum oppetierunt ?

R. ad 1m. Quinam fuerint isti sancti certo dici nequit : alii, Acta Pilati secuti, censent fuisse quosdam ex antiquis patriarchis, qui in Christum venturum crediderant, ut Adamum, Abrahamum, Davidem etc. ; alii vero (Beel. etc.) melius dicunt tales fuisse qui cum Christo versati fuerant, adeoque iis qui tunc vivebant, et quibus apparuerunt in urbe, noti erant, siquidem eis testari debebant Christum vere resurrexisse : v. gr. Josephum patrem Christi nutritium, Simeonem, Annam, Zachariam etc. Sed, sive veteres sive recentiores cogitemus viros, illos tantum nominare

possumus quorum sepulcra erant in locis Hierosolymae vicinis : ergo non Abrahamum, qui prope Hebron sepultus fuit (Gen. 25, 9 coll. 23, 4), nec certe Adamum, aut Joannem B. etc.

Resp. ad 2m. E sepulcro educti sunt ut socii essent et praesertim **testes** Jesu a morte revocati : ideo enim *venerunt in sanctam civitatem et apparuerunt multis*, puta iis quibus oportebat ut Christi resurrectio confirmaretur. Si Jesus solus ad vitam rediisset, nonnulli credere potuissent phantasma apparuisse, cum autem alios vidissent a morte resuscitatos, facile admiserunt ipsi potestatem fuisse e sepulcro surgendi.

R. ad 3m. Disputatur etiam inter auctores quo sensu isti dicantur resurrexisse.

1a **Sententia** est s. Aug. *Ep. ad Evod.* ep. 164, olim 99, qui totam quaestionem dedita opera tractat, s. Chrys. *in 1 Cor. 15* et *in Hebr. 11, 40*, quem pro more sequuntur Theod. et Theophyl. Hi omnes docent eos ad vitam terrenam sicut Lazarum rediisse, adeo ut denuo mortui sint. Huic opinioni favet s. Th. 3, 53, 3 (alibi tamen aliter sentit, ut statim dicemus) ; et Calmet in *Dissert. speciali* eam strenue defendit : ita etiam Reischl.

Sed obstat a/ verbum *apparuerunt*, quod non congruit iis qui vitam ducunt ordinariam et terrenam ; dein b/ repugnat etiam vox *multis*, nam visi fuissent ab omnibus quibuscum versati fuissent.

2a **Sententia.** S. Ambr. *in Ps.* 1 n. 54 ; s. Epiph. *Haer.* 75, 8 ; s. Hier. (*in M. 27* forte post Orig. hanc insinuat opinionem, eamque *in Cant.* et in *Epist.* 120, 8 apertius tenet), s. Thom. (*in 4 sent.*, dist. 43, 1, 3), Jans. Gand., Mald., Suar., A Lap., Beel., Mac-Evilly, Fouard etc., opinantur eos indutos fuisse corpore glorioso simili corpori Christi resurgentis, adeoque legibus materiae non subjecto, et visibili tantum iis quibus apparuit per miraculum. Censent igitur eos non iterum mortuos esse, sed cum Christo in coelos ascendisse.

Huic autem sententiae objicit Bisping, Hebr. 11, 39 et 40 doceri sanctos veteris Test. ad gloriosam resurrectionem non ante nos perventuros esse; deinde Ecclesiam praeter Christum et B. Mariam V. neminem dicere cum corpore glorificato in coelum ascendisse. Ideo auctor ille aliam tenet sententiam cum Schegg et Fill., sc. sequentem.

3ª Sententia. Sancti illi spectandos se obtulerunt, non cum vero suo corpore, sed cum manibus suis, i. e. cum forma externa ast inani corporis sibi proprii, sicut Moyses in Transfig. Jesu ; et postquam testimonium reddidissent de Jesu ad vitam revocato, animae eorum, forma illa phantastica exutae, cum Christo in coelum ascenderunt.

Verum 3ª haec sententia vim verbis infert ; dicitur enim *multa corpora surrexerunt ;* ergo non videbantur resurrexisse, sed vere surrexerunt ; deinde additur *exeuntes de monumentis venerunt* etc., quod sane non solet dici de manibus. Adde confirmationem resurrexionis Christi nullam haberi, si corpora illa non vere resurrexerint.

Multum igitur praefero 2ᵐ sententiam, et objectionibus Bispingii respondeo : id quod legitur Hebr. 11 verum manere generatim et universe loquendo, quamvis nonnulli in casu singulari et per exceptionem ad vitam gloriosam excitati fuerint. Praeterea Ecclesia hac de re nihil statuit, nec pro illa opinione nec contra eamdem.

4ª Sententia. Lucas Brug. autem putat corpora istorum vere resurrexisse, non ad vitam immortalem, neque etiam ad vitam mortalem ordinariam, sed ad mediam quamdam, quae etsi non esset perpetua, non tamen terrena dicenda sit, sed quodammodo coelestis, sine cibo et potu ducta, et sine mortis timore aut dolore amissa. Hinc fit ut quibusdam tantum, non vero omnibus, isti sancti videndos se praebeant, neque in terris sine intermissione conversentur, sed interdum sub aspectu hominum veniant, deindeque evanescant. Itaque, quando isti officio, propter quod vitam acceperant, functi fuerant, sc. postquam resurrectionem Christi testati fuerant, redierunt ad sepulcrum et iterum dormierunt.

Haec 4ª sententia videretur mihi omnium probabilissima, si non tam arduum esset mente concipere in quo tandem consistat vita ista media.

***Q. 910.** Quaestio generalis. Quot et quaenam miracula contigerunt dum Jesus in cruce pendebat ?

R. Secundum Evang. saltem tria, et probabiliter quatuor : nimirum tenebrae cum deliquio solis miraculoso conjunctae, et tria de quibus in q. 904 ; saltem duo ex illis tribus, ut supra diximus. Sunt qui aliud addant portentum, de voce quadam mortem magni Panos nuntiante : sed hoc ad s. Scripturam non pertinet.

B. Quidam ex adstantibus ad meliora redeunt sensa.

Praec. vide ante q. 903.

M. 27, 54. Centurio autem, et qui cum eo erant, custodientes Jesum, viso terrae motu et his quae fiebant, timuerunt valde dicentes: Vere Filius Dei erat iste. 55 Erant etc. *Ante q. 917.*

Praeced. ante q. 903.

Mc. 15, 39. Videns autem Centurio, qui ex adverso stabat, quia sic clamans expirasset, ait: Vere hic homo Filius Dei erat. 40 Erant autem et mulieres etc. *Ante q. 917.*

Praeced. ante q. 903.

L. 23, 47. Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo justus erat. 48 Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, et videbant quae fiebant, percutientes pectora sua revertebantur. 49 Stabant autem omnes noti etc. *Ante q. 917.*

In praecedentibus vidimus quid mors Christi mirabiliter operata fuerit in *muta elementa;* nunc autem refertur quid in *homines* effecerit: igitur, praeter vocem coeli, et terrae, et inferorum, audiemus etiam testimonium hominum; atque adeo omnis lingua confitebitur Dominum Jesum Christum.

Q. 911. Mors Christi quem effectum salutaris emendationis in quosdam ex adstantibus habuit?

R. Utile erit tria rerum capita distinguere: nempe effectus in **centurionem,** in **milites** ejus, et in **turbam** spectantium. Effectus autem illi erant omnes salutares: etenim quod ad centurionem ejusque milites attinet, *timor* sanctus, et, ut videtur, *verae fidei* sensa excitata fuere; in turba vero spectatorum motus etiam *timoris* pii et *poenitentiae* exortus est.

Jesus in cruce homines ad se trahit.

Q. 912. Trahit prout vult, sed qui trahuntur libere se movent. Itaque jam incipit eventu confirmari quod ipsemet Jesus praedixerat J. 12, 32: *Et ego, si* (i. e. quando) *exaltatus fuero a terra, omnia traham ad meipsum.* Trahit quidem omnes, sed non omnes moventur, quia multi trahenti repugnant, quales sunt Synedristae, genus hominum superbum et pervicax; inter eos vero qui sinunt se moveri, Jesus alios trahit magis, alios minus, secundum liberum voluntatis suae arbitrium et ex gratuita benignitate: sed motus eorum vi et impulsui trahentis non semper respondet; alii enim magis, alii autem minus moventur, pro vario singulorum animo: ex. gr. gentiles, utpote minus reluctantes, fortius quam Judaei in Christum aguntur. Sicut in lapide magnete vis attrahens semper habetur, quamvis non res quaevis, neque earum singulae eodem impetu in eum ferantur.

Sed tria ista rerum capita singillatim examinemus oportet.

a. Centurio pio timore et fide movetur.

Q. 913. *Centurio*, qui quatuor militibus, supplicii ministris, praeerat, quique *stabat ex adverso* Mc., haud procul a cruce Christi, adeoque cuncta probe inspexerat et audierat, *videns quod factum fuerat* L., vel M. *quae* eo tempore adhuc *fiebant:* nempe, a/ M. *viso terrae motu* tenebrisque inspectis, b/ animadvertens *quia sic clamans expirasset* Mc., i. e. recogitans quomodo Jesus clamorem tam vehementem edidisset eo ipso momento quo exspiraverat (unde concludebat aliquid extraordinarii esse in eo quod ipse, praeter morem eorum qui, exhausto corpore et vulneribus confecti, acerba morte in cruce pereunt, tantas vires adhuc haberet cum moreretur) (1), *timuit valde* M.: certe metuit ne ob supplicium ei illatum immineret sibi ira ac poena divina. Imo vero L. *glorificavit Deum*, fidem in Jesum profitendo ejusque innocentiam aperte declarando (2), hisce verbis L. *Vere hic homo justus erat*, immerito damnatus supplicioque affectus; et non illud tantum dicens, sed M., Mc. addens: *Vere filius Dei erat iste.*

Quo sensu dixit eum esse Filium Dei? Aliqui, v. gr. Bisping, hoc ita intelligunt, Jesum a centurione agnitum fuisse tamquam heroem seu semi-deum, quales venerabantur falsorum numinum cultores; sed probabilior mihi videtur sententia communis, quam nonnulli e ss. Patribus tenent, centurionem in Christum credidisse vera fide, hoc sensu quod persuasum habuerit Jesum esse talem qualem ipse se praedicaverat quando se Filium Dei

(1) **Mirabatur clamorem, potius quam celerem mortem.** Sunt qui dicant (²Knabenbauer) eos, quibus cor ex nimia sanguinis congestione, anxietate ac palpitatione est pressum, quibusque suffocatio in propinquo est, haud raro magna voce clamitare solere (sed num id facerent, si crudelissima flagellatione essent omnino debilitati, dubitem ego); atque ideo centurionem mirum quid vidisse, non in isto clamore, sed in accelerata Jesu morte, quam deorum favore contigisse arbitrabatur; cum sciret lenta morte in crucem actos perire. Isti verba Marci οὕτως κραξας εξεπνευσεν hoc sensu interpretantur: videns quod sic, post editum clamorem, exspirasset, i. e. quod mortem, quae post clamorem editum contigit, tam cito oppetivisset. Verum, magis obvium videtur vocis sonum in κραξας intendere, et rem ita cogitare: centurio mirabatur Jesum tot vulneribus, praesertim in flagrorum tormento acceptis, exhaustum, potuisse tantum edere clamorem, simulque mirabatur ipsum statim post clamorem, magnarum virium indicium, mortuum esse.

(2) **Glorificare Deum** vel **dare gloriam Deo** loquendi ratio Scripturae propria est, quae significat, vel generatim Deum laudare ejusque attributa agnoscere, vel speciatim veritatem fateri atque ita Deum ut veracem palam profiteri: J. 9,24 *Vocaverunt hominem qui fuerat coecus, et dixerunt ei: Da gloriam Deo*, i. e. fatere veritatem; *nos scimus quia hic homo* (Jesus) *peccator est.* Cf. etiam Jos. 7, 19 *Ait Josue ad Achan: Fili mi, da gloriam Domino Deo Israel, et confitere, atque indica mihi quid feceris.*

denuntiaverat. Certe miles ille audierat, vel in aula Pilati (ex verbis Judaeorum J. 19, 7), vel a spectatoribus (M. 27, 40), Jesum se dixisse *Filium Dei*. S. Hier.: « Centurio in ipso scandalo Passionis « *vere* Dei Filium confitetur. » Hic tamen nimis affirmat ; nam, ut videtur, vir iste Romanus eo tempore nondum **plene** intellexit **totam vim** istius tituli *Filius Dei* ; dixit enim υἱὸς Θεοῦ, absque art., *ein Gottessohn*, *un fils de Dieu*. S. Chrys. etiam putat eum aliquod verae **fidei initium** palam exseruisse : « Quidam, ait, narrant « hunc centurionem, postea *in fide roboratum*, martyrium fortiter « subiisse. »

An centurio ille ut martyr colitur? Huic autem centurioni quidam, ait Ben. XIV, l. c. 115, *Longini* nomen tribuunt: vide acta martyrii ejus apud Metaphr., ad 16 Oct., et apud Bolland. ad 15 Martii. In Ecclesia Latina commemoratio fit s. Longini militis, qui tamen a centurione nostro probabiliter diversus est (q. 925) ; miles enim ille fuit qui lancea latus Christi transfixit ; ut refert *Martyrol. Rom.* 15 Mart.: « Caesareae in Cappadocia passio s. Longini, qui latus Domini lancea perforasse perhibetur. » Card. Gottus (ap. Ben. XIV) nihil ait certi posse statui de nomine et fatis centurionis.

b. Pia militum sensa.

Q. 914. Matthaeus centurioni adjungit milites, *qui cum eo erant custodientes Jesum*, ex quo discimus in ipsis excitata fuisse eadem timoris et fidei sensa (1).

c. Turbae timor et poenitentia.

Q. 915. Imo, secundum L., *omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud*, *revertebantur* ad urbem, *percutientes pectora sua*, quo gestu **duo significabant**: hinc quidem se poenitere quod morti Jesu consensissent, illinc vero se divinae ultionis timore affici. Notum enim est morem fuisse Judaeis, ut se tunderent non solum ex *dolore*, sed etiam ex *timore* (cf. M. 24, 30).

Jam incipiebat impleri prophetia Zachariae, de qua q. 930, quaeque deinceps die Pentecostes ulterius perficietur per conversionem multorum Judaeorum, Act. 2, 36 ; plenam autem imple-

(1) **Milites isti saepe male pinguntur.** Ex piis militum sensibus colligere in promptu est, milites, qui in Stationibus s. Viae Crucis pinguntur, quum iidem sint quibus in obitu Jesu sensa pia et probissima adscribantur, non ita effingendos esse quasi vultus habeant damnatorum, nihilque aliud nobis intuentibus ingerere debeant quam fastidium et stomachum foedumque contemptum. Duri videantur, per me licet, et severi, imo vero et crudeles, non tamen viles et hebetes et efferati (*pas defigures abruties et stupides, comme on ne le voit que trop souvent*).

tionem obtinebit tandem in fine seculorum per conversionem gentis Judaicae.

*Q. 916. *Quaestio generalis*, qua conjunguntur facta quaedam similia. Quinam, inter Passionem Christi, ejus **innocentiam** agnoverunt et testati sunt?

R. 1° Judas Iscariotes; 2° Pilatus pluries: vide supra; 3° Herodes; 4° uxor Pilati; 5° pius latro; 6° statim post mortem Jesu centurio, et milites, et turba. Praeclare Luc. Brug. *in M.* 27, 19: « Voluit Deus ita condemnari Jesum, ut omnibus modis, omnis generis et sexus personarum sententiis, omnium denique elementorum veluti sensu, ejus innocentia testata esset, et certo certius constaret ipsum in aliorum vicem, poenae, quam non erat promeritus, subjici. »

Tres Synoptici, postquam notarunt effectum salutarem quem Jesu obitus in multos adstantes habuit, cum nempe ad fidem eos adduxit, obiter mentionem faciunt de aliis personis piis quae jam diu in Christum credebant eique addictae erant, quaeque etiam prope crucem stabant spectantes cum Servator extremum ageret spiritum. Evangelistarum autem verba de istis jam audiemus.

De mulieribus cruci adstantibus: v. 55 et 56.

Praeced. vide ante q. 911.

M. 27, 55. Erant autem ibi mulieres multae a longe, quae secutae erant Jesum a Galilaea, ministrantes ei: 56 inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi et Joseph mater, et mater filiorum Zebedaei. 57 Cum autem sero etc. *Ante q. 933.*

Praeced. ante q. 911.

Mc. 15, 40. Erant autem et mulieres de longe aspicientes: inter quas erat Maria Magdalene, et Maria Jacobi minoris, et Joseph mater, et Salome: 41 et cum esset in Galilaea, sequebantur eum, et ministrabant ei: et aliae multae, quae simul cum eo ascenderant Jerosolymam. 42 Et cum jam sero esset etc. *Ante q. 933.*

Praeced. ante q. 911.

L. 23, 49. Stabant autem omnes noti ejus a longe, et mulieres quae secutae eum erant a Galilaea, haec videntes. 50 Et ecce vir nomine Joseph etc. *Ante q. 933.*

Mulieres illae piae, de quibus Synoptici hic loquuntur post narratam Jesu mortem, eaedem certe erant quae cruci jam adstabant antea, ne Maria quidem matre Jesu excepta (**contra Mald.**, qui, per conjecturam mere gratuitam parumque probabilem, putat eam mortuo Jesu statim abductam fuisse, ne dolore conficeretur), quaeque Jesum crucis tormentis divexatum verae sensibus miserationis consolabantur: de iis sermonem habuimus supra q. 869 et 880.

Q. 917. Duae turmae piae. Ut ibi notavimus, ex verbis L.

stabant noti... et mulieres concludendum videtur in Golgotha duas fuisse pie spectantium turmas *distinctas*, aliquantum a cruce remotas, *virorum* alteram et alteram *mulierum* : namque, ex moribus Hebraeorum sexus non modo seorsum habitabant (Gen. 18, 6, 9 ; 24, 67), sed et in publicis coetibus ac solemnitatibus, sicut fit hodiedum in Oriente, separabantur : sic Ex. 15, 20 viris canentibus respondebat chorus feminarum ; sic Zach. 12, 12 *plangent mulieres eorum seorsum*.

Primum apud M. mentio fit de *Maria Magd.* : hic igitur tractanda esset quaestio de ejus identitate cum Maria Lazari. Sed, quum in historia Passionis 4 Evangelistas simul explicemus, jam supra q. 880 occurrit mentio de *Magdalena*; et ideo ibi indicavi excursum seu amplam dissertationem quam dabo in Append. IV q. 1179.

Nunc de mulieribus piis verbulum addimus, in gratiam concionatorum sacrorum, illudque hoc loco inserimus, quia M. primum de illis mentionem facit : ei concinit Mc. ; sed L. diu antea, scil. 8, 2, jam quaedam de iisdem dixerat.

*Q. 918. Schema homiliae de mulieribus Jesu addictis.

1° Jesum constanter sequebantur, atque animo tam forti quam generoso, utpote relictis etiam domo et familia ; imo vero, quod magis est, 2° ei ministrabant de facultatibus suis ; 3° cruci adstabant condolentes ; 4° eum jam mortuum et sepultum non derelinquunt, sed veniunt promptae ut corpus ejus honorifice perungant ; 5° quamobrem, in praemium pietatis et fidelitatis, primae Jesum e sepulcro egressum videre merentur.

In his omnibus et singulis actionibus, exemplum illarum mulieribus christianis, et praesertim virginibus Deo sacratis, utiliter ante oculos ponitur eisdemque facile accommodatur, in hunc vel similem modum :

Dieu demande aussi d'elles 1° un amour dévoué, 2° généreux, 3° compatissant et 4° fidèle : et cet amour sera 5° récompensé, quand le Seigneur leur apparaîtra dans sa gloire.

Cf. Ventura, *Les femmes de l'Évangile*.

Haec referuntur ad illas mulieres quae e Galilaea secutae sunt Jesum in ejus itineribus. Obiter animadverte inter mulieres pias etiam et specialiter recensendas esse sorores Lazari, quae sese devotissimas erga Jesum constanter ostenderunt, et familiari amicitia Jesu conjunctae erant, p. 668 : imprimis nota Mariam unxisse Jesum p. 696, et ideo laudatam fuisse p. 898. — Addi meretur peccatrix quae cum magna pietate unxit Jesum, L. 7,37. — Forsitan mentio fieri potest de mulieribus quae lamentabantur Jesum euntem ad supplicium, forsitan etiam de uxore Pilati, p. 1122.

Haud diu post mortem illam Jesu heroicam, quae, ut vidimus, multorum rapuit admirationem, alius contigit eventus altis plenus

mysteriis, quem J., Evangelistarum oculatissimus et in doctrina **mystica** versatissimus, meditationi nostrae proponit. De eo nunc disserendum.

PUNCT. II.

LATUS JESU TRANSFIGITUR: J. 19, 31-37.

Praeced. vide ante q. 892.

J. 19, 31. Judaei ergo, (quoniam parasceve erat) ut non remanerent in cruce corpora sabbato, (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura, et tollerentur. 32 Venerunt ergo milites: et primi quidem fregerunt crura, et alterius qui cruxifixus est cum eo. 33 Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: 34 sed unus militum lancea latus ejus aperuit, et continuo exivit sanguis, et aqua.

35 Et qui vidit, testimonium perhibuit: et verum est testimonium ejus. Et ille scit quia vera dicit: ut et vos credatis. 36 Facta sunt enim haec, ut Scriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. 37 Et iterum alia Scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. 38 Post haec autem rogavit Pilatum Joseph etc. *Ante q. 933.*

Rationalistarum objectiones solvuntur.

S. Joannes, qui **fusius pleniusque** ceteris Evangelistis Passionem describere solet, fortasse quia **solus** fuit **testis oculatus,** de latere Jesu transfixo solus loquitur. Rationalistae autem (v. gr. *De Wette, *Kurze Erkl. des Evang. Joh., 5e Ausg. bearbeitet von Brückner*) contendunt narrationem illam pugnare cum Mc. 15, 44, ubi dicitur Pilatum, cum Joseph Arimathaeensis ad eum venisset ut corpus Jesu peteret, quod (teste J. 19, 38 *post haec*) factum est tardius, quando latus Jesu transfixum jam fuerat, *miratum fuisse si Jesus jam obiisset.* Pilatus, aiunt, mirari hac de re non potuit, si verum sit quod refert J., ipsum antea permisisse ut crucifixorum crura frangerentur eorumque cadavera tollerentur.

Q. 919. Solve hanc objectionem.

R. Difficultas evanescit, si **rerum seriem** sequenti modo mente concipiamus. Synedristae, paulo postquam viderant Jesum exspirasse, accesserunt ad Pilatum, et ex zelo legis praepostero

rogaverunt ut crura damnatorum frangerentur, ac deinde cadavera auferrentur ; non tamen dixerunt Jesum jam mortuum esse. Cum autem procurator petitioni annuisset, statim redierunt ad Golgotha ut rem perfici juberent. Paulo post (puta, circa 4^{m} horam), Joseph ab Arim. introivit ad eumdem Pilatum, et facultatem petiit sepeliendi corpus Jesu. Pilatus autem, qui paucis momentis antea jusserat ut cruciariorum crura frangerentur, atque adeo mors eis inferretur, mirabatur si jam obiisset Jesus. Igitur, cum certitudinem hac de re acquirere vellet, accersivit centurionem, qui supplicio praefectus fuerat, quique ad praetorium redire debebat postquam viris cruci affixis crura fracta fuissent ipsaque mors secuta esset. Certe Pilatus Josepho dixit ut exspectaret donec rediisset miles iste. Simul autem atque ab eo didicit omnia esse consummata, corpus Jesu Josepho donavit.

At vero, **altera difficultas,** quam urget idem *De Wette, nascitur ex J. 19, 38, ubi legitur Josephum Arimathaeensem a Pilato postulasse licentiam *tollendi*, i. e. a cruce detrahendi corpus Jesu ; haec enim petitio facta est postquam Pilatus permiserat Judaeis ut cruciariorum crura frangerentur eorumque cadavera *tollerentur*, quod certe absque mora a militibus peractum fuit. Ergo, ut videtur, milites, post crurifragium et post lanceae ictum, mortuorum corpora a cruce ipsimet detraxerunt, adeoque tardius venit Joseph ut a ligno deponeret corpus Jesu.

Q. 92ρ. Quid huic respondes difficultati ?

R. Inter varias auctorum sententias haec mihi magis arridet, Josephum ad Pilatum venisse, non post crura fracta latusque confossum, sed paulo postquam Judaei procuratorem adiissent ut sontium occisionem et depositionem rogarent. Dicit quidem J. *post haec* v. 38, i. e. post contusa ossa latusque confossum, sed possumus illud *post haec* referre ad v. 31 *Rogaverunt Pilatum* etc., et dicere Joannem, antequam factum Josephi literis consignaret, narravisse quomodo peractum fuisset id quod Pilatus permisisset ; Evangelistam autem tali modo narrationem suam digessisse, in eum finem ut omnia quae ad crura fracta et latus Jesu transfixum spectarent continenter exponeret. Igitur, fieri potuit ut Joseph ad Golgotha redux fuerit haud diu post crurum percussionem laterisque vulnerationem, cum cadavera nondum essent a cruce

ablata ; eo vel magis quod, cruribus fractis, mors non statim sequeretur, utpote quae non tam vi istius ictus quam inflammatione secuta inferretur : valde igitur verisimile est milites paululum temporis exspectare debuisse, antequam damnatos a patibulo deponerent. Nihil etiam impedit quominus supponamus cum Fouard Josephum, antequam Pilatum adiret, a Centurione illo, qui innocentiam Jesu jam agnoverat, obtinuisse ut corpus Jesu non deponeretur antequam ipse (Joseph) rediret a Pilato. Igitur opinamur corpus Jesu eodem fere tempore quo milites latrones demitterent, a Josepho detractum fuisse.

His praemonitis, quibus constat nihil esse in hac historia quod cum aliis Evangelii locis pugnet, ipsum factum explanare jam aggredimur. Omnia autem, quae huc spectant, ad septem capita praecipua revocamus.

Omnia, quae ad transfixum latus spectant, ex ordine exponuntur.

Analytica enumeratio. 1° Quare latronum crura fracta fuerunt, quod in supplicio crucis fieri non solebat? 2° Ad Jesum autem quod attinet, quare latus ejus lancea transfixum fuit? adde utrum etiam *cor* fuerit vulneratum. 3° Quis erat miles ille qui latus perfodit? 4° Quid exivit ex vulnere lateris, et quare hoc cum solemni asseveratione a J. notatur? an ideo quod esset miraculum? 5° Quodnam mysterium in illo effluvio e latere Jesu viderunt ss. Patres? 6° Quaenam praedictio eventu confirmata fuit in eo quod crura Jesu fracta non fuerint? 7° Alterum adde oraculum de Jesu transfixo, quod J. ad ictum lanceae referre videtur.

Singulas illas quaestiones, pro majore rerum omnium perspicuitate, distincte et separatim tractabimus, sub literis A, B etc.

A. Latronum crura franguntur.

Q. 921. Quare id fit, contra morem?

R. Quia *Judaei*, certe populi principes et optimates, a Pilato obtinuerant **ut,** contra morem Romanorum (cf. q. 933), viris cruci affixis **ictus mortifer,** qualis certe erat crurifragium, **inferretur** *(pour les achever par ce moyen cruel: un coup de grâce digne des*

Juifs) (1), in eum finem ut cadavera possent a patibulo tolli et sepeliri ante vesperam, nimirum: *Ut non remanerent in cruce corpora sabbato: erat enim magnus dies ille sabbati*, potius *dies illius sabbati* (vera lectio, quam habet etiam Sin., est ἡ ἡμερα εκεινου του σαββατου, non lectio quam refert Vulgata εκεινη *dies ille*).

Judaei hypocritae. « Igitur isti Christum occidere non dubi-« tarunt, ait s. Cyr. Al. *in J.*, et sabbati honorem illius in re « minima conservare studebant; auctorem legis interemerunt, et « legem servare fingebant. »

Multi interpretes existimant, eos noluisse ut cadavera remanerent in cruce per diem sequentem, quia Deut. 21, 23 praescriptum erat corpora eorum, qui post lapidationem patibulo suspensi fuerant (quibus Judaei crucifixos similes reputabant), eodem die auferre ne contaminaretur Terra Sancta: cf. Jos. *B. J.* 4, 5, 2. Sed ad eam legem non respexisse videntur Judaei; et vera ratio fuit, quam diserte tradit J.: quia dies sequens (qui more Judaeorum a solis occasu incipiebat) erat sabbatum, et sabbatum quidem magnum seu solemnius (*dies* ILLIUS *sabbati* εκεινου του σαββατου: haec est vera lectio, ut supra dixi), utpote quod incideret in Pascha, vel saltem in postridie Paschatis (2), adeoque duplici ratione sanctum, et requiei consecratum.

B. Jesu non franguntur crura, sed latus transfigitur.

Q. 922. Quem in finem illud fit ?

---

(1) **Crurifragium erat ordinarie mortale.** Ex J. v. 33 patet crura fracta fuisse ut mors statim vel saltem cito sequeretur; quod affirmat etiam Lact. 4, 26 *Instit. div.* 4, 26: « Suffixus « Christus cum spiritum deposuisset, necessarium carnifices non putarunt ossa ejus suffringere, sicut « eorum mos ferebat. » Nota scriptorem illum eo vixisse tempore († circ. 325), quo in usu adhuc erat crucis supplicium. Plures tamen (*Michaël., *Kuin.) contendunt crurum fractionem sufficientem haudquaquam fuisse ad necem inferendam, atque ideo autumant additum fuisse alium quemdam ictum gratiosum, de quo Evangelista non loquitur, propterea quod talis semper crurifragium comitabatur. Verum, cum agatur de viro qui post crudelissimum flagrorum tormentum jam per plures horas crucis poenam sustinuit, vix dubitem ego quin, in ordinariis rerum adjunctis (si cruciarius non fuerit insolenter robustus), ictus illi gravissimi, clava lignea vel ferrea illati, mortem certo inducerent, saltem post breve tempus, vi ipsius doloris, vel potius vi inflammationis in vulneribus crurum secutae. Utcumque haec sunt, ista supplicii mitigatio qualiscumque in poena crucis interdum occurrit (teste Lact. modo cit.; cf. Lips. *De cruce* 2, 13; 3, 10; *Friedl. *Arch. der Leid.*); saepe tamen erat tormentum per se stans et a crucifixione distinctum (Sen. *De ira* 3, 32; Suet. *Octav.* 67; Val. Max. 2, 155).

(2) Ut dicemus q. 1170 sq. sunt qui putent Jerosolymitanos postridie quam Christum Pascha celebrasse. Alii dicunt sabbatum illud a Joanne *magnum* vocari, quia incidebat in secundum Paschatis diem, quo offerebantur primitiae, Lev. 23, 11.

J. v. 33. *Ad Jesum cum venissent milites* (1), *ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, sed unus militum lancea latus ejus aperuit* (vera lectio non est ηνοιξεν *aperuit*, ut in Vulg., et apud s. Chrys. *in M.* et *in J.*, sed ενυξε, *pupugit, transfodit*) ; quod quidem fecerunt in eum finem ut omne dubium de morte ejus, quod subesse poterat, tolleretur (ita s. Cyr. Alex. *In Joan.*) : nam, si Jesus mentis deliquio tantum affectus fuisset, certissime occisus fuisset per ictum illum gravissimum (2), quo non solum **latus**, sed, ut videtur, etiam **cor** fuit percussum.

Q. 923. Cor Jesu vulneratum.

Verum quidem est in Evang. non de *corde* confosso, sed de *latere* mentionem fieri. Attamen, cum miles vellet mortem Jesu certiorem reddere, valde probabile est lanceam vi magna immissam **a latere usque ad cor** ipsum penetrasse, quod innuit profluvium *sanguinis* et *aquae*, ut mox dicemus (unde etiam vulnus valde latum (3) fuit). Eam autem opinionem sequitur Ecclesia, cum in Off. ss. Cordis cantat : *Tu*, (o Cor) *nostra terge vulnera ex te fluente sanguine.* Ibi etiam citatur Ps.-Bern. *De pass. Dom.* c. 3 : « Non solum corpus, « verum etiam ipsum *cor* lancea vulnerari permisit. »

Q. 924. Latus dextrum perforatum.

Ideo sane Luc. Brug., et Allioli, cum aliis, censent *sinistrum*

(1) **Milites** illi videntur **alii** fuisse quam ii qui Jesum cruci fixerant; nam de illis dicitur v. 32 *venerunt milites*, ηλθον οι στρατιωται, nempe venerunt a praetorio ad Golgotha (articulus hanc vim habet. *les soldats que cela regardait, que Pilate envoya à ce dessein*) ; isti autem, qui crucis supplicio praepositi fuerant, erant certe prope patibula ut custodiam agerent (M. 27, 36 *Sedentes servabant eum*) ; eo vel magis quod aliunde sciamus ipsis stricte prohibitum fuisse ante mortem damnatorum abire (*Friedl. *Arch. der Leidensgesch.*). Praeterea iidem viderant Jesum morientem (expresse dicitur Mc. 15, 39 de centurione : *Videns... quia sic clamans expirasset Jesus*), et proinde latus ejus non transfigere debuissent ut certi fuissent de morte ejus.

(2) **Contra Paulum Rationalistam.** *Gravissimum* dico ictum, quod ex fine percutientis et ex fluore vulneris colligo ; atque ideo verbum νυσσω, νυττω haudquaquam verterim *cuticulam scindere, lacerare cutim*, germ. *ritzen*, fl. *schribbelen*, aut *leviter pungere, vellere* etc., sicut voluit *Paulus *in M.*, qui, quod supra q. 898 notavimus, ut Jesu resurrectionem negare posset, veram ejus mortem in dubium vocavit. Fateor νυττειν interdum sensu illo adhiberi, v. gr. Eccli. 22, 19. (Vulg. 22, 24) ὁ νυσσων οφθαλμον, καταξει δακρυα, *qui ferit, leviter percutit*, vel *vellit*, vel *imprudenti ictu excitat oculum, lacrymas eliciet.* Verum, de confodiendo graveque vulnus inferendo apud J. dici, patet et ex subjecta materia, et e v. 37 ubi νυσσειν explicatur per κεντειν (*videbunt in quem transfixerunt*) ; atque aliunde constat eodem sensu verbum legi apud Hom., Fl. Jos. aliosque scriptores graecos, ut ostendunt *Kuin., et *Bretschn. *lex.*

(3) Vulnus lateris satis magnum fuisse ex eo colligitur quod Jesus Thomae dubitanti dixerit de vulnere manuum *Infer digitum tuum huc*, dum contra de vulnere lateris addiderit : *Affer manum tuam et mitte in latus meum*, J. 20, 27. De lancea sacra cf. infra, q. 1205.

latus fuisse transfixum ; atque illud colligunt aliqui, ex eo quod, ut diximus, miles voluerit esse omnino certus de morte Christi, quare ad ipsum cor ictum intulerit ; deinde idem confirmant hac ratione, facilius fuisse militi stanti ante crucem lanceam, quam dextera manu tenebat, in latus sinistrum figere.

Attamen **sententia communior** (A Lap.), cui favet vetusta traditio (testes sunt apocr. *Ev. Nicodemi* in quibusd. mss., et apocr. *Ev. infantiae* Jesu, versio aethiop. etc.), tenet **dextrum latus** fuisse apertum. Ex maculis autem sanguineis, quae videntur tum in sudario (sindone) Vesuntino, quum in sindone Taurinensi, id concludi posse contendit Chifflet, *De linteis sepulcr. Chr.* 31 (si tamen reliquiae istae sint authenticae, cf. q. 1207) ; cf. Ben. XIV, *De festis*, 7, 127 : et nihil profecto impedit quominus putemus militem non ex adverso sed a dextris Jesu stetisse. Unde etiam s. Franciscus stigma in latere *dextro* accepit, ut narrat s. Bonav. in ejus vita.

Nota tamen ex hoc ultimo facto argumentum certum peti non posse, quum alii, v. gr. s. Catharina Sen. (Brev. Rom. 30 April., Ben. XIV *De can. SS.* l. 4, p. 2, c. 8, n. 4) vulnus mirabile ad *cor* habuerint, adeoque (1) in latere sinistro.

Omnibus attentis, **communiori sententiae,** quae antiqua nititur opinione, **adhaeremus**, et putamus cum A Lap. tam profonde transfossum fuisse corpus, ut ferrum lanceae, in latus *dextrum* immissum, usque ad cor penetraverit idque perforarit : igitur, etiam in hac sententia, miles certus omnino fuit de morte Christi.

C. De milite qui Jesu latus perfodit.

Q. 925. Miles ille fuit diversus a centurione. Aliqui auctores contendunt eumdem fuisse ac centurionem qui, visis miraculis Jesu expirantis, exclamavit : *Vere Filius Dei erat iste !* q. 913. (2) Sed vix credibile est eum ausum fuisse transverberare latus illius quem *Dei Filium* jam professus fuisset. Praeterea, ut supra q. 922

(1) Exemplum *stigmatizatae* Belgicae, **Ludovicae Lateau,** quae etiam in latere *sinistro* stigma habebat (Dr Lefèvre, in libro *Louise Lateau* qui, obiter sit dictum, a multis fu t improbatus, et cujus quidem ipsum auctorem postea piguit), hic afferre nolim, quum de natura phaenomenon, sintne Deo, an diabolo, an forte morbo cuidam hactenus ignoto, vel cuidam *auto-suggestioni hystericae*, adscribenda, haud satis constet.

(2) Centurionem illum vocant *Longinum*, ut dixi q. 913. Sunt qui putent *Longinum* esse nomen corruptum ex voce λογχη, *lancea* : cf. Calmet.

in nota marg. monuimus, milites, qui permittente Pilato venerunt in Golgotha ut crura damnatorum frangerent, quorumque unus latus Jesu perfodit, alii erant ab istis militibus qui supplicio inferendo praepositi fuerant.

Non in equo sedebat, ut fingunt pictores. Obiter animadvertisse juvabit, minime constare militem istum fuisse virum aliis praepositum, v. gr. centurionem, quum forte gregarius tantum fuerit, atque adeo certum non esse, ut optime animadvertit Calmet ad h. l., eum in *equo* sedisse, quemadmodum saepe fingunt pictores. Absque dubio affirmare ausim eum *peditem* fuisse : vox enim στρατιώτης, absolute posita, nonnisi de pedite dicitur, teste *Bynaeo, cum equites a Graecis ἱππεῖς vocati semper sint ; deinde apud Romanos lancea seu *hasta*, cujus hastile non admodum longum erat, propria erat peditatus, eaque utebantur milites ut eminus eam in hostes manu jacularentur (vide infra q. 1205). Certe, si in equo sedisset, fuisset nimis excelsus quam ut latus Jesu facile percussisset, quum non tanta altitudo, quantam multi ponunt, crucibus fuerit : cf. supra, q. 850.

D. Quid e latere Jesu profluxerit.

Q. 926. *Exivit sanguis et aqua*, i. e. non aqua sanguinolenta, vel sanguis aquosus seu fluidus (1), sed **sanguis et aqua distincte** ex uno eodemque vulnere effluxerunt. Utrum bini liquores eodem tempore (*un filet d'eau à côté d'un filet de sang*, fl. *striepen bloed te samen met striepen water*), an vicissim, primum sanguis, deinde aqua, emanaverint, incertum plane est.

Quinque vulnera, non sex. *Ex uno*, inquam, *eodemque vulnere ;* nolim enim sequi Prudentium, qui censet utrumque latus fuisse transfixum (quasi lancea in latus dextrum immissa fuerit, ejusque cuspis de latere sinistro exierit), v. gr. *Cathem.* 9 : *Hinc cruoris flu-*

---

(1) **Rationalistae philologicae et sanae rationi adversantur.** *Paulus, de quo jam supra diximus, q. 898, ne Jesum vere mortuum esse admittere cogatur, contendit verba *sanguis et aqua* per hendiaden posita esse pro *sanguis fluidus*, quasi *aquosus*, i. e. *liquidus ;* ergo, ait, *sanguis adhuc calens* intelligitur, et Jesus adhuc vivebat, eratque syncope oppressus. Quantum Scripturae verbis vis inferatur isto interpretandi genere, vix notasse decet. Ergone *sanguis et aqua* idem erit ac *sanguis calens*, et J. solemni asseveratione testabitur se vidisse e corpore vivo fluxisse sanguinem calentem ? (haec ultima dicta sunt in sententia illorum qui testificationem Evangelistae ad effusionem sanguinis et aquae referunt). Atque illud exempli causa adducere volui, ut perspicuum fiat omnibus, philologicae et sanae rationi Rationalistarum commenta repugnare vehementer.

xit unda, lympha parte ex altera. Huic quippe opinioni singulari repugnant Christiani omnes, quum semper venerati sint *quinque* Jesu vulnera, non *sex*.

Paleottus, *De stigmat. Ch.* 20, magnam sanguinis et aquae copiam profluxisse probare conatur ex Sindone Taurinensi : cujus quidem vis argumenti non admodum magna videtur.

Quid importat solemnis Joannis asseveratio ? J. autem testatur se *vidisse*, nempe (secundum plurimorum interpretationem) sanguinem et aquam exiisse de vulnere ; atque illud solemniter asseverat *Qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus*, vel **(1ª sententia)** quia effusio sanguinis et aquae certissime probabat Jesum vere mortuum esse ; vel **(2ª sent.)** quia factum illud miraculosum erat (1).

Utramque sententiam jam exponemus.

Sanguinis et aquae effluvium eratne miraculosum ?

Q. 927. Auctores non concordant, et duplex datur sententia nunc exponenda.

1ª Sententia negans.

Aqua, aiunt quidam, erumpens e vulnere erat *serum* (*de la sérosité*), quod in pericardium, per diuturnam cum morte luctationem summamque luctantis anxietatem, sensim confluxerat : *sanguis* autem erat ille qui in parte dextra cordis erat accumulatus *(du sang noirâtre et sirupeux)*, ut solet fieri quando quis per *asphixiam* lentam moritur. Atqui, utrumque illud effluvium gravissimum profundissimumque fuisse lanceae ictum demonstrat ; ac per talem ictum mors certissime Jesu illata fuit. — Sed huic conjecturae obstat Jesum, ut apertissime testantur Evangelistae, non per lanceae vulnus interemptum fuisse, sed antea jam vere exspirasse.

Bisping vero **aliam** quorumdam medicorum **explicationem**

---

(1) **Tertia sententia.** Plures autem, ut Beelen, Bisp. etc., solemnem asseverationem illam referunt non solum ad hoc quod latus Jesu transfixum fuerit, et quod sanguis et aqua miro quodam modo ex vulnere effluxerint, sed simul etiam ad crurum percussionem ; putant enim isti auctores Joannem utrumque factum peculiari ratione testari voluisse, quia utrumque olim **de Messia praedictum** fuerat, adeo quidem ut ex unoquoque eventu concludendum sit Jesum verum esse **Messiam**. Igitur, ad verba v. 35 *Ut et vos credatis* supplent, non, *sanguinem et aquam vere effluxisse*, sed Jesum *esse vere Messiam* in vetere Test. praedictum, ut constat tum ex impleta duplici vaticinatione, tum ex miraculo profluentis sanguinis et aquae. *Credatis*, ait, id est *firmius* credatis ; etenim jam credentes alloquitur.

affert, secundum quam sanguis Jesu jam in binas suas partes separatus erat, in *serum*, quod est liquor subflavus, et in materiam rubram *globulis* per *fibrinam* coagulatis conflatam : ista autem sanguinis separatio, quae in cadavere non nisi plures horas post mortem fieri solet (quatuor horas, ait Longet, *Physiol.* 2, p. 701), citius facta est in Jesu ; quod indicat mortem ejus cordi rupto proxime adscribendam esse (1), adeo ut sanguis in pericardium effusus mox se coagulaverit (imo, secundum istos medicos, citius quam sanguis in vas effusus coaguletur).

Verum, ut addit idem Bisping, plerique medici hujusmodi cordis diruptionem, ex vehementissimo et subito quodam mentis motu, ut ira, terrore, angore etc. exortam, in viro sano et robusto haudquaquam admittunt. Cor, aiunt, non rumpitur, nisi quando involucra ejus *(les parois du cœur)* per infirmitatem vel senectutem etc. depravata fuerint et tenuiora facta. De Christo autem affirmari posse non videtur quamdam corporis partem vitiatam fuisse *(son organisme était sain et parfait)*. Quare prior explicatio medicis, ad quos spectat hac de re judicare, magis, ut puto, arrideret.

De cetero, secundum utramque hanc explicationem, in illa sanguinis et aquae fluxione nihil miraculosi fuit, sed factum illud certiorem reddidit mortem Jesu, adeoque miraculum resurrectionis ejus confirmavit.

At vero, utrique explicationi *naturali* opponitur, praeter alia statim indicanda, mortem Domini, si per lanceae ictum aut per cordis rupturam proxime illata fuerit, non tam voluntariam et spontaneam, saltem non tam *directe* a Jesu, eo momento quo libebat ipsi, adscitam videri. Ideo ad aliam jam devenimus explicationem, quae causa nititur *supernaturali*.

2ª Sententia affirmat esse miraculum.

Plerique interpretes catholici, a quibus recedere nolim, dicunt *aquam proprie dictam*, non *serum*, aut liquorem similem, e latere Christi manasse (2), et hac in re vident **verum miraculum** (s. Th.

(1) Subitam cordis rupturam causam fuisse proximam mortis Jesu demonstrare nisus est *Stroud medicus in op. *A treatise on the physical cause of the death of the Christ.* Lond 1847: atque ei adstipulantur *Ewald, *Friedl., Sepp etc.

(2) Innoc. III l. 3 *decret.*, tit. 41, *de celebr. Miss.* 8, docet aquam illam non phlegma, sed veram aquam fuisse, sive naturalis sive miraculosa dicenda sit. Non tamen ideo damnatur opinio de *sero*, quia hoc fere nihil aliud quam aquam continet (sc. novem ex decem partibus). Rejicitur autem *phlegma*, quia olim credebatur in eo nihil aquae inveniri (P. Corluy *in J.*).

Sum. III, 66, 4) : eo vel magis quod, teste Ben. XIV *(De festis J. C.*, ubi de feria 6ª in parasc.), Patrum omnium consensione illud miraculo tribuatur (cf. etiam Ben. XIV, *De canon.* I, 31, 6).

Duplex argumentum. Haec autem sententia nititur 1° regula interpretationis primaria, verba sensu obvio et naturali sumenda esse, 2° et confirmatur iis quae adjicit J. *Qui vidit testimonium perhibuit, et verum est testimonium ejus :* haec enim asseveratio insolitum quid accidisse innuit.

Istud tamen **ultimum argumentum** mihi videtur **minus firmum** quam primum, quum dici possit vehementem illam affirmationem ad praedictiones Messianicas, quae eventu comprobatae fuerint, referri. Etenim nonnulli auctores, ut supra notavi, putant singularem Evangelistae testificationem ad duplex oraculum, v. 36 et 37 recitatum, spectare ; atque ideo ab istis Joannis fortiter asserentis verbis (v. 35) separant quaestionem inter catholicos disputatam, utrum in aqua et sanguine e latere decurrentibus verum sit miraculum necne.

Utcumque haec se habeant, **probabilius** nobis videtur reipsa **miraculum** fuisse.

Sed, hoc admisso, quaeritur **in quo** constituendum **sit miraculum**. Suarez (cit. a Ben. XIV l. c.) in fluxu sanguinis illud ponit : non, ait, poterat de corpore mortuo naturaliter sanguis effluere. Concinit A Lap. Sed huic merito repugnat Ben. XIV, quum constet id fieri saepe : sic, ut supra dixi cum Longet, sanguinis coagulatio nonnisi 4 horas post mortem fieri solet. Praeterea, ut mihi testatus est medicus doctus, sanguis, postquam mansit aliquamdiu coagulatus, iterum fluidus efficitur (certe, tum cum fermentatio incipit) (1). Igitur Theophylactus **melius** censet **in fluxu aquae** (proprie dictae) miraculum fuisse : ita etiam Corluy *in J.* Nec contemnenda videtur, ait id. Ben. XIV, eorum sententia qui volunt miraculum in hoc consistere, quod distincte et per vices effluxerint gemini liquores, sanguis primum et deinde aqua.

Praeterquam quod Patres, ut statim dixi, verum ibi miraculum

---

(1) *Quod egomet ipse viderim.* Et re quidem vera, sanguinem prorsus rubrum et limpidissimum ex ore hominis mortui, tertio jam die post obitum ejus evoluto, copiose effluere vidi egometipse meis oculis ; idque alii plures mecum adstantes conspexerunt, quin ullus nostrum omnium de miraculo vel cogitaverit.

viderunt, quo Christi divinitas confirmatur, triplicem admiserunt significationem mysticam, quam nunc fusius exponemus.

E. Mystica significatio sanguinis et aquae e latere Jesu profluentium.

Q. 928. Non una est hac de re ss. Patrum sententia : atque ideo plures ex iis interrogare oportebit.

1ª **Opinio ss. Patrum.** Plerique per *aquam* intelligunt **Baptismum** et per *sanguinem* **s. Eucharistiam :** ita s. Cyr. Alex. *in Joan.* h. l. « Eulogiae mysticae et baptismatis imago quaedam erat. » Cum autem haec duo Sacramenta sint omnium potissima, cumque ad eadem quasi ad principium et finem alia Sacramenta reducantur omnia, generatim vident ibi indicium hujus veritatis : omnia novae legis Sacramenta ex latere Christi emanasse, mystice nempe, i. e. omnia vim suam et virtutem ex Passione Christi habere (s. Thom. *Sum.* III, 62, 5). S. Aug. *Tract.* 120 *in Joan.* : « Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret : « Latus ejus *percussit* aut *vulneravit*, aut quid aliud, sed *aperuit* [obiter tamen nota « veram lectionem esse ἐνύξε *perfodit*, ut supra diximus] ; ut illic quodammodo vitae « ostium panderetur, unde *Sacramenta Ecclesiae* manaverunt, sine quibus ad veram « vitam non intratur... Hoc praenuntiabat quod Noe in latere Arcae ostium facere « jussus est, qua intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus prae- « figurabatur Ecclesia, etc. »

2ª **Opinio connexa cum 1ª.** Alii autem dicunt in duplici illo profluvio figuram esse Messiae ejusque muneris : *Aqua ut emundaret*, sc. in Baptismo, *sanguis ut redimeret* (s. Ambr., *de Sacram.* l. 5, c. 1). Proinde ibi **imago** quaedam est constitutae **Ecclesiae**, ut ait s. Chrys. *in Joan.* : « Non sine causa vel casu hi fontes mana- « runt, sed quia ex hoc utroque Ecclesia constituta est. » Haec 2ª figura, ad rem ipsam quod attinet, a prima vix differt ; nam verbis statim recitatis s. Chrys. addit : « Hoc sciunt initiati, qui per *aquam* regenerantur, ac per *sanguinem* et carnem « nutriuntur. »

Igitur Ecclesia, quae ex duplici Sacramento Baptismi et Eucharistiae quasi constituitur, per aquam et sanguinem lateris Jesu apte significatur : namque « Ex latere suo Christus adificavit *Ecclesiam*, sicut de latere Adam ejus conjux « Heva prolata est (s. Chrys. cit. in Brev. Rom. (1), Dom. 1ª Julii). » Pariter s. Aug. *Tract.* 9, *n.* 10 *in Joan.* : « Dormit Adam ut fiat Eva, moritur Christus ut « fiat *Ecclesia*. Dormienti Adae fit Eva e latere, mortuo Christo lancea percutitur « latus, ut profluant Sacramenta quibus formetur *Ecclesia*. »

Nota similitudinem pulchram : Eva, *uxor Adami*, facta fuit de latere viri *dormientis*, ita Ecclesia, *sponsa Christi*, formata est e latere ejus *mortui* in cruce (Brev. Rom., offic. de Lanc. et Clav.). Quae quidem similitudo confirmatur ex eo quod aliunde notum sit Adamum fuisse *typum Christi*, non solum in similibus (Ps. 8, et *Comm.* nostr. *in Ps.*), sed etiam in contrariis (Rom. 5, 12-21 ; 1 Cor. 15, 22, 45 ; vid. *Comm.* nostr. *in Ep. Paul.*, 6ª ed. 1899).

(1) Ibi etiam citantur haec s. Chrys. verba : « Non ait *Exiit sanguis et aqua*, sed *exiit aqua* « primum *et sanguis*. » Hoc autem non est accuratum, nam textus primigenius habet sicut Vulg. *Exivit sanguis et aqua*. Forte confusio quaedam in mente s. Chrys. orta est ex 1 Jo. 5, 6 *Hic est qui venit per aquam et sanguinem Jesus Christus*.

3° **Aliae opiniones minus obviae.** Tert. autem *De Bapt.* 16 videt ibi symbolum aut figuram **duplicis baptismi,** sc. aquae et sanguinis, sive Sacramenti et martyrii. Concinit s. Cyr. Jeros. *Catech.* 3, qui et alias adducit ejusdem generis significationes.

Juvat addere multorum opinionem esse, s. Joannem in 1 ep. 5, 6, 8 (ubi de triplici testimonio in terra, de *spiritu, aquâ* et *sanguine*, loquitur) ad factum illud historicum respexisse. Cf. *Explic.* nostr. *epist. cath.*, ed. 3ª Brugis, 1893.

Tandem obiter notamus, **in calice** inter Missam consecrando **aquam** vino miscendam esse, non solum quia vinum, a Jesu adhibitum in ultima Coena, erat aqua temperatum, sed ut in memoriam revocetur effusio sanguinis et aquae e latere Christi.

Hactenus de sensu mystico miraculosi istius profluvii : manet ut de duplici oraculo quod, latere Jesu confosso, fuit eventu confirmatum, deinceps dicamus : vide J. 19, 36 citat. supra, post q. 918.

F. De oraculo : Os non comminuetis ex eo.

Q. 929. Crura Jesu non perfringenda esse praenuntiatum fuit Ex. 12, 46, et Num. 9, 12, his fere verbis : *Os non comminuetis ex eo.* Haec autem verba **sensu literali** de agno paschali dicuntur, et **sensu typico** ad Christum referuntur. Etenim praescriptum fuit ut agnus ille in partes non secaretur, nullumque ex ejus ossibus frangeretur : quod quidem in eum finem statutum fuisse videtur, ut conjunctio inviolata atque unitas politica edentium significaretur ; igitur, integritas agni, a cujus esu exclusi erant alienigenae (Num. 12, 43-45), signum haberi potest arctissimi vinculi quo populus Israel, tamquam unica familia, erat adstrictus Jehovae (cui respondet forte 1 Cor. 10. 17 *Unum corpus multi sumus*).

Vix probabile putem id quod censet P. Smits in *comm. Exodi*, praeceptum illud ad festinationem spectare, quia ossa frangere eorumque medullam exsugere, ut a suaviora pulpamenta libantibus fieri solet, longioris morae est.

Quaecumque tandem sit significatio literalis istius praescriptionis, de agni ossibus non comminuendis, hoc **certum** est, in eadem latere **sensum mysticum** de Christi cruribus non perfringendis, ut apertissime docet hic J. ; et vix intelligo quomodo * Kuinöl hoc negare ausus fuerit. Aliunde novimus, (q. 1188, 675 et 651), *agnum Paschalem figuram* esse *Christi*, tum immolati in cruce, tum comesti in s. Communione : cf. 1 Cor. 5, 7 *Pascha nostrum immolatus est Christus.* S. Just. *Dial. c. Tryph.* n. 40 : « Hic *agnus*, quem totum

« assari praecipitur, supplicii crucis, per quam Christus erat passu-
« rus, *symbolum erat.* Agnus enim qui assatur, ad similitudinem
« figurae crucis dispositus assatur. Alterum enim veru ab infimis
« partibus ad caput usque recta transfigitur ; alterum veru secun-
« dum scapulas, ad quod etiam manus agni suspenduntur. » Ideo etiam **sanguis agni,** postibus linitus ad arcendum ab Hebraeis angelum exstinctorem, **fuit figura sanguinis Christi :** quod quidem praeclare describit s. Chrys. *H. 27 in epist. ad Hebr.* Vide Malou, *De culte du s. Sang* 1 ; Becanum, *Analogia V. ac N. Test.* XIII, 22.

G. Ictus lanceae olim praedictus.

Q. 930. Per istum lanceae ictum eventu confirmata fuit praedictio Zach. 12, 10 (secund. hebr., non secundum 70) : *Videbunt in* eum *quem transfixerunt* (1) : hoc de *Judaeis* dicitur, tam apud Zach., quam apud J., propterea quod ipsis merito imputetur quidquid a Romanis militibus in Jesum admissum est ; quasi scriptum fuisset : Oculos conjicient in eum cujus transfixionis fuerunt causa.

Citatio cadit in verbum *transfixerunt*, non in *videbunt* ; namque Evangelista de ictu lanceae loquitur. Sensus autem Zach. videtur

---

(1) **Disputatio critica de vera lectione.** In hebraeo, secundum puncta vocalia a Massoretis adjecta, nunc legitur : *Videbunt in me quem transfixerunt ;* et haec vera lectio videtur, quippe quae difficilior sit et in omnibus fere antiquis versionibus inveniatur. Reinke autem *Die Mess. Weiss. d. B., üb. Sacharja, 1862*, paululum mutat vocalia, et loco אֵלַי אֵלָי legit אֵלֵי in statu constr. pro אֵלַי-, et אֵת quod sequitur non sumit ut particulam accusativi, sed tamquam pronomen αυτος : *in istum quem.* Idem auctor putat Joannem hoc sensu verba Prophetae intellexisse : alii vero tenent ipsum legisse *in me*, ut nunc habetur ; sed testimonium illud libere, non ad verbum, citasse, atque argumento suo accommodasse : quod probabilius est. In quibusdam codicibus scribitur אֵלָיו *in eum*, loco אֵלַי *in me :* verum, haec lectio ex correctione exegetica orta videtur, quia *in me* minus quadrat cum verbis quae statim sequuntur apud Zach. *et plangent* EUM.

De cetero, sive legatur *in me* sive *in eum*, sensus eodem recidit ; namque Deus loquitur de se ipse, cum dicit *Videbunt in me :* jam vero, quae Jehovae in V. T. tribuuntur, haec ad Christum, qui verus est Deus, referenda sunt. 70 Interpretes ita vertunt : *Aspicient ad me, pro eo quod insultaverunt* me ανθ' ὡν κατωρχησαντο. gall. *pour réparer leurs insultes, comme revanche, à leur place* (ανθ' ὡν) : certe, ut conjicit s. Hier. in *Comm. ad Zach*, pro verbo דָּקַר *confodere* legerunt רָקַד (literae ד et ר in hebraeo valde similes sunt), *salire, exsultare, insultare ;* forte consulto verbum mutarunt, quia nimis durum videbatur loqui de Deo confodiendo, quasi corpus ei fuisset : notum enim est ipsos huc proclives fuisse ut paululum mitigarent quae de Deo vel per metaphoras vel per anthropopateiam dicebantur.

latior et generalior, de Messia a Judaeis confodiendo et occidendo; adeoque omnia quae ad supplicium Jesu spectant complectitur, proinde et lanceae ictum. Etenim ita loquitur: v. 9 *Erit in die illa...* v. 10 *effundam super domum David, et super habitatores Jerusalem, spiritum gratiae et precum, et aspicient ad me quem confixerunt, et plangent eum planctu quasi super unigenitum.* Sensus est: aliquando continget ut Deus super Judaeos gratiam suam effundat, et isti tunc oculis moerentibus et poenitentibus aspicient eum quem confixerunt. Igitur, secundum praedictionem illam, Judaei Messiam transfigent et occident (hoc nunc impletum fuit per crucifixionem in genere, et in specie per ictum lanceae), sed ad eum, quem adeo male habuerunt, aliquando oculos convertent, puta cum fiducia, cum amore, cum poenitentia (*videre*, *aspicere* in bonam partem sumitur, ut totus orationis contextus apud Zach. ostendit). Hoc autem fiet quando eum ut Deum agnoscent; praesertim **in fine seculorum,** quo tempore **tota Judaeorum gens** fidem christianam amplectetur: cf. Rom. 11, 25 sq. et *Comm.* nostr. *in epist. Paul.*, 6ª ed. Ideo in Apoc. 1, 7 eadem Zach. verba ad alterum Christi adventum referuntur.

Dico tunc *praesertim* eventu perficiendam esse hanc oraculi partem, quae continetur verbo *videbunt*: nam antea jam, et statim quidem post mortem Jesu (L. 23, 48 *Omnis turba... percutientes pectora sua* etc.), et in Pentecoste (Act. 2, 41), plures Judaei in Christum crediderunt, atque adeo inchoata est impletio istius prophetiae.

Sed de facto isto mirabili et vere miraculoso dictum fuit satis. Antequam vero narrationem Evangelicam persequamur, liceat obiter inserere, hocce loco opportuno, quaestionem generalem, in hunc praesertim finem positam, ut alumni, factorum seriem mente saepius percurrentes, rerum omnium ordinem memoriae altius imprimere discant.

Miracula ab ingressu in hortum usque ad sepelitionem.

*Q. 931. Quot et quaenam miracula ab introitu in hortum usque ad sepelitionem Jesu contigerunt?

R. In horto plura facta sunt, eaque indicavimus supra q. 733. Praeterea, potuit esse miraculum in eo quod Judas crepuerit medius omniaque ejus viscera fuerint diffusa: sed res illa forsitan naturalis fuit. Idem dicendum de somnio quod uxori

Pilati obtigit. Sequitur miraculum tenebrarum, quando Jesus adhuc vivus in cruce pendebat. Deinde, cum spiritum exhalavit, per Dei potentiam velum Templi scissum est, terra mota est disruptaeque petrae, et tunc, vel postea, multi mortui e monumentis exierunt. Tandem, auctores haud pauci opinantur prodigium fuisse verum in eo quod sanguis et aqua e latere Jesu percusso effluxerint.

Obiter nota tot accidisse mirabilia, ut fides eorum, qui de Christo patiente et moriente offenderentur et *scandalizarentur*, confirmaretur.

Q. 932. Honor sepulturae. Post latus Domini lancea percussum, demum substitit hostilis furor, finem quoque habuerunt quaecumque ad Jesu contumelias spectant: deinceps in honorem et gloriam ejus cedent omnia et singula; imprimis decus jam insigne, nulla adversariorum malitia corruptum, ei tribuetur, cum corpus ejus exanime de cruce pie detractum religiosissime sepelietur: quod quidem non solum ad Christi laudem et quasi mercedem, sed etiam ad nostrum solatium, ut animi moerores, quos ex cruciatibus Domini nostri dilectissimi passi sumus, levarentur, fieri voluit Providentia: etenim « Curatio funeris, ait s. Aug. *De civ.* I, « 12, conditio sepulturae, pompa exequiarum, magis sunt vivorum « solatia, quam subsidia mortuorum. » »

Illam autem historiam, Christo gloriosam, nobis delectabilem, narrare et illustrare nunc oportebit.

PUNCT. III.

JESUS DEPONITUR DE CRUCE ET SEPELITUR: 27, 57-61.

Narratio Evangelistarum ad **triplex factorum genus** commode revocatur: A/ Pilatus Josepho donat corpus Jesu; B/ illud jam deponitur et sepelitur; C/ mulieres sanctae sepelitionem spectant, eo fine ut cadaveris unctionem postea perficiant.

A. Pilatus Josepho donat corpus Jesu.

Praeced. vide ante q. 917.

M. 27, 57. Cum autem sero factum esset, venit quidam homo dives ab Arimathaea, nomine Joseph, qui et ipse discipulus erat Jesu. 58 Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. Tunc Pilatus jussit reddi corpus Jesu. 59 Et accepto corpore etc. *Ante q. 935.*

Praeced. ante q. 917.

Mc. 15, 42. Et cum jam sero esset factum (quia erat parasceve, quod est ante sabbatum), 43 venit Joseph ab Arimathaea nobilis decurio, qui et ipse erat expectans regnum Dei, et audacter introivit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu. 44 Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et accersito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. 45 Et cum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph. 46 Joseph autem etc *Ante q. 935.*

Praeced. ante q. 917.

L. 23, 50. Et ecce vir nomine Joseph, qui erat decurio, vir bonus et justus : 51 hic non consenserat consilio, et actibus eorum, ab Arimathaea civitate Judaeae, qui expectabat et ipse regnum Dei. 52 Hic accessit ad Pilatum, et petiit corpus Jesu : 53 Et depositum etc. *Ante q. 935.*

Praeced. ante q. 919.

J. 19, 38. Post haec autem rogavit Pilatum Joseph ab Arimathaea, (eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum) ut tolleret corpus Jesu. Et permisit Pilatus. Venit ergo et tulit etc. *Ante q. 935.*

Q. 933. 1° Quid, et in quibus rerum adjunctis, Pilatus Josepho ab Arim. concessit? 2° An huic non repugnat licentia quam antea Judaeis dederat?

R. ad 1m. Rem totam distincte et per partes narrabimus.

a/ Joseph *venit... et introivit ad Pilatum* Mc., certe in praetorium: ελθων... εισηλθεν (lectio melior), gall. *étant allé il entra chez Pilate*, i. e. simpliciter *il se rendit chez Pilate, il alla le trouver dans son palais*. Eodem sensu intelligendus est M. *Venit quidam homo ... Hic accessit ad Pilatum*. Nolim igitur sic interpretari cum Fouard aliisque : venit ad Golgotha, et dein accessit ad Pilatum ; verbum enim *venit* v. 57 explicatur per *accessit ad Pilatum* v. 58, ut ex lectione probabiliore apud Mc. patet. Rem sic cogito : Josephus ille inter turbam spectatorum stabat jam diu, ut videret quid fieret de Jesu cui secreto adhaerebat : post mortem ejus, motus prodigiis voceque centurionis incitatus, metum deposuit et audacter tetendit ad praetorium.

b/ **Quandonam** autem ad Procuratorem accessit? *Cum sero factum esset* M. et Mc. Per *sero* οψια sc. ὡρα, intelligitur hic prima vespera, quae ab hora nostra 3a pomeridiana decurrebat (flandr. *de vooravond*) : cf. supra q. 446. Sensus itaque est : inclinato jam ad occasum die. Talem esse significationem vocis *sero* patet ex iis omnibus quae ante sabbati initium, i. e. ante solis occasum peracta fuerunt. *Ante occasum solis*, inquam, non *ante siderum ortum (avant leur apparition)*, ut censet Fouard, nam Flavius Jos. mox citandus diserte dicit προ δυντος ἡλιου. Poterat esse circiter hora 4a post meridiem. Pro certo ponere oportet, Josephum ad Pilatum accessisse haud diu postquam ad eumdem venerant Judaei, petentes ut crura cruci affixorum frangerentur eorumque corpora tollerentur : vide q. 919.

c/ Sed quem in finem ille Pilatum adiit? quidve ab eo petiit? *Petiit corpus Jesu* M., Mc., L., seu, ut distinctius ait J., *rogavit ut*

tolleret corpus Jesu, i. e. ut posset illud de cruce detrahere et honeste sepelire. Quod ut melius intelligatur, nota viros ad crucem damnatos, more **Romanorum**, plerumque patibulo suspensos mansisse usquedum eorum cadavera vel tabo vel avium ferarumque voracitate consumpta essent ; ipsis igitur crux sepulcrum erat : cf. q. 858, ad 2m. Sed apud **Judaeos** non ita res se habebat, ut colligitur ex Deut. 21, 23 : quod testatur etiam Jos. *B. J.* 4, 5, 2 : « Judaeis, ait, tanta est sepulturae cura, ut etiam judicio cruci affixos ante occasum solis deponant atque sepeliant. » Attamen sine judicis licentia corpora deponere et sepelire fas non erat : « Damnati, ait Tac. *Ann.* 6, 29, sepultura prohibebantur » ; cf. Suet. *Octav.* 13. Ideo Judaei simile quid rogaverant, ut diximus q. 921.

Videtur autem Joseph, vice cognatorum, corpus Jesu in plenam possessionem atque imprimis ad honestam sepulturam, sibi petiisse. Apud Ulpian. *Dig.* l. 48, tit. 24 legitur : « Corpora eorum qui capite damnantur, cognatis ipsorum neganda non sunt. » Cf. Quint. *Declam.* 6, 9, 21. Dico *ad honestam sepulturam*, quia speciale quid facere volebat in honorem Jesu : namque apud Judaeos ii qui mortis damnati fuerant cum ignominia sepeliebantur, ut notabimus in pag. seq.

d/ Quid autem respondit Pilatus ? Noluit statim assentiri : **mirabatur** enim **si jam obiisset Jesus** (solus Mc.), eo certe magis quod paulo ante Judaei postulassent ut damnatorum crura frangerentur, puta, ad mortem eis inferendam ; et aliunde noverat eos, praesertim si aetate florerent, sicut Jesus, in cruce diutius vivere solere : quod quidem facile intelligitur, quum nulla ex partibus corporis ad vitam necessariis laesa esset (q. 858, ad 1m).

e/ Ut vero dubium suum dispelleret, quid fecit ? *Accersivit centurionem* Mc., qui supplicio praefectus fuerat, quique ad praetorium redierat statim ac Jesum exspirasse viderat, custodiam patibuli militibus suis relinquens; vel qui saltem eo redire debebat post fracta crura, cum omnia essent absoluta. Ipsum igitur *interrogavit* Pilatus *si Jesus jam mortuus esset* Mc., seu potius, ut habet vera lectio, *ει παλαι απεθανεν*, *si jam* DUDUM *mortuus esset;* ait *dudum*, ut tanto certior esset eum reipsa obiisse. Jam vero, a centurione *cognovit* rem ita se habere.

Certa mors Jesu, contra Rationalistas. Obiter animadvertamus hac Pilati investigatione haud leviter adaugeri certitudinem de morte Christi, quam Rationalistae quidam, inter audaces audacissimi atque perditissimi inter perditos, v. gr. Paulus in *Comm.* et in *Leben J.*, tantum existimatam fuisse contenderunt : quod quidem ex sola praejudicata opinione excogitarunt, eo fine ut comminiscerentur per artem medicinalem vulnerumque sanationem, non autem per veram et miraculosam resurrectionem, Jesum ad vitam revocatum fuisse (cf. q. 898).

f/ Tunc tandem Pilatus *jussit reddi corpus* (*reddi*, i. e. tradi, fl. *afleveren*), ait M., quod fecit secundum legem quam supra in c/ citavi ex Ulpiano. Imo juxta Mc. *donavit corpus* (verbum *donavit*, dono dedit, innuit talem licentiam quandoque pecunia emptam fuisse : cf. Cic., *In Verr.* 5, 45 ; Just. 9, 4, 6) ; adeoque J. *permisit* ut Joseph faceret quod petierat. Certe praeses hoc in negotio facilem benignumque se praebuit, tum ex observantia erga virum insignem, qualis erat Joseph (q. 934), tum etiam quia Jesu innocentiam noverat, et acgre ferebat damnationem ejus a Judaeis extortam fuisse.

Objectio diluitur.

R. ad 2m. Verum objicitur Pilatum antea jam permisisse Judaeis ut corpora crucifixorum, proinde etiam Jesu, *tollerentur* de cruce, utique ad sepeliendum.

Sed in tali casu cadavera ista omnia simul in fossam communem et ignominiosam, viris scelestis supplicio affectis destinatam, projecta fuissent : *Sanh.* 6, 5 : « Humatio interfecti a Synedrio non « fit in sepulcris patrum ejus, sed duo sepulcreta erant parata a « Synedrio, unum occisis gladio et strangulatis, alterum lapidatis « (qui etiam suspendebantur) et combustis (*Ligthf. *Hor. hebr.* ad « h. l.) ». De cetero, probrosum valde erat cuilibet Judaeo in sepulcrum commune (Jer. 26, 23), vel si ageretur de viris honesto loco natis, extra sepulcrum familiae (3 Reg. 13, 22) condi (De communi pauperum coemeterio vide 4 Reg. 23, 6, coll. M. 27, 7). Josepho autem conceditur ut corpus Jesu decenter componat ad funus, et honorifice ubi et quomodo velit sepeliat.

Quis et qualis erat Joseph ab Arim.?

Q. 934. Expone, secundum Evang., quis esset Joseph ille cui Pilatus corpus Jesu donavit ; imprimis dic de nomine ejus et patria, de dignitate et munere, de statu et conditione, tandem de vitae probitate et pietate.

R. Vocatur Joseph *ab Arimathaea* (1), quia inde ortus erat : haec erat *civitas Judaeae*, potius *Judaeorum*, ut in graeco L., fortasse eadem quae alibi *Rama*, vel *Ramatha*, vel *Ramathaim* (1 Reg. 1, 1), apud 70 Αρμαθαιμ dicitur. Probabiliter sita erat prope Lyddam, seu Diospolim, ut ait s. Hier. *Ep.* 108, 8, et in l. *De situ loc. hebr.*, in eo loco ubi nunc habetur vicus *Ramleh*, secus viam quae Jaffa Hierosolymam hodiedum ducit. Quum autem Joseph in vicinia Urbis haberet sepulcrum novum, quod exciderat in petra (cf. q. 941), dicendum est eum id temporis Jerosolymis habitasse, ut postulare videtur munus quo fungebatur.

Erat enim *decurio* Mc., L., βουλευτης, *consiliarius*, fl. *een raadsheer* ; intelligitur probabiliter **judex Synedrii** : nam apud L. dicitur ipsum *non consensisse consilio et actibus eorum*, i. e. Synedristarum, ut videtur : ουκ ην συγκατατεθειμενος, non erat talis qui consensisset, non permotus fuerat ut assentiretur. Ex quo conjicimus ipsum medio in Senatu aliqua occasione causam Jesu egisse.

Decurio autem ille dicitur **nobilis** Mc. ευσχημων, quod Vulgata bene vertit *nobilis*, honore dignus, spectabilis, **honoratissimus**, potens et dives etc.: ergo inter consiliarios seu supremi tribunalis consessores vir ille erat insignis et praeclarus, germ. *ein angesehenes Mitglied des Synedrium* (sensus non est *forma pulcher*, gall. *d'une belle et noble apparence*, ut vult Fouard *Vie de J.*), et *homo quidem* **dives** Mc. ; pauper certe non ausus fuisset praesidem Romanum adire, aut saltem non adeo efficax fuisset ejusdem petitio, ut scite animadvertit s. Hier. in *Comm.*

Quod porro attinet vitae probitatem, erat **vir bonus et justus**

---

(1) **Vis articuli ante nomen.** Apud J. Ιωσηφ (multi cod. ὁ Ιωσηφ) ὁ απο Αρ. ; apud Mc. etiam (exc. D) ὁ απο Αρ.: nota artic., per quem ab aliis viris ejusdem nominis distinguitur, gall. *Joseph, celui-là qui était d'Arimathée*. Fortasse etiam hanc vim habet articulus, praesertim si ante nomen Ιωσηφ legatur, ut virum illum jam aliunde notum sistat. Et certe, cum Joannes scribebat, historiam sepelitionis jam probe sciebant christiani. Quod autem ad Mc. attinet, ipse post M., ubi res narratur, librum vulgavit. Animadverte aliter scribere Matthaeum : *venit quidam homo dives* (absque art.) *ab Arimathaea, nomine Joseph*.

L. Et re quidem vera se **bonum** et pium ostendit duplici praesertim facto : 1° quando ex amore et veneratione erga Jesum accessit ad Pilatum ; qua in re *audacter* Mc. egit, haud exiguo periculo se offerens per hoc ipsum quod populi odium collegarumque invidiam excitaret, cum viri, cui tot tantaque crimina imposita fuerant, discipulum aut fautorem se proderet. 2° Insignem rursum ostendit pietatem in sepelitione Jesu, de qua infra. Se autem **justum** demonstravit, quando consilio et actibus aliorum Synedristarum acquiescere noluit, atque adeo nullam in morte Jesu partem habuit.

Non solum erat vir *bonus* et *justus*, sed **discipulus Jesu** M., J., *occultus* tamen *propter metum Judaeorum* J.; et qua discipulus *exspectabat et ipse regnum Dei* Mc., L. a Messia restituendum. Conj. *et* in verbis *et ipse* sign. ipse sicut mulieres et alii discipuli Jesu stantes in vicinia crucis, de quibus Mc. et praesertim L. statim antea locuti fuerant. Minus obvium est quod ait Fillion *Evang. de s. Marc :* ipse sicut Simeon et Anna aliique Judaei fide repleti.

Trahit Jesus crucifixus. Vide quantum mutatus sit vir ille, qui antea Jesu discipulum se fateri non auderet ! Hic fructus est passionis et mortis Jesu : sicut centurionem aliosque, ita etiam hunc efficienter traxit Servator in cruce exaltatus. Simile quid factum est, quod ad Nicodemum attinet, ut mox videbimus.

B. Corpus Jesu deponitur et sepelitur.

Praeced. vide ante q. 933.

M. 27, 59. Et accepto corpore, Joseph involvit illud in sindone munda : 60 et posuit illud in monumento novo, quod exciderat in petra. Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti et abiit. 61 Erat autem ibi Maria etc. *Ante q. 944.*

Praeced. ante q. 933.

L. 23, 53. Et depositum involvit sindone, et posuit eum in monumento exciso, in quo nondum quisquam positus fuerat.

54 Et dies erat parasceves, et sabbatum illucescebat. 55 Subsecutae autem mulieres etc. *Ante q. 944.*

Praeced. ante q. 933.

M. 15, 46. Joseph autem mercatus sindonem, et deponens eum involvit sindone, et posuit eum in monumento, quod erat excisum de petra, et advolvit lapidem ad ostium monumenti. 47 Maria autem etc. *Ante q. 944.*

Praeced. ante q. 933.

J. 19, 38... Venit ergo, et tulit corpus Jesu. 39 Venit autem et Nicodemus, qui venerat ad Jesum nocte primum, ferens mixturam myrrhae et aloës, quasi libras centum. 40 Acceperunt ergo corpus Jesu, et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Judaeis sepelire. 41 Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus : et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat. 42 Ibi ergo propter Parasceven Judaeorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum. 20, 1. Una autem sabbati etc. *Ante q. 951.*

Q. 935. Quid fecit Joseph post obtentum corpus Jesu ?

Statim se accinxit ad illud de cruce deponendum et sepeliendum. Ideo mercatus est sindonem, qua corpus involveret, et venit ad Golgotha, puta cum quibusdam ministris seu famulis ; postquam, ut verisimile est, Nicodemum, amicum certe suum, secum assumpsisset, testante J.: *Venit autem* ad crucem *et Nicodemus... ferens mixturam myrrhae et aloes*. Deinde cum viro illo corpus Christi de cruce deposuit, ad funus composuit, et tandem sepelivit.

De tribus ultimis factis jam singillatim disputandum est.

a. De cruce tollitur corpus Jesu.

Q. 936. 1° Qua diei hora, et 2° a quibus de cruce ablatum fuit corpus Jesu ?

R. ad 1m. Hora in Evang. non notatur ; sed satis accurate definiri potest, ex eo quod Joseph ad Pilatum accessisse dicatur *cum sero factum esset*, circa horam nostram 4m post meridiem (cf. q. 933). Quae deinde intervenerunt tantum temporis spatium requirere videntur, ut hora circiter 5a esse debuit, quando Jesus de cruce depositus fuit.

R. ad 2m. Id fecit Joseph, a famulis certe nonnullis adjutus ; et, ut probabiliter ex J. colligitur, etiam Nicodemus in hoc negotio ei se consociavit. Num s. Joannes quoque, num quaedam ex mulieribus cruci adstantibus, operam contulerint, certo non novimus, quamquam id haud improbabile est, utpote quod in tali casu satis obvium videatur.

Pro pictoribus. B. autem Mariam V. corpus filii e cruce detractum in genua sua excepisse, facile etiam crediderim, etsi tamen in Evang. non habeatur : et sane id effingere, non licitum tantum, sed et pium et utile ducimus, cum Mol. *Hist. s. imag.* 4, 12 ; quippe quod natum sit mentem nostram per res et imagines corporeas ad spiritualium rerum intelligentiam attollere. Ceterum, ut apte notat ib. Molanus, corpus Jesu de cruce depositum absque omni plaga et livore pingendum non est ; neque etiam decet ut Magdalenae nimia erga corpus exanime amoris demonstratio concedatur.

b. Ad funus componitur corpus Jesu.

Q. 937. Antequam de facto illo tractemus cum Evangelistis, petimus utrum et quare **conveniens** fuerit Jesum sepeliri (s. Th. 3, 51, 1).

Quare voluit Christus sepeliri ?

1° Servator hac in re, quemadmodum in omnibus fere aliis quae ad corporalem vitae mortalis modum spectabant, Judaeorum, popularium suorum, moribus sese accommodare sapienter voluit. Etenim, a multis jam seculis, in isto populo constans vigebat consuetudo mortuos *sepeliendi*, non autem eos *comburendi* (ut faciebant Graeci, et interdum Romani a tempore Syllae) : teste Tac. *Hist.* 5, 5 ubi de Judaeis loquitur : « Corpora condere quam cremare, e more Aegyptio, eademque cura, et de infernis persuasio. »

Raro comburebatur cadaver apud Judaeos. Refertur 1 Reg. 31, 12 cadavera Saulis et filiorum ejus combusta fuisse propter necessitatem hostiumque timorem : ossa tamen ex igne relicta sepulta sunt, v. 13. Sunt qui putent idem factum fuisse Am. 6, 10, quum vocem hebraeam מְסָרְפוֹ vertant *combustor ejus* et intelligant de cadaveris combustore (sicut Vulg. *comburet eum*) : sed alii explicant de odoramentis in funere combustis, quod fieri solebat, Jos. *B. J.* 1, 33, 9 ; 2 Par. 16, 14 ; 21, 19 ; Jer. 34, 5 (hebr.). Atqui haec ultima interpretatio probabilior ideo est, quod nonnisi in aggravationem poenae capitalis cadavera comburerentur, Lev. 20, 14 ; 21, 9 (sensum horum tradam in q. 1177).

Igitur sepeliebantur Judaei religiosissime ; unde et illud reputabatur insigne **pietatis opus**, Tob. 1, 21 ; 2, 8 : quod sibi negari noluit Christus, quia tempus opprobrii transactum erat, ut nunc dicemus.

2° Admodum decebat ut Jesus, cum semel mortem summamque crucis ignominiam passus fuisset, deinceps nullam aut contumeliam aut injuriam subiret, sed potius omni honore et gloria decoraretur ; quod quidem supra jam notavimus, q. 901 (1). Jam vero, ubique fere gentium, atque omni retro aetate, imprimis vero apud Judaeos, dedecus habitum fuit maximum, necnon et infortunium acerbissimum, carere sepultura ; unde corpus avibus coeli, ut corvis et vulturibus, ferisque terrae, praesertim canibus et *schakalibus*, vorandum relinqueretur. Ps. 78, 2 *Posuerunt* (Gentes) *morticina servorum tuorum* [Deo loquitur] *escas volatilibus coeli ; carnes sanctorum bestiis terrae... Non erat qui sepeliret !* Cf. etiam 3 Reg. 13, 22 ; 14, 11 ; 16, 4 ; 21, 24 ; Jer. 7, 33 ; 8, 2 ; 9, 22 ; 14, 16 ; 16, 4 ; 25, 33 ; Ez. 29, 5 etc.

Atque hae sunt primae sane et principes rationes *convenientiae :* aliàs vero addit s. Thomas, sc. sequentes :

3° Per sepulturam veram Jesu mortem, adeoque et certam ejus resurrectionem magis magisque comprobari.

4° Christum de sepulcro surgentem spem resurrectionis iis qui sunt in sepulcro augere ;

Et 5° (ratio mystica) spiritualem hominis sepulturam in Baptismo figurari, Rom. 6, 4 *Consepulti sumus cum Christo.*

Igitur divina Providentia ordinavit ut Jesus in sepulcrum conderetur, et ad ipsius honorem, et nostri gratia, tum ad fidem, quum ad spem et caritatem (sanctitatem) nobis magis ingerendam.

---

(1) **Ultima contumelia.** Lanceae ictus, post mortem Jesu illatus, fuit quidem contumelia quaedam ultima, sed haec ipsa statim in gloriam et honorem conversa fuit, cum per mirabile prodigium sanguis et aqua e vulnere profluxerint.

His praemissis, ex Evang. discamus quo modo peracta fuerit Servatoris sepultura : facile animadvertemus, non tantum in ipsa re, sed etiam in modo rei, convenientiae et sapientiae oeconomiam reperiri.

Corpus honorifice ad sepulturam praeparatur.

Notae praeviae.

Quare Matthaeus hoc praetermiserit. M. nihil omnino commemorat de uncto, vel aromatibus resperso et condito corpore Jesu, ne quidem de mulierum mente et consilio ungendi illud : supra 26, 12 retulit tantum Jesum dixisse unctionem a Maria Bethanica inter convivium factam ad sepulturam suam profuturam esse : *Mittens haec unguentum hoc in corpus meum, ad sepeliendum me fecit.* Sed inde concludendum non est, cum Rationalistis (Strauss, De Wette), Matthaeum de conditura corporis nihil novisse ; potius opiner ipsum hac de re nihil scripsisse, quia solita erat et per se supplenda.

Nec silentium Mc. et L. nos offendere debet. Mc. vero et L. de ungendo Jesu loquuntur quidem, nimirum de mulieribus hunc in finem aromata comparantibus, atque cum eis die dominico mane ad sepulcrum properantibus : verum, tacent omnino de iis quae Josephus et Nicodemus ut corpus ad funus componerent peregerunt ; quod tamen nos offendere non debet, quum satis compertum sit mentem Evangelistis haudquaquam fuisse ut singuli plenam completamque rerum omnium ordinarent historiam.

Ergo, ex solo J. solvitur quaestio seq.

Q. 938. 1° Quinam et 2° quo modo corpus Jesu ad sepulturam praeparaverunt ? 3° Quem in finem Judaei cadavera **aromatibus** condiebant ? 4° Quaenam aromata fuerunt adhibita pro Jesu ?

R. ad 1m. Id fecerunt duo viri venerabilissimi, Joseph ab Arim., de quo q. 934, et Nicodemus quem oportet nunc notum facere.

Quis et qualis Nicodemus.

Nicodemus ille, de quo solus J. mentionem facit, idem est qui *noctu*, adeoque *secreto*, ob timorem Judaeorum, ab Jesum venerat, pulcherrimamque novae doctrinae expositionem ab eo acceperat, J. 3, 1. Hic autem videtur tunc factus esse discipulus Jesu (sed occultus sicut Joseph) : quod confirmatur ex eo quod Jesum

coram Judaeorum senatu defendit, J. 7, 50. Ex hoc etiam colligimus ipsum fuisse Synedrii judicem, sicut Josephum; atque ideo J. 3, 1 vocatur *princeps Judaeorum*. Sectae autem Pharisaeorum adscriptus erat J. 3, 1; et, quod spectat ad munus ejus, erat Scriba seu legisperitus J. 3, 10 *Tu es magister in Israel et haec ignoras?* graece ὁ διδασκαλος vis art. non videtur esse: magister omnium princeps, magister κατ'εξοχην, ut vult *Winer. *Gramm.*, et post ipsum Beel. *Gramm.*, vel magister ille omnibus notus et singulariter honoratus, ut putat *Meyer; potius indicat tantum genus personarum, gall. *vous êtes de ceux qui sont, ou qui se disent* LES *maîtres*, LES *docteurs en Israël*.

Indoles timida. Notatu dignum est, Nicodemum se Jesu addictum palam ostendisse tunc tantum cum alius quidam, ejusdem dignitatis et conditionis vir, sc. Joseph Arim., sanctae audaciae exemplum dederat. Indolem nobili candore ingenuaque caritate praeclaram, timidam tamen et haesitantem, prae se fert vir ille religiosissimus. Non obvius est sensus eorum qui in bonam partem explicare volunt ejus haesitationem, sicut in Dict. Wetz. *u.* Welte. *Senem* fuisse multi concludunt ex J. 3, 4 *Quomodo potest homo nasci cum sit senex?* aliis tamen id merito negantibus: nihil enim probat Nicodemum cum haec diceret ad semet ipsum attendisse.

Quid censendum de Ev. Nicodemi. Valde incerta sunt quae de cetera ejus historia traduntur; nec satis constat eumdem esse de quo tam saepe loquitur Talmud sub nomine *Nicodemi Ben-Gorion*. Inter libros N. T. apocryphos seu pseudo-epigraphos habetur *Evang. Nicodemi*, in quo Passio et Resurrectio Christi et Descensus ejus ad inferos narrantur (cf. *Fabric. *Cod. Apocr.*, et melius *Thilo *Cod. Apocr.*; Wetz. *u.* Welte. *Dict. encycl.* a. *Apocr.*). Auctor libri contendit se vixisse sub Theodosio, et reperisse illam historiam hebraice conscriptam, eamque graece reddidisse. Seculo tantum 13° notum factum est illud pseudo-Evang., quod in quibusd. cod. vocatur *Acta Pilati*. De cetero magni pretii non est.

Opinio quorumdam historice non demonstrata. Fertur Nicodemum fuisse sculptorem, statuamque Christi ejus manu confectam, e ligno cedrino, Lucae in Italia existere: quam quidem imaginem nonnulli autumant eamdem esse ac famosam illam **Berytanam**, de qua Pseudo-Athan. scribit, quae, cum a Judaeis conspueretur ac confoderetur, sanguinem per miraculum emisit (Wetz. *u.* Welte, a. *Christ*, images du Christ).

Ac de Nicodemo quidem satis dictum est: jamque eo unde digressa est nostra tractatio redeat, ac reliquam partem quaestionis 938 exsequatur oportet.

R. ad 2m. Isti duo *acceperunt corpus Jesu* J., postquam illud de cruce detraxerant, et portantes illud in hortum Josephi prope Golgotha, ubi erat spelunca in quam sepelire volebant, posuerunt super magnum lapidem (ut fert traditio), qui sub nomine **lapidis unctionis** in Ecclesia s. Sepulcri Jerosolymis hodiedum colitur (cf. infra, q. 1194). Dubium non est, quamvis illud reticeat Evangelium, ante omnia corpus Jesu lotum sanguineque abstersum fuisse: sic Act. 9, 37 Tabitha post mortem lavatur. Deinde **sin-**

done (1) **munda** i. e. nondum adhibita seu nova, quam certe Joseph in hunc finem, statim antea, cum a praetorio in Golgotha rediret, in aliqua urbis taberna vestiaria emerat, illud **involverunt**: ita M.; Mc. quoque et L. loquuntur de *sindone* corpus *involvente*. Sed J. dicit: *ligaverunt illud linteis cum aromatibus*, i. e. praelongis institis seu fasciis quae oleo aromatibus permixto imbutae erant; vel potius, ut alii censent, quae mistura aromatum pulverulenta erant respersae. Addit autem J.: *sicut mos est Judaeis sepelire*. De apparente illa repugnantia agemus q. 939.

Nota Nicodemum secum attulisse *mixturam myrrhae et aloes* J. De isto aromate ad condienda cadavera, vel saltem ad ea odoribus inficienda, aptissimo, fusius aliquantulum dicendum videtur.

Sed antea non possum quin dubium quoddam proponam de fine in quem apud Judaeos **aromata** in sepulturae praeparatione adhiberentur.

Quem in finem Judaei cadavera aromatibus condirent.

R. ad 3m. Mens ipsis, ut puto, et ut tenet etiam Fouard *Vie de J.*, non fuerit *cadaver a corruptione immune servare*, quod opinatur s. Th. 3, 51, 2; probe enim scire debebant ad hoc non sufficere ut corpus externis unguentis delibuatur aut pulverulentis aromatibus respergatur, verum omnino necesse esse ut alia adhibeantur subsidia et artes (*Win. a. *Einbalsamiren*; *Smith, *Dict.* a. *Embalming*), v. gr. ut corpus aperiatur, atque ex eo viscera et intestina auferantur, deindeque intus aromata ingerantur quam plurima: hoc est quod Tacitus ait: *corpus differtum odoribus condire* (2). Hoc quidem solemne erat AEgyptiis, non autem Judaeis (3), saltem Christi aetate. Ideo etiam Maria de Lazaro J. 11, 39: *Jam foetet*, ait, *quatriduanus est enim:* valde tamen verisimile est, corpus ejus, quod fasciis funebribus obvolutum fuerat, etiam unguento linitum aut aromatibus conspersum fuisse; neque

---

(1) Sindon illa erat magnum linteum (gall. *linceul*) quod vix differebat a linteis quibus lectos nostros sternimus (fl. *slaaplaken*), nisi quod esset levius et subtilius, ideoque et pretiosius: cf. q. 732 in nota.

(2) **Cadavera a corruptione servata.** Si partes corporis interiores, quae molles sunt et liquidae, non tollantur, fermentatio et proinde corruptio mox orietur, ut satis compertum est: nisi materiae chemicae, ut nitrum etc. adhibeantur aut injiciantur; vel nisi locus, in quo sepelitur mortuus, specialem quamdam vim habeat siccandi corpora; quod interdum evenire docet experientia. Sufficiet certe in memoriam revocare celeberrimum coemeterium PP. Capucinorum Romae. Hujusmodi cadavera siccata, et a multo tempore conservata, egomet ipse conspexi sub turri ecclesiae s. Michaëlis, Burdigalae in Gallia.

(3) **AEgyptio more conditi Jacob et Joseph.** Si tali modo condita fuerunt corpora Jacob Gen. 50, 2 et 3 et Joseph ib. 25, hoc ideo sane factum est quod in AEgypto mortui essent viri isti, quodque honorificentissime sicut magnates istius regionis, sepulti fuerint: praeterea, quod attinet ad corpus Jacob, oportebat illud integrum custodire usquedum in suum sepulcrum in Palaestina fuisset transportatum. Singulare factum, de cadavere per mel a corruptione servatum, refertur ap. Jos. *Ant.* 14, 7, 4: « Mellis natura est, ait Plin. 22, 50, ut corpora non sinat putrescere. »

enim facile nobis in animum inducimus, in viro illo, qui dives erat amplissimoque natus loco, istud neglectum et praetermissum fuisse. Quae quum ita sint, nonne potius dicendum pollincturam cadaveris apud Judaeos in usu fuisse propter decorem honestatemque funeris, quem in finem etiam aromata comburebantur, hac tantum addita spe fore ut corruptio paululum retardari posset?

Resp. ad 4^m membr. quaestionis 938. — His obiter notatis, jam distincte explicandum quaenam aromata in sepeliendo Jesu adhibita fuerint.

Mixtura myrrhae et aloes.

Myrrha autem σμυρνα, aeolice μυῤῥα, genus est aromatis celeberrimi et optimi, quo valde delectabantur veteres, quodque ex arbore quadam Arabiae (quae vocatur *balsamodendron myrrha*, cf. *Winer, *Realwb.*, *Myrrhe*) colligitur (Magi *myrrham* offerentes M. 2, 11, erant verisimiliter ex Arabia); succus nempe istius arboris vel sponte exsudat, vel incisione facta profluit, sub forma guttularum seu lacrymarum, et paulatim indurescit. Eo utebantur veteres ad unguenta et odoramenta et suffitus, unde dicitur Eccli. 24, 20 *Quasi myrrha electa dedi suavitatem odoris*; ideo, tamquam aromate pretioso, oleum sanctissimum partim ex eo compositum erat, Ex. 30, 23; incendebatur (simul cum thure) pro suavi thymiamate, Cant. 3, 6; eo respergebantur vestes (simul cum aloe) Ps. 44, 9 (coll. hebraeo), et cubilia Prov. 7, 17 (simul cum aloe); quandoque vino adjungebatur Mc. 15, 23; cum eo etiam fiebant unctiones Cant. 5, 5 et Esth. 2, 12 (de myrrha fluida pro unguentis Plin. *Hist. nat.* 21, 18; de variis myrrhae speciebus idem 12, 15 sqq.). Praeterea adhibebatur in condiendis mortuorum corporibus, teste Herodoto 2, 68.

Aloe vero, αλοη (αγαλλοχον, postea ξυλαλοη, gall. *Bois d'aigle*, flandr. *Paradyshout)*, est hic lignum pretiosum (ab *aloe* herba probe discernendum), ex Arabia et India etc., quod propter amoenum odorem et vim aromatis olim jam ad thymiamata (Num. 24, 6 in hebr.; Prov. 7, 17; Ps. 44, 9 in hebr.; Cant. 4, 14), et ad condienda cadavera, praesertim apud Aegyptios, in usu erat (cf. *Winer, a. *Aloe*).

Lignum illud, sicut et gummi myrrhae, in pulverem contritum fuerat; utrumque vero fuerat inter se commixtum: et haec erat **mixtura** quam attulerat Nicodemus. Sunt qui putent mixturam illam fuisse liquidam, oleo quodam odorifero perfusam; sed probabilius sicca et pulverulenta erat. Tanta autem erat aromatum copia ut **quasi librae centum** essent J.

Quare copia tam magna aromatum. Dives etiam sicut Joseph erat certe vir ille, atque insignem ostendit pietatem erga Jesum, cum tam munifice hac in re se gessit. Verum quidem est, ad pollingendum corpus Jesu myrrhae et aloes vim adeo magnam haudquaquam necessariam fuisse; sed Nicodemus parce non egit, atque adeo non tantum corpus et sindonem et fascias omnes (quae multae longissimaeque fuisse videntur, ut statim dicemus) aromate illo aspersit et cooperuit, verum etiam totum lectum in quo corpus deponendum erat. Dein, haud improbabile est partem quamdam combustam fuisse, ad bonos odores in sepulcro spargendos: sic

2 Par. 16, 14 narratur in funere Asae regis super cadaver ejus aromata fuisse igne incensa. Judaei solebant in funebribus expensis et officiis liberales esse : ex. c. 500 servi vel liberti, aromata portantes, funus Herodis comitati sunt (Jos., *Antiq.* 17, 8, 3).

His praemissis, narrationem Evangelicam, de corpore Jesu ad sepulturam componendo, jam repetamus, ut eam plenius illustremus.

Ligaverunt corpus linteis cum aromatibus, J. Per **lintea** (ὀθονια, diminut. ab ὀθονη, ergo *linteola*, *lintea minora*) intelligi videtur distinctum quid a *sindone*, de qua loquuntur Synoptici (cf. q. seq.), sc. institae praelongae seu fasciae funebres, quibus corpus defuncti ligabatur. Membra autem in hunc modum constringi fasciisque obvolvi solebant, ut brachia essent utrique lateri corporis applicata et pedes ambo conjuncti. Porro videtur morem fuisse Judaeorum, ingentem linteorum fasciarumque vim adhibere, quemadmodum certo novimus id solemne fuisse Aegyptiis (*témoins les fameuses Momies, avec leurs nombreuses et interminables bandelettes*). Tandem *caput* Jesu linteamine seu *sudario* obtexerunt (J. 20, 7 *quod erat super caput ejus*) vel forte involverunt.

Tali igitur modo, secundum sententiam, quae probabilior nobis videtur, corpus ad sepulturam composuerunt : quo in negotio testatur J. eos egisse *sicut mos erat Judaeis sepelire*, gr. ενταφιαζειν, quod differt a θαπτειν *sepelire*, et significat **pollingere corpus,** ad sepulturam parare, ad funus componere, ornamentis funebribus ornare, etc. Cf. J. 11, 44, ubi de Lazaro ad vitam revocato sermo fit.

De funeribus Judaeorum cf. Calmet. in *Dissert. spec.* ; *Win., a. *Leich.*, *Gräb.*, *Begraben* (ubi multae indicantur diss. spec.); *Smith, *Dict.* a. *Burial*, *Tombs*.

Synoptici cum Joanne non pugnant.

Ex J. *Sicut mos est Judaeis sepelire*, seu *corpus ad funus componere*, nascitur difficultas, in quam nunc incidimus.

Q. 939. Synoptici dicunt corpus Jesu **sindone** *involutum* fuisse, J. autem scribit illud *fasciis ligatum* fuisse, secundum morem quem Judaei in praeparando funere servabant. Atqui, mos ille non videtur fuisse ut sindon a fasciis distincta adhiberetur : nam in narratione de Lazaro sepulto J. 11, 44, tantum mentio fit de *institis* seu fasciis.

R. Sunt qui putent (Berg. *Dict.* Suaire) sindonem fuisse discissam in fascias ; alii (Bisp.) idem intelligunt per *sindonem* et per *fascias*, adeo ut J. distinctius exposuerit id quod alii generatim dixerant, sc. corpus involutum fuisse sindone. Ita etiam quidam Schmidt, contra quem strenue asserit Ben. XIV *De festis*, in fer. 6, n. 134 sindonem aliam esse a fascia vel a fasciis, eique auctori exprobrat mentem ipsi fuisse minuendi fidem Taurinensis sindonis (de qua s. Reliquia vide infra, q. 1207). Et merito quidem illam interpretationem rejicit : durum enim videtur, et pro libitu arbitrioque excogitatum, sumere vocem **sindonem** eodem sensu ac **fascias** illas funebres : atque ideo puto utrumque admittendum esse, sc. corpus fuisse fasciis ligatum et deinde sindone involutum.

SINDON ET FASCIAE IN SEPULTURA NON SE MUTUO EXCLUDUNT.

Sed, aiunt, in historia Lazari de **sindone** nulla fit mentio. Sit sane ita, certum tamen non est eam defuisse : nam forsitan fasciis ligatum fuit corpus, et deinde involutum sindone, quemadmodum, opinamur factum fuisse in Christo. Praeterea, etiamsi dicamus in Lazaro non sindonem, sed solas fascias adhibitas fuisse, hoc, secundum quorumdam opinionem, singulare quid in isto casu fuit, quemadmodum insolitum fuit, aiunt, quod corpus ejus neque aromatibus conditum neque unguento praelibutum, ne putresceret, fuisse videatur, ob causam nobis prorsus ignotam. Hoc autem ultimum plane dubium reputem ego, ut supra dixi, propterea quod aromata exterius adjecta vim non habeant impediendi corruptionem.

DIFFICULTAS TAMEN EST IN LAZARO E SEPULCRO PRODEUNTE.

Etenim, si corpus Lazari **fasciis ligatum** fuerit, adeo ut brachia essent lateri utrique applicata et pedes seu crura simul ligata, quomodo ad jussum Jesu *Veni foras !* potuit ille e sepulcro *prodire, exire* (εξηλθεν) ?

Sunt qui sumant εξηλθεν hoc sensu *exire volebat, nitebatur* (*Kuin.) : sed isti vim verbis apertam inferunt. Vere *exiit :* qua in re multi vident **miraculum** ; s. Bas. *Hom. de gr. act.* (Migne III, 227) : « Jam mortuus (Lazarus) revocabatur ad vitam ; jam alligatus « ambulabat. Inest **miraculum in miraculo.** Pedes ligabantur

« institis, nec tamen a motu prohibebatur. Etenim aderat vis « quaedam obice major. » Ita etiam s. Chrys. et Euthym., *Lightf. Et certe obvium est de portento cogitare, praesertim si legamus cum Vulg. *et statim prodiit* etc.; verum *statim* est glossema : quam quidem vocem si deleamus, possumus, secundum quorumdam conjecturam (*Hengstenb.), ponere crura satis laxe colligata, vel saltem vincula inter nitendum laxata aliquantulum fuisse, adeo ut Lazarus, post nonnullos conatus, extra cubiculum interius, in quo erat loculus mortui, potuerit quoquo modo progredi : sed hoc vix mente concipitur, si totum corpus, binis junctis cruribus, brachiisque lateri applicatis, fasciis involutum esset. Ob eamque causam alii (Bisp., *De Wette) censent membra singula separatim fasciis obvoluta fuisse, quemadmodum aliquando res se habet in *momies* Aegyptiacis.

Sed quid tunc **sindon ?** oportet dicere eam fuisse super fascias revolutam ; quod supervacaneum et inutile videtur.

Conclusio est, manere aliquam difficultatem quam doctioribus commendo.

Q. 940. Tandem et hoc a nonnullis quaeritur : Quare aromatibus conditum fuit corpus Jesu, quum cadaveris corruptio timenda non esset ?

R. Secundum sententiam s. Chrys. *in Joan.*, istud factum fuit quia viri illi Jesum adhuc pro homine tantum habebant : quamvis autem, addit, non magnum quidpiam de illo sentirent, multum tamen amorem prae se ferebant. — Vel responderi potest, inspectis iis quae supra notavi, non tam ad impediendam corruptionem, quam honoris causa, adhibita fuisse aromata.

c. Sepelitur Jesus (text. Evang. p. 1196).

Omnia et singula quae ad factum illud pertinent, methodice reducuntur ad 6 puncta quae indicantur in q. seq.

Q. 941. Compendium analyticum. 1° Quinam Jesum sepelierunt ? 2° Quare nemo ex Apostolis ? 3° Qua ratione et 4° quo loco id factum est ? 5° Sepulcrum describe illudque a nostris valde diversum esse ostende. 6° An Isaias de sepulcro Messiae vaticinatus est ? — Pro duobus ultimis punctis quaestiones speciales ponemus.

R. ad 1m. Vide q. 938. Nota morem fuisse ut, cum filii aut parentes non adessent, cura sepulturae a cognatis aut amicis assumeretur.

R. ad 2m. (Ex s. Chrys., *in Joan.*) Non ideo quod Judaeos timerent, nam neque Joseph nec Nicodemus (J. 19, 38 *discipulus Jesu occultus ob metum Judaeorum*) prorsus alieni erant a metu ; deinde Joannes, qui cruci adstiterat, nulla certe tenebatur formidine. Vera autem ratio erat, viros illos fuisse ex insignioribus, ut funeris sumptus probant, eorumque alterum (Joseph) Pilato forsitan notum fuisse. De cetero, hac in re divinae ordinationem **Providentiae** etiam videmus, quia « Si Apostoli sepelissent, ait « s. Ambr. *in. Luc* l. 10, n. 136, dicerent utique Judaei non sepul- « tum, quem sepultum raptum esse dixerunt. »

R. ad 3m. Corpus ad funus praeparatum, eo nempe modo quo diximus supra q. 938, in sepulcro sub concava petrae testitudine positum fuit, nulla inclusum sandapila aut cista *(cercueil) ;* neque humo coopertum fuit, ut fit apud nos. Pauperes quidem et plebeii more nostro in fossa sepeliebantur, sed divites et magnates in speluncis et ὑπογαιοις, seu *monumentis*, de quibus statim dicemus.

R. ad 4m. *In loco autem ubi crucifixus est*, juxta Calvariam, (1) *erat hortus* J., cujus dominus erat Joseph (2), *et in* illo *horto* erat *monumentum* (3) *novum in quo nondum quisquam positus fuerat* J., quod Joseph sibi et sane familiae suae *(in monumento suo* M.) *in petra* (M. εν τῃ πετρᾳ, articulus indicat rupem quae in eo loco erat) excidere fecerat (4). Cum autem fere transactus esset dies *parasceves*, seu *praeparationis* (a gr. παρα et σκευη, a σκευαζω *praeparare)*, nempe

(1) Ergo **extra urbem** erat Jesu sepulcrum, ut solebat fieri apud Judaeos, et apud omnes fere populos Orientales (etiam hodiedum), necnon apud Graecos et Romanos. Exceptio tamen interdum occurrit pro regibus (3 Reg. 2, 10; 16, 6; 4 Reg. 10, 35 ; 13, 9; 2 Par. 16, 14; 28, 27) et Prophetis (1 Reg. 25, 1 ; 28, 3). Cum autem quidam dicuntur in *domo sua* sepulti (3 Reg. 2, 34; 2 Par. 33, 20), hoc de horto contiguo intelligendum videtur.

(2) **Mystica ratio.** Hortus ille, ubi Christus sepultus fuit, et ubi gloriose rediit ad vitam novam perfectamque, secundum s. Ambros. (*in Luc.* l. 10, n. 139) figura fuit Ecclesiae, « quae diversorum habet poma meritorum, floresque virtutum », in qua christiani sepeliuntur per Baptismum, et novam vitam gratiae recipiunt. Porro idem hortus, quum finem dederit historiae Passionis dominicae, e diametro oppositus erat horto Olivarum (hic ad orientem urbis, ille ad occidentem situs erat), ubi Jesu cruciatus exordium ceperunt : hic enim campus fuit luctationis et summi angoris, locus tristitiae et timoris ; ille vero sedes requiei et triumphi, paradisus laetitiae et gloriae. Si ambo simul sumantur, antitheton quoddam signant mirabile comparate ad hortum proto-parentum : hic enim vidit hominis culpam et casum, illi vero hominis expiationem et instaurationem.

(3) Sepulcrum a loco crucifixionis 45 metris distat, *du côté nord-ouest.*

(4) **Judaeorum mores.** Sepulcra, cum id permitteret res familiaris, Judaei sibi (suaeque familiae) jam ante mortem suam praeparare solebant. Coemeteria enim communia solum habebantur

dies ante sabbatum, quo praeparanda erant quaecumque die sabbati necessaria forent; proinde, cum sabbatum in eo esset ut *illucesceret* L., i. e. in eo esset ut inciperet, nempe dies legalis sabbati qui incipiebat ad occasum solis die Veneris (*illucescere* sumitur hic sensu speciali et improprio : nam proprie significat initium diei naturalis ad auroram, ut M. 28, 1 coll. q. 954) ; aliis verbis, cum solis occasus jam prope esset, et paucum maneret tempus quo opus servile perficere liceret : corpus Jesu in illud Josephi monumentum, *quia juxta erat* J., depositum fuit. Si igitur properatione opus non fuisset, Joseph, ut videtur, sepulcrum proprium Christo praeparare fecisset. De cetero, piissime egit cum eum in suum sepulcrum condidit ; hac in re signum erat amicitiae maximae : Gen. 23, 6 (2 Par. 24, 16).

Providentiae ratio in sepulcro Jesu. S. Chrys. autem *in Joan.* videt quamdam Providentiae dispensationem in hoc quod non remotum, sed omnibus obvium, fuerit Christi sepulcrum : tanto enim certius constabat de vera ejus morte et resurrectione. Porro, Servator alienum elegit sepulcrum, ut paupertatis amorem testaretur, sicut in vita suam non habebat domum (Theoph.). De petra autem excisum erat : « Ne, si ex multis lapidibus aedificatum « esset, suffossis tumuli fundamentis (Jesus) ablatus furto diceretur « (s. Hier.). » Etiam ut, inter frequentes urbis subversiones ac mutationes locorum, per tot secula, immobile exstaret et gloriosum (Luc. Br.).

Quare novum. Monumentum autem fuisse *novum*, *in quo nemo antea positus fuerat*, pertinet tum ad honorem Jesu, quum ad resurrectionis fidem, ne alium ad vitam revocatum fuisse causaretur improbitas Judaeorum : ita s. Chrys. *in M.* et *in J.* Cf. etiam s. Hier. ad h. l. Jam antea s. Ambr. *in L.* l. 10, 141 dixerat : « Bene « autem *novo*, ne alius suscitatus a perfidis crederetur. » S. Hier. autem *Ep. ad Pamm.* 48, 21, sepulcrum illud novum, quod in durissima petra excisum fuerat, et in quo neque antea quis nec postea

---

pro pauperibus et peregrinis, 4 Reg. 23, 6 ; Jer. 26, 23 ; M. 27, 7. Divites autem sepulcrum statuebant in suis praediis, praesertim si ibi érat rupes in qua speluncam aperirent : cf. J. 11, 38 de sepulcro Lazari. Libenter eligebant locum amoenum, v. gr. in horto sub arbore, plerumque tamen secus viam magnam, qua multi transibant homines, et libentissime in Templi vel saltem Urbis Sanctae vicinia, et quidem in maxima quae haberi poterat horum propinquitate, sepulturae erant Judaeorum : quae omnia narrationi Evangelicae apte convenire nemo non videt.

positus est, habet tamquam figuram uteri inviolati B. Mariae V.

Q. 942. Sepulcrum Jesu describitur.

Sepulcrum illud non in terram ad perpendiculum descendebat, sicut fossa, sed a latere petrae excavatum erat (gall. *horizontalement*) per modum speluncae (1) : cf. quae de sepulcro Lazari dicuntur J. 11, 38.

An unum erat cubiculum ? Secundum traditionem et formam s. Sepulcri usque ad nostram aetatem conservati, *duplex* erat cubiculum in illa spelunca, quorum prius erat vestibulum, quale saepe reperitur in sepulcris circum Hierosolymam : v. gr. in sepulcro quod *Regum* vocatur, ad septentrionem urbis, habetur vestibulum ex quo patet aditus ad cubicula interiora (quae plurima ibi sunt).

Probabilius tamen est **unum cubiculum** supponi in narratione Evangelica. Beel., Bisp., Fouard, Corluy etc. videntur admisisse *unum* tantum cubiculum, cujus ostium erat satis submissum. Hoc innuit J. 20, 5 *Venit ad monumentum... Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina.* Pariter J. 20, 11 Maria *stans ad monumentum foris*, certe extra speluncam, *inclinavit se et prospexit in monumentum, et vidit duos angelos sedentes unum ad caput et unum ad pedes.* Etiamsi fuisset in priore cubiculo, inclinando se non potuisset videre angelos juxta loculum sedentes, secundum dispositionem hodierni sepulcri ; debuisset caput per ostium protendere. Igitur J. videtur supponere *unum* cubiculum, quod clausum erat per lapidem, adeo ut hic lapis, quando revolutus erat, jaceret extra speluncam. In hac sententia verba Angeli ad mulieres M. 28, 6 *Venite et videte locum ubi positus erat Dominus* sic explicari debent : propius accedite ad loculum corporis, ut illud melius examinetis ; nam apud Mc. et L. supponitur eas jam fuisse in spelunca.

Ista autem sententia de *uno* cubiculo, cui favet J., ut vidimus, non quadrat cum hodierno s. Sepulcro. Certe *loci* authentia inde non evertitur, nam per aedificia ibi constructa spelunca sepulcri primitiva potuit aliquam subiisse mutationem.

Propter venerabilem traditionem, in tota hac parte Commentarii indicabo etiam sensum verborum secundum hypothesin de duplici cubiculo. Quae quidem hypothesis ut melius intelligatur, tradam descriptionem loci sicut hodiedum colitur in Ecclesia s. Sepulcri.

Dispositio actualis sacri sepulcri.

Cubiculum anticum seu vestibulum in monumento Jesu (nunc vocatum *capella Angeli*) quadratum est, habens 3 circiter metra in singulis lateribus. Alterum vero **cubiculum interius** est, ad cujus partem dextram est loculus corporis Jesu (2) : satis spatiosum est (teste Mislin) ut quatuor personae genibus provolutae eo conti-

---

(1) Sunt qui putent Judaeorum monumenta sepulcralia aliquando in profunditate soli excavata fuisse, adeo quidem ut per scalam in illa descenderetur : tale, aiunt, erat sepulcrum, quod fertur fuisse B. Mariae Virginis, quodque prope Hierosolymam, juxta hortum Olivarum, hodiedum conspicitur, et ad quod descenditur nunc per scalam 50 graduum. Sed hoc non est admittendum, nam, teste Misl. 3° vol., sepulcrum illud erat olim in superficie soli, sicut solent sepulcra Judaeorum prope urbem, et per rudera quae in vallem conjecta fuerunt solum circumjacens tantopere elevatum fuit.

(2) Loculus ille ita describitur a Fr. Livino in op. *Guide de la Terre S.* : « C'était, dit-il, un banc creux, disposé en forme d'auge et surmonté d'une petite arcade entièrement coupée dans le rocher... Large de 0,93 centim., et long de $1^{m},89$. »

Nihil contra authentiam s. Sepulcri. Obiter observandum, in monumentis sepulcralibus, quae circum Hierosolymam nostris temporibus conspiciuntur, loculos non in latitudine laterum, sicut

neri possint. Quod quidem Evangelicae congruit narrationi, namque in cubiculo illo speluncae interiore Maria Magd. vidit duos Angelos, sedentes, unum ad caput, alterum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu, J. 20, 12; deinde Joannes et Petrus J. 20, 8, postea vero tres mulieres portantes aromata eo intrare potuerunt, et probabiliter eodem ante eas ingressus est alter e duobus Angelis qui spectandos se obtulerant, adeo quidem ut is locus quatuor personas caperet: cf. q. 956.

Ostium autem sepulcri stricte dicti, i. e. interioris cubiculi, valde submissum est: habet enim altitudinem 3 pedum et 2 pollicum, latitudinem unius pedis et 10 poll.; excisum est in rupe ad profunditatum unius pedis et 7 poll. Illud autem saxo magno, quod advolvebatur ad ostium (*επι την θυραν* Mc., vel *τη θυρᾳ* M.[1], cuique eaedem mensurae ac aditui fuisse videntur, perfecte implebatur et occludebatur (Mc. 16, 3 *quis nobis revolvet lapidem ab ostio monumenti:* vera lectio est *εκ της θυρας*, non *ab ostio*). Vide q. 297 (1).

Ad pleniorem illius descriptionis intelligentiam, oculos conjice in sequentem *ιχνογραφιαν* s. Sepulcri quale Herosolymis colitur.

MONUMENTUM SEPULCRI DOMINICI
rudiore modo delineatum.



---

loculum Jesu, sed in profunditate petrae esse excavatos. Id vero contra s. Sepulcri authentiam objici, non potest: namque ex ipso Evang. constat ita dispositum fuisse loculum Jesu. Ibi enim narratur Magdalenam vidisse duos Angelos, quorum alter ad caput, alter ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu (J. 20, 12), sedebat. De cetero, multae excogitari possunt rationes ob quas Josephus loculum sui sepulcri ita disposuerit: ex. c. fieri potuit ut unum tantum corpus (ipsius domini) vel ad summum duo aut tria ibi sepelienda essent.

(1) **Ostium** autem cubiculi adversi, seu **vestibuli,** in hypothesi de duplici cubiculo, supponitur fuisse **satis magnum** et mansisse apertum, adeo ut quicumque in hortum intraret, eo libere accedere posset. Quod quidem consentaneum est iis quae de speluncis Judaeorum sepulcralibus aliunde novimus: legimus enim M. 8, 28 daemoniacos quosdam saevissimos in monumentis istis refugium quaesiisse; deinde in sepulcris antiquis, quae in circuitu Hierosolymarum nostra memoria existunt, non raro habetur hujusmodi vestibulum, cujus ostium nimis magnum est quam ut advoluto lapide occludi posset. — Haec quidem favent traditioni quae *duplex* cubiculum in sepulcro Jesu admittit: sed ipsa verba Evangelii apud s. Joannem videntur *unicum* supponere cubiculum.

Antequam rerum seriem persequamur, quaedam dicenda sunt de duplici Isaiae oraculo, quod ad Christi sepulturam multi referunt, v. gr. Danko etc.

Q. 943. Isaias de sepulcro Messiae non vaticinatus est.

Primum citatur (v. gr. a s. Th. 3, 51, 2) Is. 11, 10 *Erit sepulcrum ejus* (Messiae, quem statim antea vocat *radicem Jesse) gloriosum:* quasi sensus sit de monumento novo in petra exciso, in quo honestissime sepultus fuit Jesus, quod postmodum per resurrectionem Christi et deinceps per christianorum venerationem omni honore et decore fuit insignitum.

Verum **sensus** hebraei **alius** videtur esse: *Erit requies ejus* (i. e. locus requiei, sedes, habitatio ejus) *gloria* seu gloriosa: sedes regis illius (Messiae), qui erit vexillum ad quod omnes confluent populi, etiam ethnici *(radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur)*, erit gloriosa, propter magnum concursum illorum, qui venient undequaque honorem, et venerationem, et tributum in signum deditionis et obedientiae ei deferre. Contexta autem oratio, ut probat Reinke *Die Mess. Weiss., Jes. 1859*, non permittit ut de **sepulcro** hic cogitemus. Ipsemet s. Hier., qui vertit *sepulcrum*, in *Comm.* explicat verba Isaiae de gloria, quam Messias acquisivit *morte sua*, quaeque praesertim splendebit quando per totum orbem Evang. fuerit propagatum. Quae quidem expositio cum sensu hebraei a nobis tradito sat facile connectitur: mors Christi ideo gloriosa erit, quod per eam fundanda sit Ecclesia, ad quam omnes confluent gentes.

2° Adducitur etiam Is. 53, 9 *Dabit* (Messias) *impios pro sepultura et divitem pro morte sua*, i. e. probabiliter, ut habet Glossa ordin. Hier.: gentes ,quae sine pietate erant, Deo dabit, quia mortuus et sepultus eas acquisivit; ergo sensus est: eas expiabit per mortem suam innocentem: cui favent verba quae statim sequuntur *eo quod iniquitatem non fecerit.* Haec, ut patet, de **sepulcro** Jesu citari non merentur.

Verum, multi hebraeum sic vertunt: (Deus) *dabit*, vel impersonaliter *dabitur, cum impiis* vel *apud impios sepulcrum ejus, et* i. e. *sed* (supple *erit*) *cum divite* vel *apud divitem in morte sua*, i. e. post mortem suam. Quod sic explicant: Deus constituet ut sepulcrum Messiae sit cum maleficis, i. e. constituere videbitur, permittere videbitur, vel impers. *statuetur* a Judaeis, ut cadaver ejus in communem damnatorum fossam projiciatur; sed cum divite Josepho Arimathaeensi erit post mortem suam, i. e. in ejus sepulcro erit. Quam quidem interpretationem fuse demonstrare conatur Reinke *Exeges. crit. in Is. 52, 13-53, 12*, ed. 1836. Multa tamen in ea sunt quae vim verbis inferant.

De cetero, tam obscura sunt ista, ut ea tamquam **verum oraculum** de Jesu sepulcro laudare nolim.

C. Mulieres sepulturam Jesu spectant.

Praeced. vide ante q. 935.

M. 27, 61. Erat autem ibi Maria Magdalene, et altera Maria, sedentes contra sepulcrum. 62 Altera autem die etc. *Ante q. 946.*

Praeced. ante q. 935.

Mc. 15, 47. Maria autem Magdalena, et Maria Joseph, aspiciebant ubi poneretur. 16, 1. Et cum transisset etc. *Ante q. 951.*

Praeced. ante q. 935.

L. 23, 55. Subsecutae autem mulieres, quae cum eo venerant de Galilaea, viderunt monumentum, et quemadmodum positum erat corpus ejus.

56 Et revertentes paraverunt aromata, et unguenta: et sabbato quidem siluerunt secundum mandatum. 24, 1. Una autem sabbati etc. *Ante q. 951.*

Q. 944. 1° Quid fecerunt mulieres quaedam sanctae, dum Jesus sepeliebatur? 2° Explica quaenam fuerit earum mens.

R. ad 1m. *Mulieres, quae cum Jesu venerant de Galilaea* L., nempe saltem *Maria Magd. et altera Maria* M., sc. Maria Cleophae, quae mater erat Josephi seu Josis (ideo Mc. *Maria Joseph*) et Jacobi Minoris (dico *saltem,* quia L. innuit plures quam duas fuisse mulieres), *subsecutae sunt* eos qui corpus Jesu in hortum et in sepulcrum transtulerunt, *et sederunt contra sepulcrum* M.; inde *aspiciebant ubi* corpus *poneretur* Mc., ergo viderunt viros illos, qui sepelitioni operam dabant, intrantes in speluncam et eo introducentes corpus Jesu.

Haec dicuntur secundum lectionem Mc. τιθεται, quam Vulgata sequitur *(poneretur)* cum EGKMSUVT; quae quidem lectio pro certo ponit eas prope adfuisse dum sepeliebatur, i. e. dum in loculum suum portabatur: et hoc bene quadrat cum imperf. εθεωρουν, *aspiciebant.* Alia vero lectio, quam tenet Tisch. 7a ed., cum ABCDLΔ, goth., copt., habet praet. τεθειται, *ubi positus fuerat:* ex quo concludendum esset, eas tam prope non adfuisse, dum viri sepeliebant Jesum; sed post peractam operam accessisse, atque in speluncam intrasse (usque in cubiculum interius, si admittantur duo cubicula), ut viderent *ubi* corpus positum fuisset, et non tantum *ubinam*, sed, ut addit L., *quo modo* positum ibi fuisset, πως ετεθη: inde forsitan colligere possumus eas, antequam lapis advolveretur, per momenta quaedam huc intrasse et loculum corporis conspexisse. Hoc autem non improbabile videbitur ei qui recogitabit mulieres istas a Nicodemo et Josepho Arim. certe cognitas fuisse.

Utut ista sint, mulieres **sedebant contra sepulcrum** M., dum viri Jesu sepeliendo operam dabant: non enim decebat ut ipsae viris se adjungerent. Voluerunt quidem pollincturam perficere mane diei dominicae, quando cum aromatibus venerunt, sed fuissent tunc solae in cubiculo. *Sedebant* ergo tristes et lugentes, lacrymasque fundentes; verisimiliter alto mersae silentio, secum reputantes mirabilem dilecti sui magistri mortem, variaque portenta quae eamdem comitata et subsecuta fuerant.

Contra perfidum Renan. Conjectura autem, quam perfidus Renan *Vie de J.* exserit, quum contendit eas magnis clamoribus

indulsisse, quasi vero mulierum praeficarum partes ibi sustinerent, minime arridet mihi. Quamquam enim, si Mariam V. excipiamus, cujus quidem praesentiam, tacente etiam Evangelio, facile admittere possumus, istae omnes divinitatem Christi futuramque ejus Resurrectionem nondum perfecte agnoscebant : attamen, tot et tanta viderant signa rerum extraordinaria vereque divina, ut vix crediderim immodica luctus consueti lamenta, sicut in fato hominis vulgaris, ab ipsis edita fuisse. Idque vel eo minus putem quod ibi sederent, non tam ut plorarent funusque gemitibus pro more persequerentur, quam Mc. *ut aspicerent ubi poneretur* Servator, et L. *quemadmodum positum esset corpus ejus :* quod quidem faciebant in hunc tantum finem ut, post sabbatum, illud diligentius et forte peritius quam viri perungerent condirentque, quemadmodum nunc dicemus.

R. ad 2m. Earum mens erat, postea, transacto sabbato, corpus illud magna cum diligentia ungere (1), adeoque **perficere** ea quae Joseph et Nicodemus ad condiendum corpus egerant festinanter propter appropinquans sabbatum. « Ceteris relinquentibus Domi- « num, ait s. Hier., mulieres in officio perseverant, exspectantes « quod promiserat Jesus : et ideo meruerunt primae videre resur- « gentem. » Illae autem, quum locum sepulturae, et modum quo cadaver positum erat, probe animadverterant, statim redierunt in urbem, ut aromata et unguenta, post sabbatum adhibenda, ante occasum solis emerent praepararentque : oportebat enim ut L. *sabbato silerent* (hebraismus pro *requiescerent ;* saepissime dicitur *silere, tacere* pro quiescere, non agere: cf *Gesen. Lex חָרַשׁ et חָשָׁה) *secundum mandatum.*

Videtur dicendum ipsis non fuisse satis temporis ad acquirenda omnia quae ad unctionem essent necessaria : ideo *cum transisset sabbatum* Mc. 16, 1, i. e. die sabbati vespere, post solis occasum, **rursum emerunt** quaedam aromata, et deinde die dominico valde mane venerunt ad monumentum ut corpus Jesu condirent. Vide q. 954.

At vero, priusquam iter in historiae Evangelicae campo per-

(1) Lavare et ungere mortuos, non tam virorum, quam mulierum officium erat apud Judaeos.

gamus, offendiculum quoddam, a Rationalistis interjectum, ad quod incauti pedes impingere possent, removendum est. Istos enim tamquam latrunculos viam semper obsidere notum est.

Q. 945. Rationalistarum objectio refellitur.

Contendit *Winer, *Rwb.* a. *Jos. von Arim.*, post *Strauss *Leb. Jes.*, narrationem Lucae, qui dicit mulieres paravisse aromata et unguenta ad corpus Jesu condiendum, conciliari non posse cum iis quae refert J. de ditissima et copiosissima corporis unctione, cui, ut istis videtur Rationalistis, nihil addi oportuit.

Certe, quod vim et pretium aromatum attinet, nihil desiderabatur; verum, cum ex universa rerum serie, et aperta Evangelistarum descriptione, certissime constet magna cum **festinatione** ob instantem sabbati diem omnia fuisse peracta, facile mente concipimus plurima hoc in negotio minus perfecte absoluta fuisse: ex. c. corpus fortassis lotum non fuit satis diligenter; deinde aromata tantum sicca pulverulentaque, quod aliunde probabile est, adhibita fuere, adeo quidem ut exterius circa corpus respersa cogitanda sint; valde igitur obvium est, mulieres voluisse unguentis liquidis omnia illinire membra. Fieri etiam potuit ut, ex nimia properatione, fasciae funebres non essent arctissime constrictae et compressae, unde et aeris contagionem prorsus non impedirent. Quid, si addamus his in rebus manus femineas teneriores et solertiores fuisse; idque saltem visum fuisse piis istis mulieribus, quarum erga Jesum dilectio, amor ac veneratio singulares fuisse novimus. Nonne igitur verisimiliter ponitur eas, viro tam divinissimo tam paucis momentis satisfactum esse, sibi in animum inducere vix aut non potuisse?

Veniam petimus. Sed ultra modum, ut multis videbitur, istis nugis et commentis inhaeremus: nullusque certe aequum et rationi consentaneum reputabit, ob id genus difficultatum inter scriptores, quorum fides et veracitas tot nititur argumentis, admittere repugnantiam.

Jamque, pedum pulvere in istos excusso, viam nostram capescimus alacres.

PUNCT. IV.

CUSTODIA SEPULCRI: 27, 62-66.

Praeced. vide ante q. 944.

M. 27, 62. Altera autem die, quae est post Parasceven, convenerunt principes sacerdotum et Pharisaei ad Pilatum, 63 dicentes: Domine, recordati sumus, quia seductor ille dixit adhuc vivens: Post tres dies resurgam. 64 Jube ergo custodiri sepulchrum usque in diem tertium: ne forte veniant discipuli ejus, et furentur eum et dicant plebi: Surrexit a mortuis: et erit novissimus error pejor priore. 65 Ait illis Pilatus: Habetis custodiam, ite, custodite sicut scitis. 66 Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum, signantes lapidem, cum custodibus. 28, 1. Vespere autem etc. *Ante q. 951.*

Haec solus M. habet, sed non ideo sunt in dubium vocanda, sicut fecerunt nostra aetate passim increduli post famosum Paulum, in Rationalistarum agmine antesignanum: eorum objectiones mox indicabimus.

Q. 946. 1° Quinam et quando Pilatum rogaverunt ut sepulcrum Jesu custodiretur? 2° Quam petitionis causam attulerunt? 3° Quid respondit Pilatus?

R. ad 1m. *Principes sacerdotum et Pharisaei* Pilatum adierunt et petierunt ut juberet custodiri Jesu sepulcrum. Articulus *οἱ Ἀρχ. καὶ οἱ Φαρ.* genus hominum designat; non autem hanc habet vim ut significet *omnes* sacerdotum principes *omnesque* Pharisaeos: res ipsa quae agebatur satis innuit nonnullos Synedrii judices, tamquam ceterorum legatos, et praecipuos quidem magni consilii senatores, nempe summos sacerdotes quosdam, aliosque viros honoratos, qui Pharisaeorum sectae, admodum praepotenti, addicti erant, Procuratorem convenisse. Facile intelligimus tales electos fuisse ut majus esset petitioni eorum pondus.

Objectio inanis. Ast vero, ait *Paulus, verisimile non est id factum fuisse ab eis; nam, si sepulcrum munire voluissent, suis apparitoribus hoc mandare potuissent.

R. Esto, ipsi tamen satius duxerunt praesidem Romanum hac in re interponere, Romanosque adhibere milites. Sed dicet quis, quare hoc melius ipsis visum fuit? Nescimus: forte suis minus

fidebant ; fortassis etiam absque auctoritate procuratoris hortum privatum, cujus dominus erat Joseph, ingredi non ausi fuissent, etc.

His jam constitutis, videamus quandonam facta fuerit ista postulatio. *Altera die quae est post parasceven*, i. e. postridie feriae 6ae, gall. *le lendemain du vendredi*, id est simpliciter *die sabbati* (1). Quo vero sensu id sumendum sit, non constat inter auctores. Beelen intelligit initium sabbati, sc. feriam 6m post occasum solis, quando, secundum morem computandi a Judaeis usitatum, inceperat jam *altera dies*, i. e. dies sabbati. Melius utique Lucas Brug. censet id factum fuisse die sabbati mane (τῇ επαυριον *altera die*, physice loquendo, ut vox ubique significat, cf. Mc. 11, 12 ; J. 1, 29, 35 etc.) : sciebant enim Jesum praedixisse fore ut ante diem tertium non resurgeret (*seductor dixit : Post tres dies resurgam*), adeoque furtum corporis prima nocte non timebant.

Eos igitur sabbatum violasse affirmat s. Chrys. *in M.* 27, 66 : « Nec curabant quod hoc in sabbato fieret et laboraretur, sed suam « solam spectabant nequitiam, et quia hac via superaturi essent. » Hoc tamen certum non est, quum lex interdiceret quidem operam manuariam et judicii exercitium, non vero ire ad magistratum, ab eoque petere aliquid, praesertim cum periculum in mora esset.

Bisping autem opinatur Judaeorum optimates ad Pilatum tardius accessisse, nempe vespere sabbati, post solis occasum, cum requies diei festi non amplius servanda esset. Haec ultima **sententia**, quae omnium **probabilior** mihi videtur, confirmatur ex eo quod mulieres, die dominico mane venientes ad sepulcrum, dixerint inter se : *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?* Inde enim colligimus eas ignorasse lapidem obsignatum custodiamque appositam fuisse; quae quidem ignorantia facilius explicatur, si ponamus id nonnisi vespere praecedente factum fuisse.

---

(1) Certe **mira** est haec **designatio** *altera die quae est post parasceven*, germ. *am Tage nach dem Vorsabbath*, pro simpliciter *die sabbati*, germ. *am Sabbath* : atque eo magis nos offendit quod M. hactenus non, sicut Mc. et L., diem crucifixionis hoc nomine *parasceves* designavit. Sunt qui putent Matthaeum hac verborum circuitione usum fuisse ad vitandam amphiboliam ; namque, aiunt, si dixisset *die sabbati*, hoc potuisset sumi pro ipso die festo Paschatis (festis enim diebus quandoque dabatur nomen *sabbati*, Lev. 23, 11, 15), germ. *am Festsabbath*, ergo cogitari potuisset eadem feria 6a in qua mortuus est Salvator. Sed explicatio ista non valet, quum nemo per *sabbatum* intellexisset *diem festum*, nisi contexta oratio id postulasset, ut l. c. Lev. Melius forsitan conjicimus singularem Matthaei dictionem exortam fuisse ex more loquendi christianorum, qui cum sabbatum Judaicum non amplius observarent, voci παρασκευη alium sensum non dederunt quam *sextus hebdomadis dies* : Martyr. Polyc. 7, 1 ; Tert. *De Jejun.* 14 ; Clem. *Strom.* 7, 12 ; Orig. *Contra Cels.* 8, 22. Notum est Ecclesiam Latinam postea sumpsisse *Parasceve* pro die mortis Christi.

R. ad 2m. Quia timendum est, aiunt, *ne discipuli* istius *seductoris* corpus ejus *furentur*, et dicant *plebi* eum *surrexisse a mortuis*, quemadmodum olim, cum adhuc viveret se ad vitam rediturum esse vaticinatus est, hisce verbis : *Post tres dies resurgam*, i. e. tridui spatio, vel die tertio. Id praedictum legitur, et coram Pharisaeis quidem (unde verba *recordati sumus quod ille dixit*), M. 12, 40, ubi de signo Jonae, et J. 2, 19 ubi de templo in triduo instaurando.

Quid hic Rationalistae ? Verum quidem est verba Christi M. 12, 40 satis obscura esse, imo effatum J. 2, 19 alio sensu intellectum fuisse M. 26, 61 : atque ideo ea sola non sufficere ut Synedristae tam affirmate coram Pilato locuti fuissent : sed inde objectio contra fidem Evangelistae nostri eruenda non est, ut faciunt Rationalistae (De Wette, etc.) ; namque alibi idem clarius praenuntiatum fuit, coram solis discipulis, nempe M. 16, 21 *tertia die resurgere ;* pariter M. 17, 22 et 20, 19 : satis autem obvium est pro certo ponere per horum narrationem notitiam quamdam praedictionis in vulgum sparsam fuisse (nullibi enim jussit Jesus istud silentio premere), vel saltem ad aures Synedristarum, qui saepe Jesum cingebant emissariis et exploratoribus, pervenisse (1). Jans. Gand. opinatur eos a Juda proditore edoctos fuisse.

Sed, objicitur, si Synedristae tale quid timebant, quare ipsimet corpus Jesu non sepelierunt ? Quare illud a discipulis ejus fieri permiserunt ?

Resp. Contra morem populi, qui sepelitionem cognatis et amicis defuncti assignabat, agere debuissent. Deinde, hoc a Pilato ipsis infenso forsitan non obtinuissent. Tandem, cum Jesum mortuum vidissent, laeti recesserunt ut celebrationi festi se totos traderent, nihil certe cogitantes de resurrectione : postquam vero audiissent quanto cum amoris fervore discipuli sepelitionem perfecissent, suspicionem quamdam conceperunt, et praedictionem Jesu sibi in memoriam revocarunt.

(1) Quomodo turba multa non erat circa sepulcrum ut Resurrectionem videret? Resp. Notitia, quae hac de re inter populum sparsa fuerat, erat tantum, ut videtur, vaga et ex rumore conflata ; eo vel magis quod ne ipsi quidem Jesu discipuli rem sibi perfecte explicare possent, et magno in dubio versarentur. Inde solvitur difficultas quaedam olim proposita : mirum esse ingentem populi multitudinem, Christi resurrectionem exspectaturam, jam ante custodum fugam et toto mane diei dominici ad locum sepulturae non confluxisse ; magis adhuc mirum esse neminem praeter mulieres et nonnullos discipulos eo properasse. — Ceterum, admodum probabile est Judaeorum principes secreto, quantum possent, egisse in iis quae ad custodiam sepulcri spectarunt.

Post tres dies non significare post tres dies *integros*, patet ex v. seq. *Jube custodiri sepulcrum usque in diem tertium*. Vide supra q. 395, nota marg.

Si, addunt isti Judaeorum proceres, discipuli plebi persuadere possint ipsum revera ad vitam rediisse, populus firmius quam antea putabit eum esse Messiam, ejusque sectae magis adhaerebit ; unde maximum orietur periculum ne seditio fiat contra Caesarem ; ideoque hic *novissimus error*, quo credet eum e sepulcro egressum fuisse, *erit pejor priore*, quo tenebatur, quando, propter miracula quae faciebat, eum ut liberatorem suum sequebantur. Certe Pilatum stimulare volunt ut caveat ne quid contra Romanorum dominationem tentetur. Ceterum, redolent haec verba proverbium : simile quid est M. 12, 45 *Fiunt novissima hominis illius pejora prioribus ;* 2 Petr. 2, 20 *Facta sunt eis posteriora deteriora prioribus*. Quasi dicatur *de Charybdi in Scyllam, de calcaria in carbonariam pervenire*.

Judaei fidem nostram juvant inviti. Ergo, Synedristae duo jam testantur quae scire nostra maxime interest : Jesum vere mortuum esse, eumdemque vere sepultum (non a discipulis absconditum) ; mox addent tertium, cum sepulcrum ejus tam diligenter custodient ut corpus furto auferri non potuerit. Quanto magis Jesu nocere student, tanto magis nobis credentibus proficiunt !

R. ad 3^m^. V. **65**. Pilatus autem respondit *Habetis custodiam* : ἔχετε duplici modo sumi potest : vel in praes. indicativi cum Vulg. et Syr., Mald., Schegg et Knab., *habetis custodiam*, habetis milites quibus sepulcrum custodire potestis. Vel in imperativo : *habete custodiam*, et, in hac sententia, verba sunt concedentis morose et cum stomacho : gall. *soit, ayez une garde : j'y consens*. Bisping hunc sensum merito praefert, sicut Fill. et Fouard, quia custodia illa fuit militum Romanorum, ut colligitur ex M. 28, 14, proinde non potest intelligi custodia Templi ordinaria, quae ex Judaeis, sc. ex Levitis, erat composita. Beelen autem servat significationem indicativi et explicat de militibus Romanis, qui tempore Paschali portas Templi ad tumultum praepediendum custodire solebant (Jos. *Ant.* 20, 5, 3), quique, secundum opinionem ejusdem interpretis, Synedrio subjecti erant. Istos autem milites Synedrii principibus paruisse, argumentis historicis non fuit demonstratum : praeterea, si Judaeis obedirent, quare custodia a Pilato petita fuit ?

Sed, **objiciunt Rationalistae,** quomodo Pilatus, qui Judaeos et praesertim eorum primores adeo contemnebat, petito tam prompte annuit?

R. Prompte, quia forsitan timebat ne, corpore Jesu sublato, aliquis e discipulis ejus personam ejus gereret, et seditionem moveret, Romanisque molestias suscitaret (vide ejusmodi fraudem a servo quodam commissam, Tac. *Ann.* 2, 39). Non tamen jucunde et suaviter annuit; quin potius, sicut non ostendemus, talia dixit quae cum indole ejus aliunde nota (cf. q. 771) tam optime conveniunt, ut narrationis veracitas inde miro modo confirmetur.

Pilatus mordet. Etenim perrexit Pilatus, mordacibus verbis iracundiam, stomachum, et superbiam declarans: *Ite!* ὑπάγετε, angl. *go your way! custodite*, ασφαλισασθε, *tutum reddite* sepulcrum, *sicut scitis* id peragendum esse, gall. *comme vous l'entendez, comme vous le jugez nécessaire;* quasi diceret: hoc vobis relinquo, ego me huic causae amplius immiscere nolo. En ultima ejus verba ad Synedristas a quibus satis vexatus fuerat: eis valedicit per *ite!* Quo sensu Italiani dicunt, *Via!* Sunt qui in verbis *custodite sicut scitis* videant ironiam, hoc sensu: vereor autem ut satis communire illud possitis: *rendez-le aussi sur que vous pouvez!* Verum, minus obvia est haec interpretatio.

Q. 947. 1° Quomodo et quare Judaei sepulcrum Christi custodierunt? 2° Ostende ex illa cautione secutum fuisse effectum prorsus contrarium illi quem obtinere volebant.

R. ad 1m. V. **66.** Duplici modo sepulcrum custodierunt:

a/ *Custodes* apposuerunt, sc. milites Romanos, probabiliter sexdecim, ut pro more quaterni, tum per singulas noctis vigilias, quum per quaternarias diei partes, vicissim excubias agerent. Si supponatur fuisse duo cubicula, verisimile est eos in cubiculo antico seu monumenti vestibulo collocatos fuisse; vel potius, binos in vestibulo, et binos ante ingressum vestibuli. Neque militari praesidio contenta fuit scelerata Judaeorum vigilantia; sed praeterea

b/ *Signarunt lapidem,* certe sigillo Synedrii, propter majorem securitatem, forsitan ideo quod militibus Romanis non plene fiderent. Obiter nota leonum foveam, in quam projectus fuit Daniel, a Dario rege simili modo obsignatam fuisse, Dan. 6, 17. — *Signantes lapidem cum custodibus* M.: s. Chrys. *cum custodibus* refert

ad *signantes*, quasi custodes adjuvissent eos in sigillis apponendis. Sed magis obvium est *cum custodibus* referre ad *munierunt sepulcrum*, adeo ut sensus sit : illud munierunt per custodes appositos.

Facile concipitur qua ratione facta fuerit sigillorum admotio. Ut diximus q. 942 lapis magnus claudebat ostium ; jam vero, ligamen cogita cujus una extremitas argilla vel mortario erat conglutina lapidi, altera vero parieti speluncae, et suppone sigillum impressum fuisse in utraque extremitate.

Impius conatus in contrarium effectum vertitur. R. ad 2^m. « Ubique, ait s. Chrys., error in seipsum impingit, ac vel invitus « veritati suffragatur. » Et re quidem vera, ea ipsa sepulcri munitio duplex certiorem reddidit Christi resurrectionem (1) : etenim, si nulla adfuisset custodia, potuisset credi cadaver a discipulis ablatum fuisse ; si praeterea sigillum non fuisset appositum, forte dixissent impii ab ipsis militibus corpus amotum absconditumque fuisse ; non autem facile quis contenderet sigillum ab ipsis violatum fuisse : hoc enim nimis erat sacrum, quam ut milites Romani, apud quos severissima erat disciplina, illud perfringere ausi fuissent. Unde et s. Chrys.: « Certa est, ait, resurrectionis demonstra- « tio... Cum enim obsignatum fuerit sepulcrum, nulla fraus erit. « Si nulla fraus, et tamen sepulcrum vacuum repertum est, palam « et sine controversia est ipsum resurrexisse. Viden' quomodo vel « inviti pro veritatis demonstratione pugnent ? » Pariter s. Hier.: « Diligentia eorum nostrae fidei profecit. Quanto enim magis « reservatur (corpus Christi), tanto magis resurrectionis virtus « ostenditur. »

Ex iis omnibus quae in hac parte Commentarii nostri hactenus disputavimus, melius pleniusque intelligetur, ut confidimus, id quod in symbolo Apostolorum quotidie profitemur de Jesu-Christo, qui *passus est sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus et sepultus, descenditque ad inferos :* antequam vero eum *tertia die resurgentem a*

---

(1) **Vapulat Renan.** Atque ideo sane Renan, vir malae fidei, in *Vie de J.* ne minimum quidem dicit verbulum de custodito et obsignato sepulcro : imo vero, cum audacia crescat eundo, in op. *Les Apôtres*, ait narrationi Matthaei nullam esse probabilitatem : quare ? « Quia hoc non referunt alii, *vu* « *le silence des autres*. » Istud *vu* ad dialecticam artem novi generis spectat. Sed, si haec pericopa rejiciatur tamquam fabulosa (*détails anecdotiques*, ait iste), etiam ea quae de Resurrectione tradit M., cum bis (M. 28, 4, 11 sq.) ad sepulcri munitionem respiciant, in dubium vocanda erunt.

mortuis, et deinde ascendentem in coelum contemplemur, haud injucundum forte erit per modum excursus investigare monumenta quae Dominus noster, ad memoriam ultimi sui diei propagandam et conservandam, in terris relinquere dignatus est. Sed excursus ille haud parvus erit, ideoque eum ad calcem rejicimus in Append. IV, q. 1193.

SECTIO 3ª

JESUS AD VITAM REDIT ET SPECTANDUM SE OFFERT

(Additur supplementum de Ascensione ejus).

Se nascens dedit socium,
Convescens in edulium,
Se moriens in pretium,
Se regnans dat in praemium.
Hymn. *Verb. supern.*

Commentationes praeviae.

Q. 948. Quatuor Jesu beneficia. Epigraphen illam ultimae praefigimus sectioni, propterea quod universum Evangelicae historiae argumentum paucis recolit: quatuor enim sunt praecipua Christi beneficia, quorum tria ad vitam praesentem, quartum vero ad alteram referuntur vitam. Nimirum ipse dedit se 1° **socium** vitaeque sanctae exemplar; 2° **cibum** animae; 3° redemptionis **pretium**, et 4° **praemium** vitae aeternae. Primum vero largitus est in ortu et vita mortali, 2ᵐ in ultima Coena, 3ᵐ in Passione et morte, 4ᵐ tandem in resurrectione, ascensione, et, quae inde sequitur, coelesti perpetuaque humanae suae naturae glorificatione.

Jesus nostrum praemium. De hoc 4° beneficio deinceps dicendum erit: in hac igitur libri parte videbimus Jesum, corpore glorioso indutum (utpote a morte resurgentem ad vitam immortalem), ascendentem in coelum, ibique aeternum *regnantem*, ut nos, qui sumus membra corporis ejus, in eo quondam ad vitam redeamus et cum eo regnemus; qua in re consistit *praemium* nostrum.

Mors Jesu non erat ex necessitate naturae peccaminosae, sed susceptа fuerat tamquam libera charitatis oblatio: ideo mors ipsi

dominari non potuit, sed locum cedere debuit vitae novae, quam Jesus assumpsit ut fructum oblationis suae referret, nempe nostram resurrectionem gloriosam.

Quatuor homiliae puncta. Obiter animadverte ex 4 illis doctrinae capitibus aptam materiam sacrae concionis facile desumi posse.

Duo facta numquam separanda.

Q. 949. *Quare in historia* Jesu *describenda morti ejus annectenda sit narratio resurrectionis ejus.* Haec duo facta numquam separanda esse, vel ex exemplo ipsius Christi et Apostolorum, qui, quum de morte Domini loquuntur, de ejusdem reditu ad vitam mentionem facere solent, satis comprobatur. De ista Christi consuetudine diximus q. 489 in marg. Quod autem Apostolos attinet, videsis Act. 1, 22; 2, 24; 3, 15; 4, 10, 33; 10, 40; 13, 34; 17, 3, 18, 31; 26, 23; Rom. 1, 4; 5, 9 seq.; 8, 11; 1 Cor. 6, 14; 2 Cor. 13, 4; Gal. 1, 13; Eph. 2, 6; Phil. 3, 10; Col. 2, 12; 1 Thess. 1, 10; 2 Tim. 2, 8; Hebr. 13, 21; 1 Petr. 1, 21; Apoc. 1, 5, 18.

Fundamentum universae religionis Christianae. Hinc resurrectio Christi, non tantum oraculis typisque veteris Test praedicta fuit (cf. q. 952, ad 2m), sed et verbis Jesu, ut ipsi ejus inimici fassi sunt M. 27, 63, praenuntiata fuit. Praeterea, factum illud, quo Christi *divinitas* imprimis demonstratur, universae *fidei* ac religionis christianae fundamentum est: 1 Cor. 15, 14 (vide Comm. nostr.). *Spem* etiam nostram, qua et corporis nostri gloriosam exspectamus transfigurationem ac renovationem, perfectissime confirmat, ut docet Apost. ib. (cf. q. 952).

Inde etiam factum est ut hinc quidem ss. Patres et Doctores Ecclesiae veritatem illam, tam salutarem tantoque solatio plenam, singulari diligentia exposuerint; illinc vero **Rationalistae,** et adversarii cujusvis nominis, eamdem aut prorsus negarint aut saltem in dubium vocare conati fuerint pertinaciter (cf. q. 952 not. marg.).

Quae quum ita sint, nos etiam, pro viribus nostris, argumentum illud studiose investigare, fuse pertractare et gnaviter defendere satagemus.

Certitudo. Praevio animadvertimus nullum reperiri in priscis seculis factum historicum testibus idoneis tam firmiter demonstratum (1 Cor. 15, 5 sq.); confirmatum quoque ineluctabili vi per ipsam diuturnam existentiam Ecclesiae a Christo fundatae, mirabilemque ejusdem in omnes adversarios victoriam, *divinae* potentiae fundatoris ejus evidenter adscribendam.

Divisio hujus sectionis.

Q. 950. Praecipua facta, quae a resurrectione Jesu usque ad ascensum ejus in coelum contigisse leguntur in N. T., secundum ordinem temporis probabiliorem enumera.

R. 1° Christus ad vitam redit: postea terra tremit et Angelus de coelo descendens lapidem sepulcri revolvit, custodesque terrore percellit: isti fugiunt; quidam ex ipsis in urbem currunt et principibus sacerdotum nuntiant omnia quae facta fuerant: alii alio fugiunt, certe non audentes statim reverti ad praesidium suum. Deinde mulieres piae veniunt ad sepulcrum; mox vero eodem accurrunt duo ex Apostolis.

2° Jesus spectandum se offert primum Mariae Magd., deinde aliis mulieribus sanctis.

3° Custodes pecunia corrumpuntur.

4° Jesus tertio conspiciendum se praebet, scil. Petro; quarto autem discipulis euntibus in Emmaus.

5° Apparitio quinta, coram Apostolis absente Thoma; sexta vero praesente Thoma.

6° Septimo Dominus sese ostendit ad mare Tiberiadis, qua occasione evenit piscatus miraculosus.

7° Apparet octavo in monte Galilaeae.

8° Ultimum visus est Apostolis et discipulis.

9° Quibus testibus ascendit in coelum.

De singulis nunc agendum est: unde **novem** distinguemus **paragraphos** sequentes. Tandem in § 10 historiam Evangelii universam concludemus, verbulum addendo de fundatione Ecclesiae, utpote quam Christum ut finem principem totius vitae habuerit.

§ 1. CHRISTUS VITAM RECUPERAT; MULIERES ET DEIN APOSTOLI DUO AD SEPULCRUM VENIUNT.

Ordo rei tractandae. Ut lucidior sit rerum omnium expositio, tria puncta in hoc paragrapho distinguenda sunt: punct. I Jesus ad vitam redit; punct. II mulieres piae veniunt ad sepulcrum; punct. III Petrus et Joannes eo etiam accurrunt.

In narratione Evangelica duo priora facta arctissime conjunguntur; atque ideo textus Evangelici, quos nunc recitabimus, ad duo puncta priora simul referuntur.

Mulieres ad sepulcrum accedentes, Jesum surrexisse comperiunt: 28, 1-8.

Praeced. vide ante q. 946.

M. 28, 1. Vespere autem sabbati, quae lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalene, et altera Maria, videre sepulchrum.

2 Et ecce terraemotus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de coelo: et accedens revolvit lapidem, et sedebat super eum: 3 erat autem aspectus ejus sicut fulgur: et vestimentum ejus sicut nix. 4 Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes, et facti sunt velut mortui.

5 Respondens autem angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos: scio enim, quod Jesum, qui crucifixus est, quaeritis: 6 non est hic: surrexit enim, sicut dixit: venite, et videte locum ubi positus erat Dominus. 7 Et cito euntes dicite discipulis ejus quia surrexit: et ecce praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis: ecce praedixi vobis.

8 Et exierunt cito de monumento cum timore et gaudio magno, currentes nuntiare discipulis ejus. 9 Et ecce Jesus occurrit illis etc. *Vide infra ante q. 962.*

Praeced. ante q. 944.

L. 24, 1. Una autem sabbati valde diluculo venerunt ad monumentum, portantes, quae paraverant, aromata: 2 et invenerunt lapidem revolutum a monumento. 3 Et ingressae non invenerunt

Praeced. ante q. 944.

Mc. 16, 1. Et cum transisset sabbatum, Maria Magdalene, et Maria Jacobi, et Salome emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum. 2 Et valde mane una sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto jam sole. 3 Et dicebant ad invicem: Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti? 4 Et respicientes viderunt revolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. 5 Et introeuntes in monumentum, viderunt juvenem sedentem in dextris, coopertum stola candida, et obstupuerunt. 6 Qui dicit illis: Nolite expavescere: Jesum quaeritis Nazarenum, crucifixum: surrexit, non est hic, ecce locus ubi posuerunt eum. 7 Sed ite, dicite discipulis ejus, et Petro, quia praecedit vos in Galilaeam: ibi eum videbitis sicut dixit vobis.

8 At illae exeuntes, fugerunt de monumento: invaserat enim eas tremor et pavor: et nemini quidquam dixerunt: timebant enim.

9 Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit etc. *Ante q. 959.*

Praeced. ante q. 935.

J. 20, 1. Una autem sabbati, Maria Magdalene venit mane, cum adhuc

corpus Domini Jesu. 4 Et factum est, dum mente consternatae essent de isto, ecce duo viri steterunt secus illas in veste fulgenti. 5 Cum timerent autem, et declinarent vultum in terram, dixerunt ad illas: Quid quaeritis viventem cum mortuis? 6 non est hic, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset, 7 dicens: Quia oportet Filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere. 8 Et recordatae sunt verborum ejus.

9 Et regressae a monumento nuntiaverunt haec omnia illis undecim, et ceteris omnibus. 10 Erat autem Maria Magdalene, et Joanna, et Maria Jacobi, et ceterae quae cum eis erant, quae dicebant ad Apostolos haec. 11 Et visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista: et non crediderunt illis. 12 Petrus autem surgens cucurrit etc. *Ante q. 957.*

tenebrae essent, ad monumentum: et vidit lapidem sublatum a monumento.

2 Cucurrit ergo, et venit ad Simonem Petrum et ad alium discipulum, quem amabat Jesus, et dicit illis: Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus ubi posuerunt eum. 3 Exiit ergo Petrus etc. *Ante q. 957.*

Omnes Evangelistae aperte docent, et diligenter demonstrant, Christum die dominico, summo mane, ad vitam reversum esse; verumtamen ipsum resurrectionis factum separatim et dedita opera non narrant, sed, ut liquet ex textu Evangelico statim recitato, illud in narratione de mulieribus includunt Nos autem illud separatim et ex professo exponemus, pro majore legentium utilitate: ideoque ex Evangelistarum verbis inter se comparatis colligemus omnia et singula, quae ad prodigiosum illum eventum illustrandum conferre posse videntur.

Et haec quidem erit materia puncti I (supra diximus in hoc § 1 tria distingui puncta).

Punct. I. De ipso Dominicae resurrectionis facto.

Q. 951. 1° Tempus, quo Christus vita renovata sepulcrum reliquit, accurate definiatur. 2° Quomodo corpus ejus e sepulcro, quod diligenter occlusum fuerat, egressum est? 3° An mortalium quivis vidit ipsum e sepulcro exeuntem?

Resp. ad 1m et 2m collige ex q. 954. Itaque Jesus surrexit primo hebdomadis die, eodem die quo lux creata fuit, qua in re sensum quemdam figuratum merito videt s. Aug. *In Ps.* 47, 1. Horam vero plus minusve definire conabimur q. 954: ipsissimum autem temporis punctum certo demonstrare non possumus, ut ex dicendis patebit.

R. ad 3m. Nullus hominum ipsum vidit eo momento quo e sepulcro exivit. Custodes quidem terrae motum probabiliter sentierunt, saltem viderunt angelum, per quem ille terrae motus excitatus est, quique lapidem removit; sed corpus Christi glorio-

sum jam antea egressum erat de sepulcro, ut explicabimus ad q. 954.

***Q. 952.** 1° Num Christus propria virtute resurrexit, an vero a Deo ad vitam revocatus fuit ? 2° Quare a morte surrexit ? 3° Quare die tertio ? 4° An primus omnium resurrexit ?

R. ad 1m. Pluries dicitur in s. Scriptura Jesum a Deo fuisse ad vitam revocatum, Act. 2, 24 etc. ; sed quum ipse sit Deus verus, certum est eum propria virtute vitam recuperasse ; eadem enim est potentia eademque operatio Patris et Filii. Quare Salvator aperte ait : *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a meipso..., et potestatem habeo iterum sumendi eam* : J. 10, 18.

Homilitica.

Rationes convenientiae in facto illo resurgentis Christi.

R. ad 2m. Vide s. Thom. p. 3, q. 53. Christus resurrexit :

a/ Ut **praedictiones** antiquas, in V. T. relatas, eventu comprobaret. Ideo etiam L. ult. 46 *Oportebat Christum pati et resurgere a mortuis.* 1 Cor. 15,4 *Resurrexit tertia die secundum Scripturas.* Ps. 15, 10 *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Porro, historia Jonae prophetae, qui in ventrem belluae marinae sepultus est, et post tres dies seu die tertio inde emissus fuit, continet etiam prophetiam de Christo ad vitam revocato : cf. supra q. 395. Praeterea Daniel, e lacu leonum liberatus, fuit quoque figura Christi resurgentis. Denique, secundum Hebr. 11, 19 Isaac, e morte mirabiliter ereptus, Christum ad vitam redeuntem praesignavit : cf. *Comm.* nostr. *in ep. Paul.*, 6a ed., Brugis 1899. Obiter nota etiam Jesum resurrectionem suam pluries praedixisse (cf. q. 1147), istaque oracula pariter effectu comprobanda fuisse.

b/ Ut **fides** nostra firmaretur, quum per illud insigne miraculum certior atque evidentior facta sit Jesu **divinitas** : dicente s. Paulo 1 Cor. 15, 14 *Si Christus non resurrexit..., inanis est fides vestra.* Apostolos autem in testando magistri sui resurrectionem nec voluisse nec potuisse fingere, praeclare demonstrat s. Chrys. *in M.* 27, 62 ; simulque ostendit eorum agendi rationem eorumque fidem certitudine istius miraculi tamquam praecipuo niti fundamento (1).

---

(1) **Offendiculum Rationalistarum perpetuum.** Hac occasione notare juvat factum illud, quum praecipuum sit fidei christianae fundamentum, necessario maximum esse *lapidem offensionis*, in quem **Rationalistae** omnes stolide impingunt et misere cadunt. Istorum interpretationes, hac in re, sufficiunt solae, ut eorum impium systema prorsus evertatur. Lapis Lydius huc admoveatur et fraus statim detegetur.

Mala fides Renan. Exempli causa probemus Renan : hic autem, ut lectores suos decipiat, in libro *Vie de Jésus* quaestionem illam, ipsi certe parum amoenam, saltem satis periculosam, non tractat, sed remittit ad aliud opus ; atque interea temporis audacissime affirmat quod sequitur : « *La forte imagination de Marie de Magdala joua dans cette circonstance un rôle capital... La passion d'une hallucinée donne au monde un Dieu ressuscité !* » Verum neque ullam affert rationem, qua incredibilem illam sententiam demonstret ; et tacet de Marco qui 16, 11 aperte dicit discipulos verbis Magdalenae non credidisse.

Infamiae nota fronti istius impii inusta. Nonne jure ac merito apostata ille, qui sciens et volens, cum mala fide ubique manifesta, Servatorem nostrum blasphemiis impetit, ignominiae notam a viro acatholico, sed doctissimo, inustam perpetuo secum feret ? hanc scilicet : « *Guidé par ses préjugés contre la Révélation et les miracles, il a, par une interprétation sans règle ni mesure, et une imagination pleine de frivolité,* **transformé en Caricature l'histoire Évangélique et son héros.** » *Tischendorf, Wann wurden unsere Evang. verfasst ?* Lips. 1866, p. 2. Bona verba, me hercule ! *Trois bans en l'honneur de Tischendorf !*

c/ Ut **spes nostrae resurrectionis** gloriosae confirmaretur : 1 Cor. 15 ; vide comm. nostr. modo citatum. Christi enim resurrectio nostrae resurrectionis causa *efficiens* est et *exemplaris* (non certe *meritoria*, nam post mortem non amplius habetur locus *merito* proprie dicto).

Efficiens, inquam, non principalis (haec est justitia Dei), sed secundaria et quasi instrumentalis, videlicet per virtutem Verbi, quod humanae naturae hypostatice conjunctum erat ; etenim humana Christi natura instrumentum quoddam est divinitatis ejus et virtute ejus vim suam exerit : hic est autem effectus quem operatur, resurrectio nostra, quatenus nempe corpora nostra sunt membra ejus.

Exemplaris porro causa est, non in omnibus, sed in plerisque. Quod enim perfectissimum est, exemplar est ejus quod est minus perfectum, non simpliciter et secundum aequalitatem, sed per similitudinem, secundum suum modum. Ideo necesse non est ut corpora nostra tam cito quam Christi corpus vitam recuperent : v. gr. jam tertio die post mortem. Vide s. Th. l. cit.

d/ Ut **mors**, ultima Christi inimica, vinceretur : unde cantat Ecclesia in Praefat. Pasch. : « Qui mortem nostram moriendo destruxit et vitam resurgendo reparavit. » 1 Cor. 15, 24-27.

e/ Ut **divina justitia** commendaretur : decebat enim ut, qui *humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem...*, gloriose *exaltaretur*, puta per resurrectionem et ascensionem : Phil. 2, 8.

f/ Ut disceremus inde quomodo nos **spiritualiter** resurgere debeamus : Rom. 6, 4, 9 ; Coloss. 3, 1.

Resp. ad 3m. **Tertio** autem **die** (1) resurrexit, 1° quia hoc praenuntiatum erat sub figura Jonae, de qua ad 2m mentionem fecimus. 2° Si statim rediisset ad vitam, non tam certo constaret ipsum vere mortuum fuisse. Si tardius, dixissent Judaei ipsum fuisse mentitum et corpus absconditum fuisse ; ita s. Chrys., qui pergit : « Illud « crimini non erat obnoxium quod cito resurrexisset ; quod vero tardius, suspi- « cione plenum erat. Nam si tunc non resurrexisset, dum illi sederent..., contra- « dicere, etsi stulte, poterant. »

Resp. ad 4m. Aperte docetur 1 Cor. 15, 20-23 Christum esse *primitias dormientium*, quod quidem hoc sensu intelligendum est, Christum **primum omnium hominum** revocatum fuisse **ad vitam immortalem** et gloriosam (Rom. 6, 9 *Christus resurgens ex mortuis, jam non moritur*) ; alii enim, qui ante ipsum a mortuis excitati fuerunt, iterum obierunt. Quod autem attinet ad illos, qui, Christo mortuo, dicuntur e sepulcro exiisse M. 27, 52, isti vel non ante surrexerunt quam resurgeret Dominus (ut ait s. Hier.), vel iterum defuncti sunt, vel nonnisi vita quadam imperfecta fruebantur, quando hominibus spectandos se obtulerunt. Vide supra q. 909.

Dogmatica.

Quale fuit corpus Jesu a mortuis reducis ?

***Q. 953.** 1° Numquid corpus Jesu ad vitam reversi poterat alias permeare res corporales, et simul ab hominibus palpari ? Quomodo sub aspectu identidem cadebat, identidem vero non ? 2° Fuitne integrum, adeo ut omnis sanguis iterum

(1) Die tertio inchoato, non proprie loquendo *post tres dies*, ut explicavi supra q. 395, in nota marg.

assumptus fuerit ? 3° Quare Salvator vulnerum cicatrices in corpore glorioso servavit ?

R. ad 1m. Corpus Christi ad vitam revocati, sicut quodvis corpus gloriosum, secundum naturam suam aliis rebus impervium erat, adeoque palpari poterat, quamvis esset subtile ; igitur, **non** habuit **ratione** suae **subtilitatis,** quod posset esse simul cum alio corpore in eodem loco, aut quod januas clausas penetraret : **sed virtute divinitatis** hypostatice conjunctae istud habuit, sicut *per miraculum* cuilibet corpori glorioso facultas est ut, cum velit, non palpetur (1), adeo quidem ut tunc penetrari possit. Cf. s. Thom. *suppl.* q. 83. a. 2 et 6.

Objicitur corpus Christi, si palpari potuisset, etiam corrupitible fuisse, cum dicat s. Greg. *Hom. 26 in Ev.* : « Corrumpi necesse est quod palpatur, et palpari « non potest quod non corrumpitur. »

R. Loquitur s. ille Doctor de corporibus in praesenti rerum statu ; sed corporibus ad gloriam resurgentibus est aliquid speciale, quod in ordine naturae corporibus non concessum est, nempe habent (ut docet s. Aug. *Ep. ad Dioscorum*, ap. Migne ep. 118, n. 14) gloriam redundantem ab anima beata, quae quidem gloria tanta est, ut corporibus conferat *plenitudinem sanitatis*, i. e. *incorruptionis vigorem*. Cf. s. Thom. 3, 54, 3, ad 2m.

R. ad 2m. Utique integrum fuit corpus Jesu resurgentis : « Fuit redintegratum, « ait s. Th. l. c., a. 2, quidquid per mortem ceciderat. » Hoc sensu intellige quod, ut doctor ille paulo infra (eod. art., ad 3m) addit, *omnes particulae ad veritatem et* **integritatem humanae naturae** *pertinentes* iterum assumptae fuerint. Inde tamen concludere nolim, ut facit s. Th. ibid., Reliquias pretiosissimi Sanguinis, quae in quibusdam locis coluntur (v. gr. Brugis : cf. q. 1209), non esse de vero Christi sanguine, sed sanguinem illum e quadam imagine Christi percussa per miraculum effluxisse. Certe omnes et singulae sanguinis guttulae ad *integritatem* corporis humani haudquaquam sunt necessariae. Sententia nostra fuse demonstratur a Ben. XIV, *De canon. ss.* IV, 2, 10, 9. Cf. Malou, *Du culte du s. Sang.* IV.

R. ad 3m. Cf. s. Thom., l. c., a. 4. **Cicatrices** conservavit, non per quoddam corporis vitium aut corruptionem, sed per specialem arbitrii voluntatem, nimirum in fines sequentes : 1° ad majorem gloriam suam, ut eas « in perpetua secum tanti « circumferat signa triumphi (Ven. Beda *in L.* 24, 40). » 2° Ut discipuli tanto melius tantoque certius viderent idem esse Jesu corpus, quod cruci affixum fuerat. 3° Ut cicatrices istas Patri supplicans ostenderet. 4° Tandem, ut in extremo judicio justi eas contemplantes, majore dilectione et ferventioribus grati animi sensibus afficerentur, reprobi autem acerbiorem ignominiam atque animi stimulos acrius pungentes paterentur.

Cetera vero, quae ad illud resurrectionis factum pertinent, in puncto sequenti exponemus. Ipsamet narratio Evangelica cogit nos ut hac ratione nostram ordinemus disputationem.

---

(1) Simile quid erat quoad *visibilitatem*, juxta s. Thom. 3, 54, 1 ad 2m : « Quicumque habet corpus « glorificatum, in potestate sua habet videri quando vult, et quando non vult non videri. Hoc tamen « habuit Christus, non solum ex conditione corporis gloriosi, sed etiam *ex virtute divinitatis*, per « quam fieri potest ut etiam corpora non gloriosa miraculose non videantur. »

Punct. II. Mulieres piae veniunt ad sepulcrum.

(Text. Evang. huc spectans citatur p. 1223)

Ordo tractationis nostrae. In hac Evangelicae historiae particula, praeter ea quae intermiscentur de ipsamet Christi resurrectione, tria distinguimus facta : 1° mulieres proficiscuntur ad sepulcrum, 2° Maria Magd. eo advenit, et 3° aliae mulieres pariter eo accedunt. Igitur tres ponemus quaestiones.

Praemonitum circa concordiam Evangelicam.

Magna est difficultas in rebus minoris momenti, et mira interpretum dissensio, quod attinet ad rationem componendi et ordinandi ea quae in Evang. narrantur, de iis quae prope sepulcrum Jesu evenerint, paulo post ejus resurrectionem. Singuli enim Evangelistae ea elegerunt facta, quae ad finem ipsorum specialem praesertim spectabant ; atque, aliis praetermissis, suam narrationem ita persequuntur, quasi haec sola evenissent. Inde factum est ut, dum in summa et capite narrationis mirabiliter concordant, in nonnullis tamen rebus adjunctis quae minoris momenti sunt inter se pugnare, vel saltem a se invicem recedere, videantur.

Contra Rationalistas. Istas autem diversitates vehementer urgent *Rationalistae* (1) ; immerito tamen, quum, fatente ipsomet *Kuinöl, factum resurrectionis incertum et suspectum non reddant, neque Evangelistarum fidem minuant et frangant : imo vero potius ostendunt ipsos non ex condicto, aut unum secundum aliorum libros, narrationes suas ordinasse et confinxisse.

Rerum omnium ordinem, quem probabiliorem habemus, in tribus quaest. sequentibus exponemus, sub 1°, 2° et 3°.

1° De profectione mulierum ad sepulcrum : obiter de egressu Jesu e sepulcro et de terrae motu.

Q. 954. Collatis Evangelistis narra ea quae evenerunt quando mulieres ad sepulcrum profectae sunt, ac simul insere (sicut faciunt

(1) **Renan impie audax.** Ita impius et maleficus Renan in op. *Les Apôtr.* : « Les six ou sept récits que nous avons de cette scène du matin (Marc en ayant deux ou trois, et Paul ayant aussi le sien [1 Cor. 15, 5], sans parler de l'Évangile des Hébreux) sont en complet désaccord les uns avec les autres. » Audax loquitur ille, certe ut per hoc ipsum jam pugna dimidia absoluta sit, quemadmodum fert proverbium nostratium.

Evangelistae) quae ad ipsum resurrectionis Dominicae factum referuntur.

R. **M. 28, 1**. *Vespere autem sabbati*. Verba graeca οψε δε σαββατων a multis sumuntur quasi scriptum esset οπισω δε σαββατων (plur. pro sing. σαββατου, ut saepe), post sabbatum, transacto sabbato (cf. *Bretschn. *Lexic.*): sed proprie significant *tarde*, sero sabbati, cum sabbatum esset valde processum. Dies sabbati hic sumitur secundum normam vitae communis, sc. ab uno ortu solis usque ad alterum solis ortum, non secundum normam festorum apud Judaeos, ab una vespera usque ad alteram.

Sensus igitur est: cum nox sabbati magna ex parte jam esset transacta (s. Hier. mox citand.): nam verba, quae Vulgata vertit *vespere sabbati*, magis circumscribuntur per ea quae sequuntur: τη επιφωσκουση εις μιαν σαββατων, *illucescente* (supple ἡμερᾳ vel ἑῳ i. e. *die* vel *aurora*) *in primam sabbati*, i. e. cum dies jam lucesceret in primam sabbati, cum prima sabbati (dies dominica, dies prima post sabbatum) jam incipiebat lucescere (literaliter apud Beel. *toen het aanlichte voor den eersten dag*, εις μιαν cum accus.; minus recte Vulgata (1) *in prima*). Igitur *valde mane una* (prima) *sabbatorum* Mc., die dominica (2) mane, ad primam aurorae lucem, *cum adhuc tenebrae essent* J., cum nondum clara dies esset (3).

Tunc autem quaedam **mulieres sanctae**, quae post sepulturam Jesu, nempe feria 6ª vespere (L. 23, 56), et rursum die sabbati post solis occasum (Mc. 16, 1; cf. q. 944), jam emerant aromata pro ungendo ejus corpore, inter quas nominantur quatuor sequentes: *Maria Magd*, *et altera Maria* M., ἡ αλλη, altera illa de qua supra 27, 56, 61 locutus erat, nempe *Maria Jacobi* Mc., L., i. e. mater Jacobi Min. (haec vocabatur etiam *Maria Cleophae*, J. 19, 25, utpote uxor Cleophae), *Salome* mater Joannis et Jacobi Majoris, et *Joanna*

---

(1) Versio Vulgatae *Vespe e sabbati quae lucescit in prima sabbati* est valde obscura, 1° quia relativum *quae* non habet nomen a quo pendeat, 2° quia *in prima* ponitur pro *in primam*.

(2) **Una sabbatorum** Mc., vel **una sabbati** L. et J., vel *prima sabbati* M., significat postridie sabbati, i. e. diem illum quem *Dominicum*, propter Domini resurrectionem, christiani ab antiquissimis temporibus (Apoc. 1, 10) appellare solent.

(3) **Hora resurrectionis.** Igitur, verba Vulg. *vespere sabbati* sensu valde impropio sumenda videntur, sc. nocte sabbati i. e. nocte quae sequebatur sabbatum, puta circa finem hujus noctis, cum adhuc tenebrae essent, sed appetente jam luce. Ita explicat s. Hier. *Ep. ad Hebid.*, ep. 120, c. 4, ed. Migne, et s. Aug. l. 3 *De cons. Evang.*, c. 24 post s Ambr. *in L.* l. 10, 151. Christus itaque **ad primam aurorae lucem** verisimiliter **resurrexit,** hora fere **quinta** matutina, ideoque per 35 circiter horas in sepulcro manserat.

uxor Chusae (1) : illae, inquam, mulieres veniunt *videre sepulcrum* M., nempe veniunt videre num illud intrare possint ut corpus Jesu *perungant* Mc.: nam L. veniunt *portantes quae paraverunt aromata* : diligentius enim pleniusque, quam Josephus et Nicodemus, qui celeritate uti debuerant, corpus condire volunt.

Mc. conciliandus cum J. Addit Mc. eas venisse *orto jam sole* ; hoc autem pugnare videtur cum aliis Evangelistis, de quibus statim diximus, praesertim cum J. *quum adhuc tenebrae essent*. Ideo forsitan in cod. D lectio est ανατελλοντος *oriente sole*, loco ανατειλαντος *orto sole*, quod in aliis codd. legitur. Probabilius mihi videtur, id quod scripsit Mc. ita intelligendum esse, ut *valde mane* e domo sua, forte Bethania, profectae fuerint, et *orto jam sole* ad sepulcrum accesserint. Fateor hunc non esse sensum obvium et naturalem Marci : sed ipsa Marci verba *valde mane* suadent ut illam explicationem adoptemus : non enim dicere possumus Evangelistam in eodem versu secum ipsum pugnare.

In itinere autem Mc. *dicebant ad invicem : Quis revolvet nobis lapidem ab ostio monumenti ?* Vera lectio est εκ της θυρας *ex ostio*, non απο της θυρας *ab ostio* : igitur lapis ad ostium monumenti tali modo fuerat *advolutus*, ut ipsum ostium intrasset : proinde lapis erat ejusdem magnitudinis ac ostium, adeo ut insertus in illud, perfecte id occluderet. Ex verbis illis mulierum colligimus ipsas ignorasse lapidem obsignatum et custodiam appositam fuisse.

Eodem circiter tempore, quo istae egrediebantur e domo sua ut ad sepulcrum pergerent, *ecce,* ait M. v. **2** (qui ipsum resurrectionis eventum solus refert), *terraemotus factus est magnus*. Istud *ecce* non sign. id accidisse dum mulieres *appropinquarent* (Mald.), vel *coram ipsis* ; sed res solummodo inducitur mira, singularis, stupenda. Terrae motus autem ille factus est circa sepulcrum Jesu, quod censet s. Chrys. *in M.* 28, 11 (2) : et, ut videtur, statim ante illud miraculum Christus e sepulcro vivens resurrexit. S. Hier. *Ep. ad Hebid.* q. 6 dicit horam qua Jesus resurrexit, hominibus esse omnino incognitam. Praeferrem dicere horam *praecisam* non *certo* esse

(1) **Maria V. absens.** Videntur plures quam quatuor fuisse, cf. L. 24, 10 : non tamen aderat B. Maria V., secus enim eam ante omnes alias nominassent Evangelistae. Fortassis ideo istas comitari noluit, quod eum, quem resurrecturum certo sperabat, sciret frustra ungendum esse.

(2) Illum terrae motum non sentierunt mulieres ; sed Apostoli postea didicerunt illum contigisse, v. gr. a militibus audierunt, vel per revelationem divinitus factam cognoverunt.

cognitam, quum haec non distincte notetur in Evangelio ; verumtamen ex tota narratione colligi posse resurrectionem *probabiliter* contigisse summo mane, ut fert communis sententia. Immerito asserunt quidam horae plenam ignorantiam ab Ecclesia affirmari hisce carminis *Exultet* verbis : « O vere beata nox, quae sola meruit « scire tempus et horam, in qua Christus ab inferis resurrexit » Sensus enim istorum verborum potest sic intelligi : Beata nox, quae sola inter omnes noctes meruit videre gloriosum illum eventum.

Ratio mystica. Utcumque haec se habeant, omnino adhaereo communi sententiae, factum *illucescente die* contigisse : « Ad signi- « ficandum, ait s. Th. 3, 53, 2, quod Christus per suam Resurrectio- « nem nos ad *lucem* gloriae inducebat ; sicut mortuus est advespe- « rante jam die et recedente in tenebras, ad ostendendum quod per « suam mortem destrueret *tenebras* culpae et poenae. »

Christus exiit e sepulcro adhuc clauso. Resurrexit lapide nondum remoto ; corpus enim ejus gloriosum et subtile lapidem penetravit, sicut postmodum januas clausas transivit, atque diu antea (in ortu) ex utero B. Mariae absque ulla virginitatis ejus laesione egressum fuerat (sed, obiter nota, tunc corpus ejus non erat gloriosum, adeoque fuit ibi speciale miraculum). Haec est omnium ss. Patrum sententia, excepto s. Leone *Ep.* 83, ait Estius *in M.* (1) « Quemadmodum, inquit Euthymius, natus est « servatis integris claustris Virginis : ita quoque resurrexit, servatis « integris monumenti signaculis. » Pariter Ps.-Aug. (*Serm.* 138 de Temp., ap. Migne in App. s. 162) : « Judaei perfidi, ait, monumen- « tum lapide signaverunt, ut non haberet Christus egressum : « sed... quomodo de sepulcro exire non posset, qui ex incorruptis « visceribus salva virginitate processit ? »

Terrae motus per Angelum excitatus. Itaque terra divinitus

(1) **An s. Leo reipsa recedit a sententia aliorum ss. Patrum omnium ?** S. Leo non admodum clare expressit sententiam suam. Verba ejus sunt : « Et revoluto monumenti lapide, quae « tertia die caro resurrexit. » Ea autem Mald. hoc sensu exponere nititur : quae caro tertia die resurrexit, ut revoluto lapide probatum est. Verum quidem est talem non esse sensum verborum obvium et naturalem, sed facile fieri potuit ut s. Doctor id revera dicere voluerit, atque in scribendo quoddam sermonis vitium commiserit, unde factum sit ut verba sicut jacent, auctoris mentem accurate non reddant. Porro s. Leonis mentem non fuisse ut affirmaret lapidem sepulcri revolvendum fuisse, antequam Jesu corpus egredi potuerit, omnino suadent quae apud scriptorem illum statim sequuntur : etenim quaedam addit de corpore Servatoris per clausa ostia ingrediente.

mota est, ut custodes quod eveniret adverterent ; utque aspectu Angeli perterriti fugerent, remque Judaeis nuntiarent, atque adeo testes veritatis fierent. Causa autem terrae motus erat (*enim* M.) quod *Angelus Domini descendit de coelo* (igitur terrae motus per angelum excitatus fuit), *et accedens revolvit lapidem* (1) : quod quidem fecit, non ut egrederetur Jesus, sed ut custodes et mulieres viderent monumentum esse vacuum (s. Hier. *Ep. ad Hebid. 6*) ; *et sedebat super lapidem*, extra speluncam, vel si ponatur fuisse duo cubicula, sedebat in monumenti vestibulo, in quod revolutus fuerat lapis. M. v. **3** *Erat autem aspectus ejus* splendidissimus *sicut fulgur*, *et vestimentum ejus* candore relucens *sicut nix* (2). ASPECTUS, ἡ ἰδέα, vel ut in aliis cod. ἡ ἰδεα : significat totum ejus habitum externum, speciem ejus (germ. *sein Ansehen, sein Aussehen*), et ad nitorem vestium splendoremque faciei simul pertinet : minus recte *son visage* (Lemaistre de Sacy).

Quid custodes? M. v. **4**. *Prae timore autem ejus exterriti sunt custodes* (nota prae timore *Angeli*, non *Christi* ; nam hunc resurgentem nemo vidit), *et facti sunt velut mortui*, i. e. collapsi sunt in terram, animis deficientibus : mox vero, sensus recuperantes et vires, fugae se commiserunt (3) ; imo M. 28, 11 *quidam ex ipsis venerunt in civitatem*, et rem gestam *principibus sacerdotum nuntiarunt* : vide infra q. 966.

Paulo post militum discessum, Maria Magd., vel cum aliis mulieribus sanctis, vel (secundum conjecturam quorumdam interpretum,

---

(1) Apte notat Reischl in nocte nativitatis, quemadmodum in nocte resurrectionis, ipsummet factum mysterio obvolutum fuisse, et in utroque casu Angelos intervenisse ut hominibus manifestarent eventum postquam jam fuisset peractus.

(2) **Isaias hic non citetur**. Multi contendunt non tantum per Christi resurrectionem, sed etiam per prodigia quae tunc et deinceps ad sepulcrum ejus evenerunt, eventu confirmatam fuisse praedictionem Is. 11, 10 *Sepulcrum ejus erit gloriosum*. Sed, ut diximus supra q. 943, haec verba aliter interpretanda videntur, cum hebraeus sic vertatur : requies ejus (locus mansionis ejus) erit gloriosa.

(3) **Multi pictorum errores** In Jesu resurrectione effingenda pictores solent multos committere errores. Qui quidem ut corrigantur, notamus 1°, sepulcrum in petra excisum antri faciem imitari debere, non fossam in terra aut cenotaphium, aut lapideam aliquam cistam. Deinde 2° Christus clauso exiit monumento : igitur, non videatur egredi e spelunca post revolutum lapidem, a fortiori non protrudat caput corpusque ex cista operculumque sublevet ! **Ah ! ces artistes !** 3° Praeterea, milites non dormiebant, ut saepe pinguntur : dixerunt quidem se dormiisse ; sed ita loquebantur per insigne mendacium et pecunia corrupti. 4° Neque etiam licet eos repraesentare ad aspectum Jesu luce fulgentis terrore perculsos, in terram prostratos, manibus scutisque splendorem corporis Dominici avertentes : nihil enim senserunt eo momento quo Servator e sepulcro exiit, et ipsum resurgentem non viderunt. Postea tantum, terrae motu et aspectu Angeli territi fuerunt fugamque inierunt. *Inter omnes Scripturae interpretes* **pessimi** *sunt* **pictores**.

nixam J. 20, 1) sola venit ad sepulcrum. De hac nunc fusius disserendum.

2° De Magdalena primum veniente ad sepulcrum.

Q. 955. Quid de Maria Magd. ad sepulcrum Christi primum adveniente narratur?

R. Auctores diverso modo ordinant narrationem Evangelicam. Etenim,

1ª Sent. Sunt qui putent Mariam, nimio quasi amore abreptam, ante alias mulieres venisse ad sepulcrum. Fortasse factum est, aiunt, ut dum istae nonnulla pro unctione adhuc emerent, Magdalena alias praeverterit. Lapidem revolutum et sepulcrum vacuum cum vidisset, statim cucurrit ad civitatem, antequam aliae mulieres accessissent: puta ipsam rediisse via diversa ab illa quam mulieres sequerentur, adeo ut in ipsas non inciderit. Vadit ad Petrum et Joannem, qui verisimiliter cum aliis Apostolis tunc congregati non erant (et re quidem vera, facile crediderim eos mansisse in domo in qua mater Jesu versabatur, Petrumque rubore suffusum non statim coram omnibus collegis suis comparere voluisse), et dicit illis: *Tulerunt Dominum de monumento, et nescimus* (1) (aliqui legerunt *οἶδα nescio*, sed pauci tantum, adeo ut vera lectio certo sit *nescimus*) *ubi posuerunt eum.* Ipsa autem nullum vidit angelum, propterea quod ille qui lapidem revolverat evanuisset, alii vero quos postea intuitae sunt mulieres, nondum cernendos se dedissent.

Altera sententia. Plures vero tenent Magdalenam ad sepulcrum perrexisse cum aliis mulieribus, sed Angelos non vidisse, ideo quod hi essent in cubiculo interiore (in hypothesi de duplici cubiculo), Mariam vero non sicut alias eousque penetrasse, sed simul ac viderit revolutum lapidem, in vestibulo monumenti jacentem, conclusisse corpus esse ablatum (2), et statim cucurrisse ad domum Petri et Joannis, ut rem nuntiaret. Vel possumus supponere Angelos ab ea conspectos non fuisse, quia, ut ex L. colligitur, isti nondum sub sensu cadebant primis momentis

(1) Secundum hanc sententiam, quae tenet Mariam solam venisse, pluralis ille *nescimus* inde oritur quod Maria, magno animi motu perturbata, alias mulieres secum consociet.

(2) *Nescimus*, ait, quia cum aliis sepulcrum apertum viderat.

quibus mulieres in sepulcro versabantur. Supra animadvertimus, Angelum, qui custodibus visus fuerat, quique lapidem revolverat et super eum sederat, antea jam evanuisse.

Haec posterior sententia, quae censet Magdalenam cum aliis mulieribus venisse, longe probabilior mihi videtur (Corluy eam ut certam habet), tum propter M. et Mc. qui Mariam aliis consociant mulieribus, quum propter plur. *nescimus*.

Utcumque ista se habeant, interea temporis reliquae mulieres ad sepulcrum advenerunt : de iis nunc specialem ponemus quaestionem.

3° De primo mulierum accessu ad sepulcrum.

Q. 956. Quid factum est, quando mulieres piae ad sepulcrum primum advenerunt ?

R. Mc. *Mulieres veniunt ad monumentum...*, *et respicientes* ἀναβλέψασαι (*cum attente respexissent..*, ἀνα hic auget vim) (1) *vident revolutum fuisse lapidem*, θεωρουσιν ὁτι ἀποκεκυλισται ὁ λιθος (non dicitur ipsum lapidem extra ostium jacentem statim ab eis visum fuisse, ut intelligi posset Vulgata). Lapis autem iste *erat valde magnus* (easdem habebat dimensiones ac ostium speluncae ; vel in hypothesi de duplici cubiculo, easdam ac ostium cubiculi interioris, cf. supra q. 942), hoc obiter addit Mc. quia statim antea retulerat verba mulierum *Quis revolvet nobis lapidem ?*

Porro, mulieres cum vidissent lapidem fuisse revolutum, *intrarunt sepulcrum* Mc. et L., sed *corpus* Jesu *non invenerunt* L. Si admittatur duplex cubiculum, oportebit rem sic cogitare (quod parum obvium est) : ingressae vestibulum, oculos conjecerunt in cubiculum interius, ubi corpus positum fuerat, inclinantes se et caput per ostium submissum protendentes ; et cum animadvertissent unico aspectu corpus Jesu non amplius in loculo suo esse, steterunt in cubiculo antico, i. e. in monumenti vestibulo, et *erant mente consternatae de isto* L., i. e. de corpore non invento.

---

(1) Fillion sumit ανα in sensu ordinario : *cum sursum aspexissent*, nempe a longinquo, quia opinatur sepulcrum fuisse in loco paululum excelso : haec dicuntur in hypothesi de unico cubiculo ; nam si duplex fuisset, istae e longinquo non potuissent probe discernere lapidem ex ostio interiore revolutum fuisse. Ergo, in hypothesi de duplici cubiculo oportet sumere αναβλεπειν in sensu *attente inspicere*, et supponere eas e propinquo sedulo respexisse cubiculum anticum, et animadvertisse lapidem ex ostio cubicuii interioris revolutum fuisse.

Sed *ecce,* subito eis spectandum se offert Angelus, tamquam Mc. *juvenis, sedens in dextris.* Sensus obvius est: *a dextris loculi* in quo positum fuerat corpus, qui sensus innuitur cum paulo infra idem Angelus eis dicit *Non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum.* (Si quis tamen velit adhaerere opinioni de duplici cubiculo *sedens in dextris* intelligere debebit : in parte dextra cubiculi anterioris). *Coopertus stola candida* Mc., gall. *une belle et longue robe* (*stola*) *de couleur blanche et éclatante ;* et mox videtur alius Angelus (1), puta a sinistris, etiam in veste fulgenti. Hoc ultimum, de *veste fulgenti* patet e L. qui dicit *duos* Angelos visos fuisse *in vestibus fulgentibus,* ἀστραπτούσαις (proprie *rayonnants de lumière*) (2).

Hac visione *obstupescunt* Mc., et *timore* correptae *vultum in terram declinant* L., non audentes illos Angelos in faciem respicere. *Respondens autem Angelus* M. (*respondens*, loqui exorsus ex aliqua occasione, ut 11, 25 : occasio hic erat timor mulierum), sc. alter ex duobus Angelis de quibus loquitur L., ait ad mulieres M. v. **5** *Nolite timere vos* (*vos*, per oppositionem ad custodes, qui *exterriti* fuerant et *facti velut mortui*, deindeque fugam ceperant) : *scio enim quod* non malo sed bono et pio animo venitis, nempe Jesum *qui crucifixus est quaeritis*, ut religiosum unctionis officium corpori ejus exhibeatis. Verum, L. *quid quaeritis viventem cum mortuis ?* Jesus enim *non est* amplius *hic* (Non aderat per praesentiam carnis, ait s. Greg. *In Ev. h.* 21, ille qui nusquam deerat per praesentiam majestatis) : M. v. **6** *surrexit sicut dixit.* Praedictio, ab ipso facta qui tot miracula patravit, eventu confirmari debuit : L. *Recordamini*

---

(1) L. de duobus Angelis loquitur, M. vero et Mc. de uno tantum mentionem faciunt, certe ideo quod unus ad mulieres sermonem habuerit. Dicimus *et mox videtur alius Angelus* : hoc tamen certum non est ; facile fieri potuit ut ambo simul cernendos se exhibuerint.

(2) **Perridiculae Rationalistarum interpretationes.** Isti, quum Angelos non admittant, incredibiles explicationes, seu potius nugas, magno nisu excogitant : quarum quidem exemplum unum alterumve, ob animi nostri relaxationem et oblectationem, tradere juvat. Docet *Eichhorn, quem laudat *Kuin., angelos, quos mulieres meticulosae primo diluculo (ergo cum adhuc tenebrae essent) in spelunca (certe obscura) videbant, quos Petrus et Joannes, animosiores quam feminae illae, postea non conspexerunt, fuisse candida ὀθόνια *lintea* a Petro et Joanne reperta. Eamque jocosam fabulam repetit *Renan *Les Ap.* : « Peut-être étaient-ce les linceuls blancs qui avaient donné lieu à cette hallucination. » — Esto, sed quid de angelo a militibus, viris sane animosis, viso ? Respondet *Kuin. intelligi flammam quae in terrae motu eruperat, vel formam aliquam candidam et coruscam in apice saxi conspicuam (*une hallucination ?*) ; vel ipsam terrae commotionem dici *angelum,* sicut 2 Reg. 24, 15 pestem (sed pestis cogitatur immissa ab angelo). — Ita rursum sit : verum angeli ad mulieres verba faciunt plurima, et distincte quaedam nuntiant. Quid hoc ? « Erant mulieres conturbatae, inquit *Kuin. ; tunc varii generis cogitationes in animis earum subortae sunt, quas putabant [*les simplottes*] et dicebant esse voces illius Angeli quem viderant. » Risum teneatis... !

qualiter locutus est vobis, cum adhuc in Galilaea esset (M. 17, 22), *dicens: Oportet Filium hominis tradi in manus peccatorum, et crucifigi, et die tertia resurgere.* M. v. **6** *Venite* propius. *et* melius *videte locum ubi positus erat Dominus* (Tisch. vult delere *Dominus* ὁ κύριος, quia ita loqui non solet M., sed vox habetur in fere omnib. codic.): si meis non creditis verbis, vacuo credatis sepulcro (ait s. Hier.).

Sensus non est : Venite. *ingredimini* in speluncam, nam ut supra diximus, et ut constat ex Mc. et L., jam *intus* erant. Si admittamus duplex cubiculum. supponere debemus eas hactenus in priore parte, i. e. in vestibulo stetisse, et tunc invitante Angelo cubiculum interius, ubi loculus erat corporis Jesu, intrasse.

Postquam vero illuc ingressae fuissent, vel (in sententia de unico cubiculo) postquam certius e propinquo vidissent quod jam antea animadvertissent, sc. corpus non amplius adesse, Angelus addidit : Nunc M. v. **7** *cito euntes dicite discipulis ejus (et* praesertim *Petro,* Mc.) *quia surrexit (quia* per hebraismum : latine *dicite eum surrexisse), et ecce praecedit vos in Galilaeam : ibi eum videbitis* (1) : *ecce praedixi vobis,* ego Angelus id affirmo, et fiet sicut praedixi ego : vel potius, ut addit Mc., fiet *sicut* ipse *dixit vobis,* sc. in ultima Coena M. 26, 32. Praesens *praecedit* non sign. : hic et nunc jam iter facit in Galilaeam ; sed sensus est : mox praecedet, ante vos erit in Galilaea ; quando eo vos advenietis, Jesum ibi invenietis.

Duo notamus : Christum pristino amore ferri in discipulos quamvis ignave fugissent, et mulieribus concedi honorem ut primae resurrectionem nuntient, in praemium certe amoris et sedulae sollicitudinis erga Jesum.

8. *Exierunt cito de monumento, cum timore* quidem, ob res mirandas quas viderant, sed simul *cum gaudio magno,* ob laetum nuntium quem audierant (sensa *gaudii* et *timoris* non sese invicem excludunt), et *cucurrerunt nuntiare discipulis* M.

Attamen, ut videtur, consilium suum istud nuntiandi tunc non perfecerunt, quia nimio erant timore correptae : etenim Mc. dicit *nemini quidquam dixerunt, timebant enim.* Vel Judaeos timebant; vel potius, ut narrationis contextus innuit, ex visis et auditis erant

(1) In Judaea quidem visus est Jesus, sed clam et obiter, in Galilaea vero publice et diu.

nimium perterritae, ut Apostolos adire iisque rem gestam exponere ausae fuerint. Nonnisi postmodum, quando ad sepulcrum reversae Jesum viderant, et jussum ab Angelo datum de nuntio Apostolis ferendo ex ore ipsius acceperant, rem totam narraverunt.

Sunt qui verba *nemini quidquam dixerunt* sic explicent : nemini occurrentium in via. Verum series narrationis universa apud Mc. satis indicat sermonem fieri de nuntio discipulis afferendo, non de obviis personis alloquendis.

Cum autem istae profectae essent, accurrunt (certe per viam diversam ab ea quam tenebant mulieres) Petrus et Joannes, quibus Magdalena nuntiaverat ablatum fuisse corpus Jesu. Videamus jam quid ipsis contigerit.

Punct. III. Petrus et Joannes ad sepulcrum accurrunt.

Praeced. vide ante q. 951.

L. 24, 12. Petrus autem surgens cucurrit ad monumentum : et procumbens vidit linteamina sola posita, et abiit secum mirans quod factum fuerat. 13 Et ecce duo ex illis ibant ipsa die etc. *Ante q. 968.*

Praeced. ante q. 951.

J. 20, 3. Exiit ergo Petrus, et ille alius discipulus, et venerunt ad monumentum. 4 Currebant autem duo simul, et ille alius discipulus praecucurrit citius Petro, et venit primus ad monumentum. 5 Et cum se inclinasset, vidit posita linteamina, non tamen introivit. 6 Venit ergo Simon Petrus sequens eum, et introivit in monumentum, et vidit linteamina posita, 7 et sudarium, quod fuerat super caput ejus, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. 8 Tunc ergo introivit et ille discipulus, qui venerat primus ad monumentum, et vidit, et credidit : 9 nondum enim sciebant Scripturam quia oportebat eum a mortuis resurgere. 10 Abierunt ergo iterum discipuli ad semetipsos. 11 Maria autem stabat etc. *Ante q. 959.*

Duo tantum Evangelistae hac de re loquuntur, sc. L. qui de solo Petro mentionem facit, et J. qui factum illud fusius distinctiusque enarrat.

Q. 957. Quid fecerunt Petrus et Joannes, postquam nuntium acceperant de aperto Jesu sepulcro ?

R. Statim ac Maria Magd. illud eis nuntiaverat, ut supra q. 955 diximus (1), J. *exierunt* e domo sua *et venerunt ad monumentum* Erant certe in aliqua domo diversa ab ea in qua tunc alii versabantur Apostoli (2) ; ideoque soli profecti sunt. Currebant autem duo simul, sed Joannes *praecucurrit citius, et venit primus ad monumentum,*

(1) L. 24, 9-12 affirmare videtur Petrum, antequam cucurrerit ad sepulcrum, non a sola Maria Magd., sed a pluribus mulieribus nuntium accepisse : verum Evangelista ille nonnulla contrahit quae ab aliis distinctius narrantur.

(2) Forte non procul a sepulcro, ita ut spatium potuerint ambo currendo perficere.

utpote junior et tenerrimo amore actus. Si, ait Bisp., aliquid agendum fuisset quod ad officium primatus spectasset, si aliquid pro Jesu aut pro Ecclesia faciendum aut patiendum fuisset, Petrus sane a nemine celeritate vinctus fuisset.

Cum igitur Joannes venisset ad monumentum, et *se inclinasset*, quia ostium speluncae non erat valde excelsum, *vidit posita linteamina*, certe posita in terram *(sur le sol, devant le tombeau proprement dit) : non tamen introivit*, prae timiditate et reverentia. *Venit ergo Petrus sequens eum, et introivit*, utpote senior et audacior, *et vidit linteamina posita*, eadem illa quae Joannes per aperturam ostii jam aspexerat ; praeterea vidit *sudarium*, *quod fuerat super caput Jesu*, quodque Joannes a foris non animadverterat. Hoc autem sudarium *non cum linteaminibus positum* erat, sed *separatim involutum in unum locum* (εἰς ἕνα τόπον, in locum distinctum, germ. *an einen besonderen Ort :* nota acc., quia *involvere* includit motum) : certe positum erat in angulo loculi ubi collocatum fuerat corpus Jesu (1).

Q. 958. Joannes ait se credidisse : quid ergo credidit ? probando. Tunc *introivit* etiam Joannes, *et vidit et credidit*, sc., secundum s. Chrys. *in Joan.*, credidit **Jesum a morte surrexisse;** hoc enim conclusit ex eo quod linteamina et sudarium ibi posita, et cum ordine plicata essent. Certe, si quis corpus furatus fuisset, illud abstulisset sicut erat, linteaminibus involutum ; eo vel magis quod multo tempore opus habuisset ad ista avellenda a corpore (ut notat s. Chrys.), cum myrrha sit pharmacum quod usque adeo corporibus adglutinatur, et linteaminibus adhaerescit : et interea temporis milites expergefacti furem apprehendere potuissent.

S. autem Aug. *In Joan.* h. l. et s. Greg. *Hom.* 22 *in Ev.* ita : « Vidit inane monumentum, et credidit quod dixerat mulier, eum « **de monumento esse sublatum** ». Sed sententiam s. Chrys. praefero, tum quia verbum *Credidit* nude positum vim peculiarem habere videtur, ut saepe apud J. (J. 19, 35 *ut et vos credatis :* probabilius, ut credatis in Jesum, tamquam in Messiam) ; tum etiam quia non dicitur quid crediderit, adeoque id supplendum est quod

(1) Hac omnia dicta fuere in hypothesi de unico cubiculo : in altera hypothesi supponemus Joannem intrasse in vestibulum, et se inclinasse quia ostium cubiculi interioris erat submissum ; Petrum autem introisse usque in cubiculum interius.

ex tota materia menti lectoris magis est obvium; atqui resurrexisse Christum est praecipuum ibi argumentum. Deinde, si vera esset Aug. interpretatio, etiam Petrum *credidisse* dicendum fuisset.

S. quidem Aug. in patrocinium suae opinionis adducit verba proxime seq.: *Nondum enim sciebant Scripturas quia oportebat eum a mortuis resurgere.* Possumus tamen ea explicare in hunc modum quod attinet ad Joannem: ipse tunc tantum credidit Jesum ad vitam revocatum fuisse, quando vidit momumentum vacuum, et linteamina posita; quia nondum sciebat Scripturas, nondum perfecte intelligebat oracula Vet. Testamenti de resurrectione Messiae. Ea autem Apostoli plene perceperunt tantum postea, per ipsius Christi redivivi verba (L. 24, 27, 46; Act. 1, 3) et per susceptionem Spiritus sancti (Act. 2, 24 sq.).

Num Petrus etiam Jesu resurrectionem crediderit, certo dici nequit; sententia probabilior est ipsius fidem adhuc fluctuantem et initialem fuisse; L. enim ait *Abiit secum mirans quod factum fuerat.*

Bini autem Apostoli domum statim reversi sunt (forte ex metu Judaeorum, v. 19), ulteriorem Jesu reviviscentis demonstrationem, secundum promissionem ipsius J. 16, 22 *iterum videbo vos*, exspectantes; atque adeo Angelos, qui mulieribus spectandos se obtulerant, in Christi sepulcro non viderunt: hi enim per miram quamdam potestatem id effecerunt ut Apostolorum oculis essent absconditi. Mox tamen conspiciendos se praebuerunt Magdalenae, ut statim narrabimus.

§ 2. DUAE PRIORES JESU APPARITIONES.

I. Christus Magdalenae spectandum se offert.

S. Marcus summarie.

Praeced. vide ante q. 951.

Mc. 16, 9. Surgens autem mane, prima sabbati, apparuit primo Mariae Magdalene, de qua ejecerat septem daemonia. 10 Illa vadens, nuntiavit his, qui cum eo fuerant, lugentibus et flentibus. 11 Et illi audientes quia viveret, et visus esset ab ea, non crediderunt. 12 Post haec autem duobus etc. *Ante q. 968.*

Praeced. ante q. 957.

J. 20, 11. Maria autem stabat ad monumentum foris, plorans. Dum ergo fleret, inclinavit se, et prospexit in monumentum : 12 et vidit duos angelos in albis, sedentes, unum ad caput, et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu. 13 Dicunt ei illi : Mulier, quid ploras ? Dicit eis : Quia tulerunt Dominum meum : et nescio ubi posuerunt eum. 14 Haec cum dixisset, conversa est retrorsum, et vidit Jesum stantem : et non sciebat quia Jesus est. 15 Dicit ei Jesus : Mulier quid ploras ? quem quaeris ? Illa existimans quia hortulanus esset, dicit ei : Domine, si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum : et ego eum tollam. 16 Dicit ei Jesus : Maria. Conversa illa, dicit ei : Rabboni (quod dicitur Magister). 17 Dicit ei Jesus : Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum : vade autem ad fratres meos, et dic eis : Ascendo ad Patrem meum, et Patrem vestrum, Deum meum, et Deum vestrum. 18 Venit Maria Magdalene annuntians discipulis : Quia vidi Dominum, et haec dixit mihi. 19 Cum ergo sero esset etc. *Ante q. 969.*

Marcus (1) solummodo dicit Jesum apparuisse Mariae Magd., *de qua ejecerat septem daemonia* (istud addit, certe hoc sensu : quamvis olim tam misera fuisset, ei tamen primae apparuit Jesus), et illud Apostolis ab eadem nuntiatum fuisse. Sed J. universam illam historiam, cum minimis rerum adjunctis, suavissimo modo narrat. M. autem et L. factum illud praetermittunt.

Q. 959. PRAEVIAE COMMENTATIONES, EX SUMMA S. THOMAE.

Quum de Jesu apparitionibus post mortem, quibus resurrectionis certitudo adaucta fuit, primum sermo fiat, juvat quasdam praemittere considerationes generales et *speculativas*, quales tradit s. Thom. 3, 55, 1.

---

(1) **Quaedam deutero-canonica, non tamen rejicienda.** Quae habet Mc. in fine Evangelii, nempe 16, 9-20, deutero-canonica sunt, quum desint in Sin. et Vat., et quibusdam ss. Patribus dubia visa sint, sc. Eus., s. Greg. Nyss., et s. Hier. cujus haec sunt verba (*Ep. ad Hedib.*, ep. 120, c. 3, ap. Migne) : « Aut, non recipimus Marci testimonium (v. 9 sqq.), quod in raris fertur » Evangeliis, omnibus Gracciae libris pene hoc capitulum in fine non habentibus, praesertim cum « diversa atque contraria Evangelistis ceteris narrare videantur. » Praeterea, haec modo satis abrupto praecedentibus adjiciuntur, et mirum est nihil dici de impleta injunctione v. 7. Tandem, stylus differt a Marco in frequenti πορευεσθαι, in θεασασθαι, in designatione discipulorum per *hi qui cum eo fuerant*. Etiam Tischend. in 7ª ed. hanc rejicit pericopam.

Verum testes, quos ipsemet indicat, satis probant eam rejici non posse : sic habetur in omnibus vetustissimis codic. (praeter Sin. et Vat.) et in vers. Pesch., It. et Vulg. Deinde Evang. Marci non apte clauderetur per *timebant enim*, v. 8. Quae de diversitate styli objiciuntur non sunt decretoria. Patres Eusebio antiquiores admittunt pericopam, ut s. Iren. *Haer.* 3, 10, s. Hippol. etc. Tandem, nonnisi ob rationem exegeticam, quam indicat s. Hier., a quibusdam omissa fuit. Cf. Bisp. in ill. loc. Ceterum, definitio Tridentini de authentia Vulgatae non permittit catholicis tot versus in dubium vocare.

Et 1° quidem, Christi resurrectionem *non* debuisse *omni populo* manifestam fieri, sed *testibus* nonnullis *praeordinatis a Deo* (Act. 10, 41), per quos, secundum pulcram ordinis oeconomiam, ejus notitia ad omnes deferretur.

2° Deinde, nihil fuisse inconveniens in eo quod mulieribus, priusquam viris, videndum se praebuerit: ut femina, quae mortis ministra quondam fuerat, vitae mysterium prima perciperet et nuntiaret, teste s. Cyr. *In J.* l. 12.

3° Docet etiam s. Th. a. 3, sapienter egisse Servatorem, quum identidem, non continenter, cum discipulis versatus fuerit; et quum die primo, saepius quam deinceps, atque in Galilaea *magis publice* quam in Judaea, apparuerit.

4° Probat quoque a. 6, ipsum de cetero argumentis plane sufficientibus veritatem suae resurrectionis demonstrasse.

Jam **de 1ª apparitione** dicendum singillatim.

Q. 960. Quid contigit quando Maria Magd. iterum venit ad sepulcrum?

R. Maria Petrum et Joannem secuta erat; postquam autem illi abierant, ipsa permansit, quasi a loco, ubi repositus fuerat dilectus ejus, se divellere non posset. Etiam discipulis recedentibus, ait s. Greg. *H. 25 in Ev.*, ipsa non recedebat: tanta erat vis amoris ejus. *Stabat* ibi *ad monumentum foris*, coram ostio speluncae, in aperto aere (1): « Multum eam consolabatur vel conspectum monumen-« tum (s. Chrys.) »; stabat *plorans*, ex amore et tristitia: « Proclive ad misericordiam est muliebre genus (s. Chrys.). »

Ecce, cum intrare non audeat, *inclinat se et prospicit in monumentum* (2), sicut Joannes fecerat, ut supra narratum fuit; et videt *duos Angelos* vestibus *albis* indutos, eosdem certe qui paulo ante aliis piis mulieribus apparuerant L. 24, 4 (a Petro et Joanne visi non fuerant, quia eorum fides aliis rationibus inniti debebat, J. 20, 9). Videt eos *sedentes unum ad caput et unum ad pedes, ubi positum fuerat corpus Jesu:* certe non sedebant super ipsum loculum, sed ad pedem ejus super solum rupis. Isti sub forma humana ordinaria latebant, et Maria non animadvertit eos Angelos esse, sed putat viros esse vestibus albis, qua'es saepe Judaei honesti gestabant, indutos (nota non dici vestes fuisse *fulgentes*, miro-

(1) Si admittatur duplex cubiculum, oportebit sumere *foris* in sensu parum obvio: stabat foris locum ubi erat sepulcrum, stabat in cubiculo priore, ex quo inclinando se et caput protendendo prospexit in cubiculum interius, ubi erat corpus Christi.

(2) **Praeclare s. Greg.** Jam ante prospexerat et sepulcrum vacuum viderat, secundum nonnullorum opinionem (q. 955), ideoque putaverat corpus Jesu sublatum fuisse: sed, ait s. Greg. *Hom. 25*: « Amanti semel aspexisse non sufficit, quia vis amoris intentionem multiplicat inquisitionis: perseve-« ravit ut quaereret, unde et contigit ut inveniret: actumque est ut desideria dilata crescerent, et « crescentia caperent quod invenissent. »

que lumine circumdatas, sicut dicit L. 24, 4 de angelis qui antea mulieribus apparuerant): imo vero tristitia adeo mentem ejus occupat, ut eorum praesentiam in spelunca non miretur. Non turbatur aut exterritur, nam « Vel ipse habitus (angelorum) hilarita- « tem et gaudium prae se fert (s. Chrys.) »; dein invitatur ad colloquium, cum *dicunt ei illi* (1): *Mulier, quid ploras?* Respondet cum fervore simul et amore: *Quia tulerunt Dominum meum, et nescio ubi posuerunt eum.*

Subito apparet Jesus.

Haec cum dixisset, subito *se convertit retrorsum*, puta, quia audierat aliquem accedentem, vel (s. Chrys.) quia ex vultu gestuque angelorum obstupescentium conclusit aliquem retro se stare : vidit Jesum *stantem*, sed eum non agnovit: sive propter animi turbationem, sive propter oculorum aciem lacrymis impeditam; vel potius, quia oculi ejus tenebantur ne eum agnosceret, quemadmodum discipulis Emmauensibus accidit, L. 24, 16. Tota narratio supponit Dominum extra monumentum stetisse, in horto, prope speluncam : quod favet opinioni de unico cubiculo.

Dicit ei Jesus: *Mulier quid ploras?* (sicut Angeli dixerant) *quem quaeris?* nota *quem quaeris?* non *quid quaeris?* Divina enim scientia noverat mentem mulieris. « Interrogatur doloris causa, ait « s. Greg. *H.* 25, ut augeatur desiderium. » Illa autem existimat *hortulanum* esse, cui Joseph ab Arim. curam custodiamque horti illius, in quo erat sepulcrum, commiserat; quod valde naturale erat quum videret virum illum sibi ignotum jam primo mane in horto adstantem. Dicit ei: *Domine* (reverentiae verbum, quo eum sibi lucrari cupit), *si tu sustulisti eum, dicito mihi ubi posuisti eum, et ego eum tollam.* Attende ad pronomen *eum:* Jesum non nominat, quia eo plena est mens ipsius, ideoque haud suspicatur fieri posse ut olitor non intelligat de quonam loqui velit. Hoc amantium est (ut notat s. Greg. l. c.), qui, quum nihil nisi dilectum cogitent, putant alios etiam de ipso cogitare: « Magna benevolentia, magnus amor « mulieris erat », ait s. Chrys.

Respondet ei Jesus : **Maria !** ac si aperte dicat (ait s. Greg. ib.) :

(1) Secundum opinionem de duobus cubiculis oportet supponere angelos ex interiore cubiculo eam allocutos fuisse, vel ad colloquendum in exterius cubiculum progressos fuisse. Haec autem satis arbitraria sunt : tota Joannis narratio favet unico cubiculo : q. 942.

Recognosce eum a quo recognosceris. Maria autem, nomen suum cum audiat pronuntiari a voce amica, sonitum vocis statim agnoscit, et *conversa* (post quaestionem quam fecerat rursum sepulcrum respexerat) exclamat **Rabboni,** i. e. magister ! (*Rabboni* cum *iod* probabiliter paragogico) : forma רַבּוֹנִי *rabboni* reverentior est quam רַבִּי *rabbi :* cf. Mc. 10, 51. Nimio jam mentis affectu commota, amplius quid dicere nequit, et certe in genua se provolvit ut magistri carissimi pedes fervida osculetur.

Tunc Jesus verba quaedam profert valde obscura : *Noli me tangere* etc., de quibus specialem statim proponemus quaestionem. Simul dat ei praeceptum, ut laetum nuntium de Ascensione mox futura ad alios deferat discipulos : *Vade*, inquit, *ad fratres meos* (nota vocem *fratres*, qua Christus insignem testatur amorem), *et dic eis* : *Ascendo* mox ascendam *ad Patrem meum et Patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum.*

Jesu benignitas. Quando addit *Patrem vestrum et Deum vestrum*, significat fore ut in cœlum ascendat, non tantum ut gloria et honore decoretur ipse, verum etiam ut discipulis suis summam largiatur felicitatem. Quis Christi benignitatem erga eos non miretur ? praesertim si eorum fugam ignavam recordetur.

Itaque Maria ad Apostolos (certe in cœnaculum congregatos, quo Petrus et Joannes etiam se receperant post reditum a sepulcro) statim perrexit, eosque invenit *lugentes et flentes* Mc. : dixit se vidisse Dominum, ejusque verba retulit J. : at illi *non crediderunt ei* Mc.

Noli me tangere (J. citat. p. 1240).

Q. 961. 1° In quibus rerum adjunctis dixit Jesus : *Noli me tangere ; nondum enim ascendi ad Patrem meum ?* 2° Quid verba illa secundum varias interpretum sententias significant ?

R. ad 1^m. Hoc dixit, ut statim explicavi, ad Mariam Magd., quando ipsi spectandum se praebuit, eidemque agnoscendum se dedit per hoc quod eam nomine proprio compellaret. Confestim enim mulier illa, incredibili acta amore, ad pedes ejus, ut eos complecteretur et oscularetur, se projecisse videtur. Jesus autem dixit ei : *Noli me tangere* etc.

R. ad 2m. Secundum **probabiliorem** sententiam Mald., A Lap., Beel., cui favet All., et (partim) Bisp., Jesus eam dulciter admonet cito agendum esse, et tempus non deperdendum in amplexibus, sed absque mora futuram suam ascensionem discipulis nuntiandam esse. *Noli*, ait, *me tangere* (ἅπτεσθαι cum genit., sign. *s'accrocher à*, *se suspendre à*), noli me adeo fortiter attingere et contrectare, noli mihi adhaerere, noli me totidem detinere amplexibus ; *nondum enim ascendi ad Patrem meum*, i. e. nondum ascendo (praet. pro praesente, ex ingenio linguae hebraicae, ait Allioli ; vel, ut Mald., secundum nostrum loquendi modum, cum dicimus v. gr. nondum discessi, pro non tam cito discedam), adhuc vobiscum aliquamdiu conversabor, adeoque postea non deerit tibi opportunitas me amplectendi tuumque satiandi amorem. Nunc igitur desiste, aliud enim facto opus est : *vade* statim *ad fratres meos, et dic eis : Ascendo* (resurrexi ut mox ascendam) *ad Patrem meum et patrem vestrum, Deum meum et Deum vestrum* : itaque ascendam ut locum vobis praeparem ; vadam quidem ad Patrem meum, sed ipse etiam Pater est vester, ideoque vos etiam ad eum quondam venietis.

Difficultas tamen quaedam est in hoc, quod, si hic esset verborum sensus, Christus dixisset sane : Vade ad fratres meos et dic eis : Resurrexi, iterum vobiscum versabor, et per tempus satis diuturnum, usquedum ascendam ad Patrem meum. Nunc autem fere contrarium dixit : *Ascendo* (i. e. mox ascendam) *ad Patrem meum.*

2a **Explicatio.** Sunt qui putent Christum noluisse permittere ut mulier ipsum tangeret, vel quia non meretur tangere resurgentem quem mortuum credit in sepulcro (s. Hier. *Epist.* 39 ad Paulam) ; vel, secundum s. Chrys. *in Joan.*, quia hoc non decebat fieri in corpus gloriosum, quasi diceret : *Noli me tangere* solita illa tua corporalis amplexus familiaritate ; jam *enim* excellentioris sum conditionis quam olim : *nondum* quidem *ascendi ad Patrem meum*, sed brevi sum ascensurus, quod te fratribus meis nuntiare volo. Verum huic explicationi duo obstant : a/ potestas quam paulo post Apostolis dubitantibus dedit ut ipsum palparent (q. 969 et 972) ; imo vero alias mulieres non prohibuit quominus pedes ejus amplecterentur, M. 28, 9 ; dein b/ vis quae connexioni per *enim* indicatae infertur.

3ª **Explicatio.** *Noli me tangere*, noli me ita amplecti quasi velis mihi perpetuo adhaerere (sensa forsitan Mariae erant illa Cant. 3, 4 *Inveni quem diligit anima mea, tenui eum nec dimittam*) : *nondum enim ascendi ad Patrem meum ;* oportet ut prius ad eum ascendam, tunc me frui amoremque satiari poteris, nempe spirituali modo, quando mecum fueris in regno Patris mei, qui est etiam Pater tuus. Vade autem ad fratres meos, et nuntia eis fore ut ascendam *ad Patrem meum et Patrem vestrum*, in meam vestramque perfectam gloriam et felicitatem.

II. Jesus 2º spectandum se offert, sc. mulieribus.

Praeced. vide ante q. 951.

M. 28, 9. Et ecce Jesus occurrit illis, dicens : Avete. Istae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus, et adoraverunt eum. 10 Tunc ait illis Jesus : Nolite timere, ite, nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaeam, ibi me videbunt. 11 Quae cum abiissent etc. *Ante q. 965.*

Concordia Evangelistarum. Si narrationem M. universam, ab initio capitis 28, legamus, quin alios attendamus, facile in eam deveniemus opinionem, duas tantum mulieres, Mariam Magd. et alteram Mariam, ad sepulcrum venisse ; et cum inde redirent, Jesum primum conspiciendum se praebuisse, sc. istis mulieribus, et permisisse ut pedes ejus amplecterentur : adeo ut Magdalenae apud M. concedi videatur, quod apud J. 20, 17 ipsi denegetur. Sed, si ceteros Evangelistas cum M. comparemus, facile admittemus a/ plures alias adfuisse mulieres, b/ Jesum ad ipsas accessisse, non cum primum redirent in urbem, sed posteaquam iterum ad sepulcrum venissent ; tandem c/ Magdalenam, cui soli jam sese ostenderat Dominus, tunc cum ipsis non fuisse.

Q. 962. Ea quae facta sunt, cum Jesus mulieribus se spectandum obtulit, enarra. Adde quaenam fuerint sensa eorum quibus mulieres illae rem nuntiarunt.

R. Haec apparitio contigisse videtur cum mulieres sanctae ad sepulcrum *iterum* venerant. In priore autem accessu sepulturae locum invenerunt vacuum, sed viderunt Angelos qui jusserunt eis ut discipulis nuntiarent Jesum ad vitam revocatum fuisse (1) ;

(1) Aliqui interpretes putant eas angelicae jussioni prae timore obsecutas haud fuisse, Mc. 16, 8 *Nemini quidquam dixerunt ; timebant enim :* vide supra ad M. 28, 8.

interea temporis Petrus cum Joanne, et post eos Maria Magd., advenerunt ad sepulcrum. Postquam haec ultima viso Jesu abiisset, mulieres eodem reversae sunt, certe ut inquirerent si nihil novi ibi ageretur : tunc M. v. **9** *Jesus occurrit illis, dicens* etc.

Sunt qui rerum seriem ita ordinent : quando mulieres primum venerunt, in monumentum introierunt et non invenerunt corpus Jesu : illico abierunt ut hoc Apostolis nuntiarent. Cum autem iterum adiissent sepulcrum, tunc apparuerunt eis Angeli, qui Jesum ad vitam surrexisse dixerunt jusseruntque ut hac de re certiores redderent discipulos. Statim se itineri commiserunt ut redirent Jerusalem, sed *ecce Jesus occurrit illis, dicens* etc.

Quoquo modo ista omnia se habuerint, Jesus mulieribus occurrens dixit *Avete! Illae autem accesserunt, et tenuerunt pedes ejus et adoraverunt eum.* Pedes, non caput amplectuntur, ex verecundia et reverentia (sic Ex. 4, 25 Sephora *pedes* Moysis, viri sui, tetigit (2) ; pariter Sunamitis *pedes* Elisaei supplex apprehendit 4 Reg. 4, 27). M. v. **10** *Tunc ait illis Jesus : Nolite timere* (ex illa voce novimus eas tremebundas ad pedes ejus cecidisse) : *ite nuntiate fratribus meis ut eant in Galilaeam : ibi me videbunt :* idem jam mulieribus dixerant Angeli, supra v. 7.

Apparitio autem *in Galilaea* peculiari modo praenuntiatur, forsitan ideo quod futura esset valde illustris, quum ibi, in monte quodam, Jesus plus quam 500 fratribus simul visus sit : 1 Cor. 15, 6 (coll. M. 28, 16 ?).

Animadverte verba Jesu *fratribus meis :* numquam antea eos dulci hoc nomine compellavit ; nunc, morte devicta per resurrectionem, majore affectu eos complectitur, eosque corroborat spe futurae gloriae quam participabunt tamquam *fratres* ejus.

Tenuerunt pedes. **Accommodatio moralis** ex s. Chrys.: « Aliquis « fortasse vestrum cuperet insignium illarum instar mulierum « pedes Jesu tenere ? Nunc etiam potestis, si qui vultis, neque pedes « et manus tantum, sed etiam caput illud sacrum contingere, dum « pura conscientia ss. mysteriorum consortes estis. »

(2) Secundum Vulg. Sephora videtur Moysis pedes tetigisse seu osculata fuisse, eo fine ut veniam peteret de gravissimo periculo quod vir suus subierat : ipsa enim pueri circumcisioni verisimiliter se opposuerat hactenus, atque ita iram Jehovae contra Moysen incenderat. Plures vero auctores alium verbis Hebraeis sensum tribuunt. De cetero locus est valde obscurus.

Et regressae a monumento L., *nuntiaverunt haec omnia illis undecim et ceteris omnibus :* sed *verba ista visa sunt deliramentum, et non crediderunt illis.* Fortasse excipiendus est s. Joannes, qui, ut supra diximus (q. 957), secundum probabiliorem sententiam vera fide credidit Jesum ad vitam rediisse.

De primis Jesu apparitionibus generatim spectatis.

Q. 963. Secundum Scripturam cui primum, cui iterum, cui tertio visus fuit Christus a mortuis revocatus ? 2° Quare mulieribus spectandum se offerre voluit, quum ipsae essent minus aptae ut publice et coram populo de resurrectione testimonium redderent (*Mulieres in ecclesiis taceant* 1 Cor. 14, 34) ? 3° Quare feminis priusquam viris sese ostendit ?

Ante responsum notandum est quaestionem institui de iis Christi apparitionibus, quae *in Scriptura* memorantur : juvat tamen hic, data opportunitate, verbulum addere de opinione eorum qui autumant istis apparitionibus praeponendam esse aliam, de qua tacent ss. Literae, quamque putant matri Jesu contigisse.

Q. 964. Num Jesus matri suae primum visus fuerit.

Sententia affirmans. Ben. XIV *De festis*, c. 8, 45 piam tenet sententiam Jesum, vita recuperata, ad matrem primum accessisse, quamvis hac de re Scriptura nihil dicat. Hoc enim fieri *decuit*, ait Mald. *in M.* 28, 16. Concinunt Luc. Brug. *in Mc.*, Jans. uterq., Suarez etc. Isti conjecturae favent Sedulius poeta, Ps.-Anselm. (scil. Eadmerus monachus, Anselmi discipulus et comes individuus) *De excell. Virg. M.*, c. 6 (in op. s. Ans. ed. M. vol. 2°); s. Bonav. in *Vita Chr.* c. 87. In patrocinium hujusce opinionis citari solet s. Ambr. *De virg.* c. 3 : « Vidit Maria resurrectionem « Domini ; et prima vidit et credidit. Vidit et Maria Magd., quamvis adhuc ista « nutaret. » Sed Maria illa prima videtur intelligi Maria Cleophae, ut colligitur ex s. Ambr. *in Lucam* l. 10, n. 154.

Porro silentium Scripturae inde explicari potest quod inutile fuisset fidelibus christianis id referre, quum facile et quasi *a priori* istud admitterent ; quod autem attinet ad alios non credentes, testimonium matris pro filio invocandum non esse.

Sententia negans. Contradicit tamen Estius *in Mc.* 16, et animadvertit rationes convenientiae adhibendas esse ad probabilius reddendum id quod Scriptura dicit, non autem ad stabiliendum id quod Scriptura tacet ; praeterea, ex simili ratione contendi posse B. Mariam V. debuisse primam accipere ss. Eucharistiam ; tandem Jesum matri non apparuisse, quia firma in fide erat et fortis in patientia, ideoque isto beneficio minime egebat. Ita etiam Petr. Bles. *Ep. 50.* Cf. Molan. 4, 13.

His praemissis, jam ad q. 963 venimus.

R. ad 1m. Prima apparitio, de qua loquuntur ss. Literae, facta est Mariae Magd., ut Mc. aperte affirmat : *Surgens mane prima sabbati, apparuit primo Mariae Magd.* Secunda vero facta est mulieribus, 3a Petro, ut infra dicemus.

R. ad 2m. Permittitur mulieribus ut privatim aliquos domestica admonitione et doctrina instituant ; et ideo s. Ambr. *in L.* l. 10, n. 165 : « Ad eos, ait, femina « mittitur qui domestici sunt. » Cf. s. Thom. 3, 55, 1.

Mulieribus prius quam viris apparet. R. ad 3m. Propter duplicem praesertim rationem praeponuntur mulieres : 1° « Ordo, ait s. Hilar., in contrarium « causae principalis est redditus : ut, quia a sexu isto coepta mors esset, ipsi pri- « mum resurrectionis gloria, et virtus, et fructus, et nuntius redderetur. » Et s. Hier.: « Merebantur primum audire *Avete*, ut maledictum Evae mulieris in mulie- « ribus subverteretur. » 2° Alteram rationem magis literalem addit Ps.-Cypr. *Tract. De cardin. oper. Ch.*, sc. in *Serm. de res.* : « Primae viderunt et cognoverunt, quae « ardentius dilexerunt, quae devotius quaesierunt. » Concinit s. Hier. in verbis quae supra q. 944 citavi. Tertiam causam ponit Estius *in M.* : ut discipuli haberent occasionem dubitandi, inquirendi et explorandi, priusquam crederent, atque ita fidem nostram certiorem redderent.

§ 3. CUSTODES PECUNIA CORRUPTI : 28, 11-15.

Praeced. vide ante q. 962.

M. 28, 11. Quae cum abiissent, ecce quidam de custodibus venerunt in civitatem, et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant. 12 Et congregati cum senioribus, consilio accepto, pecuniam copiosam dederunt militibus, 13 dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum, nobis dormientibus. 14 Et si hoc auditum fuerit a praeside, nos suadebimus ei et securos vos faciemus.

15 At illi, accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti. Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos, usque in hodiernum diem. 16 Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam etc. *Ante q. 977.*

Solus M. haec narravit, fortasse ideo quod pro Judaeis specialiter scripserit.

Q. 965. Rationalistae confutati.

Supra jam, ad M. 27, 62-66, notavimus historiam custodum, quam solus M. tradit, a multis Rationalistis in dubium fuisse vocatam. Difficultates quasdam ab istis objectas ibi diluimus. Praeter illas et alias excogitarunt, quas nunc indicabimus.

Quatuor objectiones.

Dicunt 1° mirum esse mulieribus, quae mane ad sepulcrum venerunt, de custodia apposita nihil notum fuisse. — Sed verisimile admodum est nonnisi vespere antea (vespere diei sabbati) munitum fuisse sepulcrum, idque secreto, quantum fieri potuit.

2° Contendunt etiam vix probabile esse Judaeorum principes

tam facile fidem adhibuisse custodum narrationi. — Sed, cedo, quare milites rem illam, si vera non fuisset, finxissent ?

3° Addunt neminem esse qui sibi persuadebit Magnum Synedrium, in quo aderant viri prudentissimi, qualis erat Gamaliel, consilium iniisse stolidissimum de furato corpore dormientibus custodibus. — Utique stolidum fuit consilium, sed quid melius excogitare potuissent ? Ut saepe fit, mentita est iniquitas sibi : calliditas enim contra veritatem quid tandem efficeret ?

4° Disciplina militaris erat nimis severa, quam ut Procurator non puniisset milites qui suo mendacio sibi omnem excusationem ademissent. — Sed milites pro causa sacerdotum egerant, et quamdiu ipsi de re non querebantur (id autem facere non poterant, nam veritas ex testimonio militum patefacta fuisset), cur, quaeso, Pilatus negotium istud sibi attraheret ? Ipse non erat tam addictus Judaeis, praesertim post totam historiam judicii contra Jesum, ut propter rumorem popularem quaestionem institueret de culpa a militibus contra Synedristas commissa. Denique, ultimum verbum quod eis dixit M. 27, 65 *Ite, habetis custodiam* (q. 946) satis ostendit eum taedio captum fuisse.

Q. 966. Quid milites, sepulcri custodes, statim post Christi resurrectionem fecerunt? Quomodo a Judaeis corrupti fuerunt ut falsum dicerent testimonium ?

R. *Custodes* (nempe quatuor illi qui vicem vigiliae suae exercebant, q. 947), ut vidimus supra ad M. 28, 4, aspectu Angeli, sicut fulgur fulgentis, *exterriti fuerant et facti velut mortui ;* deinde, ut multi putant, sensibus recuperatis fugerunt huc illucque. Jam vero, eodem tempore quo mulieres sanctae post visum Jesum ibant ad Apostolos (M. **11** *quae cum abiissent*, melius *quae cum abirent*, πορευομενων δε αυτων, in praesenti), *quidam* ex illis militibus (dum alii forsitan ad stationem suam prope sepulcrum redierunt, vel potius alii alio fugerunt terrore propulsi) *venerunt in civitatem et nuntiaverunt principibus sacerdotum omnia quae facta fuerant.* Isti milites Romani a Pilato Synedristis concessi fuerant pro custodia sepulcri, et proinde nuntium ad ipsos referre debebant.

Hi autem principes debuissent converti ad poenitentiam (ait s. Hier.), et Jesum quaerere reviviscentem : sed perseverarunt in

malitia : etenim v. **12** congregarunt *seniores* (1), *et consilio accepto,* συμβουλιον λαβοντες, i. e. cum deliberassent inter se, *pecuniam copiosam* (αργυρια ικανα, i. e. tantum quantum necesse erat) *dederunt militibus,* **13** *dicentes : Dicite quia discipuli ejus nocte venerunt, et furati sunt eum nobis dormientibus.* Rem ita cogita : custodes dicerent se dormiisse, forte quia ridiculum ipsis visum esset in gratiam sacerdotum mortuum cruciarium custodire ; et post longum somnum evigilantes se vidisse sepulcrum vacuum, unde necessario concluserant discipulos cadaver esse furatos.

Synedristae vere stolidi. Consilium autem hoc satis astutum quidem erat, et unica via se expediendi, si verum fateri nolebant ; sed in se consideratum erat stolidum, dici potest consilium vere dormientium : nam, ut ait s. Aug. *in Ps.* 63, 7 : « si milites « dormiebant, quid videre poterant ? Si nihil viderant, quomodo « testes sunt ? » Unde lepide addit idem s. Aug. : « Dormientes « testes adhibes. Vere tu ipse obdormisti, qui scrutando talia « defecisti. » Respicit ad verba Psalmi : *Defecerunt scrutantes scrutationes.* Si nullam apposuissent custodiam, potuissent cum quadam veritatis specie affirmare corpus a discipulis clanculo ablatum fuisse : nunc autem, quis tamquam verisimile admittet sepulcrum lapide et sigillo tam bene munitum a discipulis timidis effractum fuisse coram militibus Romanis ?

Inepte dicunt Apostolos furatos fuisse corpus. Praeterea, ut ratiocinatur s. Chrys., quomodo furarentur, qui nec apparere audebant ? Et si fugerunt cum eum adhuc vivum viderent, quomodo eo mortuo milites non timuissent ? Et quare non prima potius nocte furati essent, quando nemo aderat ? Et si essent furati, an cadaver linteaminibus et sudario exuissent, eaque ibi reliquissent, atque adeo tempus inutiliter perdidissent, et in exeundo morati fuissent ? Deinde vix credibile erat, in potestate discipulorum fuisse ut insciis militibus magnum sepulcri lapidem revolverent et corpus auferrent. Tandem quid, cedo, lucrati fuissent, si hanc fraudem committere debuissent ? Certo novissent magistrum suum esse veteratorem, et se mortis periculo

(1) Non congregarunt *totum* synedrium, ut videtur, forte quia convocandi etiam fuissent Joseph ab Arimathaea et Nicodemus, qui rem prodidissent.

pro eo haudquaquam exposuissent. Ergo, vere et verissime *mentita est iniquitas sibi*, Ps. 26, 12. Haec omnia pulcherrime evolvit s. Chrys.

Pergunt autem Judaei : **14** *Si auditum fuerit a praeside* (ὑπο, sed alia lectio forsitan melior habet επι *apud* praesidem, quod sign. si ejus rei rumor ad praesidem perlatus fuerit, sensu generali) vos dormiisse tempore vigiliae vestrae, *nos* (cum emphasi, *nos* viri nobiles et auctoritate valentes apud praesidem, *nos* a quibus vos missi eratis, et in quorum commodum vigilias egistis) *suadebimus ei* ut poenam a vobis non repetat, *et securos vos faciemus*. Facile enim nobis credet Pilatus, et vos indemnes relinquet, siquidem nostrum maxime intererat ut vigilaretis, et in damnum nostrum somno indulsistis. Id autem eo securius promittere poterant, quod ex ultimis Pilati verbis M. 27, 65 satis intellexissent mentem ei non esse ut huic negotio sese deinceps immisceret, quippe qui sepulcri custodiam aliaque huc spectantia haberet tamquam res privatas Judaeorum. Igitur, milites prompte acquieverunt, et **15** *accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti*.

Itaque Judaei bis usi sunt pecunia ut invidiam in Christum explerent : 1° Judam proditorem et 2° custodes sepulcri corruperunt. Quod autem attinet ad hoc ultimum factum, **merito observat Lucas Brug.**: « Nisi certa res ipsis visa fuisset, et manifestior quam ut de ea posset dubitari, non numerassent pecuniam, sed accusassent milites proditi officii. » Ergo, ipsimet plene persuasi erant miraculosi illius eventus : iterum, ut saepe antea, veritati cognita obsistunt, et perversitatis inveteratae signum dant. Simul demonstratur quum verum sit illud Jesu L. 16, 31 *Si Moysen et Prophetas non audirent, neque si quis ex mortuis resurrexerit credent*.

In fine hujus narrationis addit M. **15** : *Et divulgatum est verbum istud apud Judaeos*, sc. discipulos furatos esse corpus, non milites pecunia corruptos mentitos fuisse, nam obstat *apud Judaeos*. Addit M. *usque in hodiernum diem :* intelligitur tempus quo Evang. prodiit, 10 circiter annis postea, vel forsitan tempus diuturnius, nempe quando graeca versio Matthaei vulgata fuit. Notat s. Just. *Dial. cum Tryph. 108*, Judaeos omni modo conatos fuisse istud commentum ubique propagare : quod etiam testatur Tert. *Adv. Marc. 3, 23*, et Eus. *in Is. 18, 1*. Et hodiedum illud ipsum contumaciter affirmant.

§ 4. CHRISTI APPARITIO 3ª ET 4ª.

Q. 967. M. neutrius facti meminit; verum, ut in hac ultima Evangelii parte solemne nobis est, ex aliis Evangelistis supplemus ea quae ad completam historiae narrationem requiruntur.

Tertia Christi apparitio facta est Petro L. 24, 34, cit. hic infra coll. 1 Cor. 15, 5: hujus autem eventus nulla temporis locique adjuncta in Scriptura narrantur, nullaque fit mentio de colloquio quod Jesus cum Petro forte habuit.

Quarto autem Servator discipulis Emmauntem euntibus spectandum se obtulit, ut longe lateque narrat L. 24, 13-35, et breviter Mc. 16, 12, 13. Quam quidem historiam nunc exponemus.

Christus apparet discipulis Emmaus.

MARCUS SUMMARIE.

Praeced. vide ante q. 959.

Mc. 16, 12. Post haec autem duobus ex his ambulantibus ostensus est in alia effigie, euntibus in villam: 13 et illi euntes nuntiaverunt ceteris: nec illis credide-runt. 14 Novissime recumbentibus etc. *Ante q. 969.*

LUCAS FUSIUS ET PLENIUS.

Praeced. ante q. 957.

L. 24, 13. Et ecce duo ex illis ibant ipsa die in castellum, quod erat in spatio stadiorum sexaginta ab Jerusalem, nomine Emmaus: 14 et ipsi loquebantur ad invicem de his omnibus quae acciderant.

15 Et factum est, dum fabularentur, et secum quaererent: et ipse Jesus appropinquans ibat cum illis: 16 oculi autem illorum tenebantur ne eum agnoscerent. 17 Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis ad invicem ambulantes, et estis tristes?

18 Et respondens unus, cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Jerusalem, et non cognovisti quae facta sunt in illa his diebus? 19 Quibus ille dixit: Quae? Et dixerunt: De Jesu Nazareno, qui fuit vir propheta, potens in opere et sermone, coram Deo et omni populo: 20 et quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes et principes nostri in damnationem mortis, et crucifixerunt eum. 21 Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israel: et nunc super haec omnia, tertia dies est hodie quod haec facta sunt. 22 Sed et mulieres quaedam ex nostris terruerunt nos, quae ante lucem fuerunt ad monumentum, 23 et, non invento corpore ejus, venerunt, dicentes se etiam visionem angelorum vidisse, qui dicunt eum vivere. 24 Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum: et ita invenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum vero non invenerunt.

25 Et ipse dixit ad eos: O stulti, et tardi corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae! 26 Nonne haec oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam? 27 Et incipiens a Moyse, et omnibus Prophetis, inter-

pretabatur illis in omnibus Scripturis, quae de ipso erant.

28 Et appropinquaverunt castello quo ibant: et ipse se finxit longius ire. 29 Et coegerunt illum, dicentes: Mane nobiscum, quoniam advesperascit, et inclinata est jam dies. Et intravit cum illis. 30 Et factum est, dum recumberet cum eis, accepit panem, et benedixit, ac fregit, et porrigebat illis. 31 Et aperti sunt oculi eorum, et cognoverunt eum: et ipse evanuit ex oculis eorum. 32 Et dixerunt ad invicem: Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, et aperiret nobis Scripturas?

33 Et surgentes eadem hora regressi sunt in Jerusalem: et invenerunt congregatos undecim, et eos qui cum illis erant, 34 dicentes: Quod surrexit Dominus vere, et apparuit Simoni. 35 Et ipsi narrabant quae gesta erant in via: et quomodo cognoverunt eum in fractione panis. 36 Dum autem haec loquuntur etc. *Ante q. 969.*

Analysis methodica totius historiae.

Q. 968. Circa apparitionem discipulis Emmauntem euntibus factam, quaeritur: 1° Quinam erant isti discipuli, 2° et quando res illa contigit? 3° Ubi situs est Emmaus? 4° Quare in *alia effigie eis ostensus est* Mc.? 5° Quodnam colloquium Jesus cum ipsis habuit in via? 6° Quid dixerunt isti quando Emmaunti appropinquaverant? 7° Numquid Jesus mentitus est, saltem per signa, si non per verba, quando *finxit se longius ire?* 8° Quomodo se eis agnoscendum dedit? 9° An panem sacramentali atque Eucharistica benedictione consecravit? 10° Tandem adde quid discipuli illi, postquam Dominus ex eorum conspectu se subduxisset, fecisse legantur.

R. ad 1m. Erant duo Jesu discipuli, adeoque tales qui in eum credebant, et, ut ipsimet fatentur, qui v. 21 *sperabant quia ipse esset redempturus Israel.* Unus vocabatur *Cleophas*, Κλεοπας, quod nomen, secundum nonnullorum conjecturam, idem est ac *Cleopatros*, per contractionem *Cleopas*, sicut *Antipas* ex *Antipatros*: certe non idem est vir ac *Clopas*, alias *Cleopas* vel *Cleophas*, a quo Maria quaedam, soror matris Jesu, vocata fuit *Maria Cleophae* J. 19, 25.

R. ad 2m. Ipsomet resurrectionis die, circa vesperam, res contigit.

R. ad 3m. Emmaus erat *castellum* (κωμη, *vicus*, *pagus*; unde Mc. *villa*) 60 *stadiis* (1), i. e. circiter 11 kilometris distans a Jerusalem: Fl. Jos. *B. J.* 7, 6, 6 vocat illud Αμμαους, eique etiam distantiam

(1) Loco *sexaginta* aliqui cod. (v. gr. Sin.) habent *centum sexaginta*, quod favet sententiae eorum qui locum dicunt esse Emmaum-Nicopolim. Verum lectio Vulgatae longe praevalet, cf. Tisch. 7a ed.

60 stadiorum assignat. Situs ejus solet quaeri in hodierno *Koubeibeh (au nord-ouest de Jérusalem)*, qui reipsa itinere 2 hor. et 38 min. (F. Liévin, *Guide*) ab urbe distat. Fouard putat fuisse locum qui nunc *Koulonieh* vocatur ; verum hic sex tantum kilometris ab urbe remotus est. Plures recentiores cum s. Hier. *De situ et nom.*, et *Ep. ad Eustoch.* 108, 8, et Eus., hunc vicum Emmaus, de quo scribit L., non distinguunt ab Emmaunte de quo 1 Mach. 3, 40 mentio fit, quodque postea *Nicopolis* vocatum fuit : sed hanc opinionem amplectuntur immerito, ut ostendit *Smith, *Dict.*, quum hoc ultimum ab Urbe nimium distet, nempe 176 stadiis. Vid. not. marg. modo traditam.

In hac apparitione 4ª Jesus *ostensus est in alia effigie*, ait Mc. : hoc non sign. in alia quam Magdalenae ostenderat, de qua statim antea locutus fuerat Mc., sed in alia quam discipuli videre solebant, seu in extraordinaria effigie quam non agnoverunt : *oculi* enim *illorum tenebantur* vi quadam superna *ne eum agnoscerent* L. v. 16. Non oportet hic cogitare corpus gloriosum, sed formam humanam terrestrem.

Nunc ad quaestionem quare Jesus voluerit uti alia effigie ut non agnosceretur.

R. ad 4m. Certe voluit eos prius instruere de necessitate et de fructu Passionis suae et resurrectionis, ut eos ita praepararet ad credendum : oculos mentis reseravit ut prudenter aperiret oculos corporis. Non multum differt ratio quam tradit s. Greg. *Hom.* 23 *in Ev.* : « Hoc egit foris in oculis corporis, quod apud ipsos age- « batur intus in oculis cordis... Quia adhuc in eorum cordibus « peregrinus erat a fide, ire se longius finxit », i. e. se gessit ut peregrinum. Divina enim, ait s. Th. 3, 55, 4, hominibus diversa ratione innotescunt, secundum quod diverso modo sunt affecti : quia isti videbantur circa fidem tepescere (L. 24, 21), ideo non in sua effigie et secundum veritatem, sed in alia effigie, spectandum se obtulit.

R. ad 5m et 6m. Vide L. supra citatum. Sed oportet locum illum elucidare.

17. QUOS CONFERTIS AD INVICEM : αντιβαλλετε, de quibus *inter vos disputatis.*

18. TU SOLUS PEREGRINUS etc. ? Interrogatio indicat eos valde

attonitos esse : adeo commoti fuerant de omnibus quae circa magistrum suum acciderant, ut putarent neminem alia de re loqui posse. Quando igitur ignotus ille vir, quem certe habebant Judaeum a festo redeuntem in domum suam, eos interrogavit de colloquio et tristitia, statim concludebant illum prorsus nihil scire de isto eventu, et ideo tam attoniti erant.

21. REDEMPTURUS ISRAEL, i. e. in eorum mente liberaturus a jugo Romanorum et instauraturus regnum Messiae temporale. TERTIA DIES : certe respiciunt ad praedictiones Jesu, et non omnem spem amiserant, ut indicat v. 22.

22. TERRUERUNT NOS : ἐξέστησαν, nos reddiderunt *attonitos* et animi dubios, feceruntque ut ancipites inter metum et spem vacillaremus (Mald.).

23. VISIONEM ANGELORUM. Mulieres post 1^m^ accessum ad sepulcrum *nemini quidquam dixerunt* Mc. de non invento corpore nec de apparitione Angelorum, et post 2^m^ accessum quando nuntiaverunt quae viderant (ad quod nuntium discipuli hic alludunt), non solum Angelos viderant, sed ipsummet Jesum : quomodo ergo discipuli loquuntur tantum de *visis Angelis ?* Certe mulieres narraverant se Jesum vidisse, sed earum verba *visa sunt deliramenta* L. v. 11, et discipuli putaverunt mulieres prae ardenti imaginatione Angelum quemdam sumpsisse pro Jesu.

25. STULTI, ἀνόητοι, *insipientes*, qui facultate verum cognoscendi non recte utuntur, ET TARDI CORDE, qui voluntatem non habent satis firmam inquirendi veritatem : duo enim ad fidem requiruntur, intellectus et voluntas. IN OMNIBUS etc. : non tantum ea quae Prophetae dixerant de gloria Messiae, quod isti facile admittebant, sed etiam ea quae de humiliatione ejus scripta erant, et ad quae attendere non volebant : ideo Jesus haec ultima nunc specialiter exponit.

27. INCIPIENS A MOYSE ET OMNIBUS PROPHETIS etc. Contendit Bisping, Evangelistam dicere non voluisse, Jesum a Pentateucho et a libris prophetarum initium duxisse suae demonstrationis, aliosque Scripturae libros *non propheticos* ab eo deinceps perlustratos fuisse ; sed sensum esse : incipiens a Moyse, et dein prophetas omnes percurrens, oracula quae ad Messiam referuntur explicavit. Verumtamen nolim ego a sensu verborum obvio recedere, et

facile credam Jesum primum ex Pentateucho, deinde e libris prophetarum, ac tandem ex *aliis libris*, v. gr. e Psalmis, testimonia de Messia collegisse omnia. Hoc etiam postea fecisse legitur L. 24, 44.

R. ad 7m. Vere mens erat ipsi longius eundi, si invitatus non fuisset ; dicitur autem *finxisse*, quia simul cupiebat invitari, et consilium inierat iter sistendi in tali casu.

R. ad 8m : lege L. l. cit. « Ecce, ait s. Greg. *Hom. 23 in Ev.*, « Dominus non est cognitus dum loqueretur, et dignatus est « cognosci dum pasceretur. (1) » Nos etiam non audiendo, sed faciendo a Deo illuminamur.

Vere consecratam censemus Eucharistiam.

R. ad 9m. Veteres interpretes s. Eucharistiam a Jesu datam fuisse opinantur, v. gr. s. Aug. *Serm.* 235 ed. M., uti et Mald., Luc. Brug., Bisp., All. Eis autem (quamvis repugnent Jans. Gand., Estius *in L.* 24, 30, Calmet *in L.*, Lamy *Conc. Ev.*), plane concino, propter rationes seq. :

1° Verba *Benedixit* panem *ac fregit* id satis innuunt : haec enim specialem benedictionem indicare videntur, quum Christus nonnisi in multiplicandis panibus et in instituenda ss. Eucharistia panem benedixisse dicatur. Sic v. gr. post alterum piscatum miraculosum, J. 21, 13 *accipit panem et dat Apostolis*, nulla facta mentione de benedictione pani impertita.

2° *Fractio panis* in s. Scriptura significat ss. Eucharistiam : cf. Act. 2, 42 (vide *Comm.* nostr., 5a ed.), et 1 Cor. 10, 16 (recole quae ibidem fuse explicavi de ss. Eucharistia, in *Comm. Epist. Paul.*, 6a ed., 1899).

3° Eo ipso momento quo Jesus panem benedixit ac fregit eisque porrexit, v. 31, *aperti sunt oculi eorum*, i. e. se eis agnoscendum praebuit : hoc autem videtur fuisse effectus ss. Communionis.

Huic vero nostrae sententiae opponitur discipulos istos, cum

(1) Saltem *dum cibus ei offerretur*. Hoc addo quia certum non est Jesum tunc cum eis cibum reipsa gustasse : hoc enim ex verbis Evangelii certe colligi nequit. Cum eis quidem mensae accubuit, panem benedixit et dedit eis : ut videtur, eo ipso momento quo panem illum benedictum ederunt, cognoverunt eum, et ipse statim evanuit, antequam cibum sumpserat.

ultimae coenae non adfuissent, de mysterio ss. Eucharistiae nondum satis edoctos fuisse. Verum respondeo nihil impedire quominus dicamus Christum eis hac de re satis locutum fuisse, antequam panem consecraverit.

An vinum etiam tunc consecratum fuit? Obiter nota de calice consecrato nihil dici, unde concludant nonnulli auctores ss. Eucharistiam in una tantum specie consecratam et acceptam fuisse. Mirum tamen et singulare quid esset in eo quod Sacramentum sola panis consecratione fuisset perfectum : communi enim theologorum sententia docetur, ad essentiam sacrificii Eucharistici distinctam panis et vini consecrationem jure divino requiri. Dicendum itaque esset, Christum per omnipotentiam supplevisse quod hac in re defecisset.

R. ad 10m. L. 33. *Eadem hora Jerosolymam regressi sunt, et invenerunt congregatos undecim* (aderant tantum *decem* cf. q. 969, ad 2m) *et eos qui cum illis erant :* ergo, praeter apostolos praesentes erant quidam alii discipuli. Statim ut intrarunt, nonnulli ex viris ibi congregatis exclamaverunt v. 34 : *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni.* Ipsi tunc discipuli Emmaus, v. 35, narraverunt *quae gesta erant in via, et quomodo cognoverunt Jesum in fractione panis.*

Dubium quorumdam. Sed, addit Mc., *iis qui viderant eum resurrexisse non crediderunt*, sc. nonnulli ex illis adhuc dubitabant de resurrectione Christi, quamvis audiissent eum a Maria Magd., piis mulieribus, Petro et discipulis ex Emmaus vivum conspectum fuisse ; imo vero, etiam illi qui miraculum jam admittebant (qui dixerant *Surrexit Dominus vere et apparuit Simoni*), interiore quadam haesitatione, ut fit in rebus hujusmodi quas valde cupimus veras esse, sed quas vix sperare audemus, detinebantur. Igitur Mc. non pugnat cum L. 24, 33-35, ubi narratur apostolos ibi congregatos statim antea dixisse Dominum vere surrexisse : haec enim fides istorum nondum omne dubium excludebat, ut patet vel ex iis quae sequuntur apud ipsum L. 24, 37 sq. Postea videbimus tale dubium etiam exstitisse in mente Thomae apostoli, qui tunc absens erat : cf. J. 20, 25.

Dum autem discipuli Emmauenses loquebantur, in medio coetu subito adstitit Jesus : haec est quinta ejus apparitio, de qua nunc fusius est disserendum.

§ 5. CHRISTI APPARITIO 5a ET 6a.

Rerum ordo. Jesus hactenus a nemine Apostolorum, nisi a Petro, visus fuerat : nunc vero sequuntur plures apparitiones Apostolis omnibus, vel plerisque eorum factae. Quinto enim videndum se praebuit Apostolis, absente Thoma ; sexto vero iisdem, praesente Thoma. Verum quidem est, de utroque miraculo nullam fieri mentionem apud M.: attamen oportet ut, secundum institutum nostrum, quod sequimur in hac parte Evangelii, suppleamus ea quae omissa sunt. Itaque duplex sit punctum hujus paragraphi quinti.

I. Jesus Apostolis, absente Thoma, apparet.

Praeced. vide ante q. 968.

Mc. 16, 14. Novissime recumbentibus illis undecim apparuit : et exprobravit incredulitatem eorum et duritiam cordis : quia iis, qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt. 15 Et dixit eis etc.

Ante q. 984.

Praeced. ante q. 968.

L. 24, 36. Dum autem haec loquuntur, stetit Jesus in medio eorum, et dicit eis : Pax vobis : ego sum, nolite timere. 37 Conturbati vero, et conterriti, existimabant se spiritum videre. 38 Et dixit eis : Quid turbati estis, et cogitationes ascendunt in corda vestra ? 39 Videte manus meas, et pedes, quia ego ipse sum : palpate, et videte, quia spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere. 40 Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et pedes. 41 Adhuc etc.

Praeced. ante q. 959.

J. 20, 19. Cum ergo sero esset die illo, una sabbatorum, et fores essent clausae, ubi erant discipuli congregati propter metum Judaeorum : venit Jesus, et stetit in medio, et dixit eis : Pax vobis. 20 Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus et latus. Gavisi sunt ergo discipuli, viso Domino. 21 Dixit ergo eis etc.

Cibum sumit ut probet se vere reviviscere.

L. 24, 41. Adhuc autem illis non credentibus, et mirantibus prae gaudio, dixit : Habetis hic aliquid quod manducetur ? 42 At illi obtulerunt ei partem piscis assi, et favum mellis. 43 Et cum manducasset coram eis, sumens reliquias dedit eis. 44 Et dixit ad eos etc. *Ante q. 986.*

Sacramentum poenitentiae instituit.

J. 20, 21. Dixit ergo eis iterum : Pax vobis. Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. 22 Haec cum dixisset, insufflavit, et dixit eis : Accipite Spiritum sanctum : 23 quorum remiseritis peccata, remittuntur eis : et quorum retinueritis, retenta sunt.

THOMAS CREDERE NON VULT.

J. 20, 24. Thomas autem unus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis, quando venit Jesus. 25 Dixerunt ergo ei alii discipuli : Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis : Nisi videro in manibus ejus fixuram clavorum, et mittam digitum meum in locum clavorum, et mittam manum meam in latus ejus, non credam. 26 Et post dies octo etc. *Ante q. 972.*

Q. 969. 1° Quoties et quibus Christus ipso resurrectionis die cernendum se dedisse legitur ? 2° Ultimam istius diei apparitionem enarra. 3° Accurate refer quaecumque Jesus tunc dixerit.

R. ad 1m. Quinquies cernendum se dedit : 1° Mariae Magd., 2° mulieribus, 3° Petro, 4° discipulis euntibus in Emmaus, 5° tandem Apostolis (Thoma excepto) aliisque quibusdam discipulis qui cum eis erant. Primo autem die frequentius spectandum se obtulit, quia per plura indicia movendi erant Apostoli ut statim a principio resurrectionem crederent. S. Th. 3, 55, 3.

R. ad 2m. Lege L. et J. Huc etiam retulimus Mc. 16, 14 *Novissime recumbentibus illis undecim apparuit* etc., propterea quod loco *novissime*, in graeco legatur ὑστερον, quod sign. *postea*, *posthaec*. Igitur, ista apparitio non fuit omnium *ultima*, sed de aliis non loquitur Mc. : hoc sensu intelligendum est adv. *novissime* in Vulg. Haec apparitio dicitur facta *undecim* (L. et Mc.), quamvis stricte loquendo nonnisi *decem* adessent Apostoli, siquidem absens erat Thomas Didymus ; sed eo tempore universum Apostolorum collegium vocabatur *οἱ ενδεκα les onze* ; quemadmodum aliquando dicitur *οἱ δωδεκα, les douze*, etsi nonnisi undecim essent, nempe 1 Cor. 15, 5 (vera lectio). Cum Apostolis convenerant alii discipuli, ut colligitur ex L. 24, 33 *invenerunt congregatos undecim et eos qui cum illis erant*.

Porro in aliqua domo urbis Jerusalem, probabiliter in eo ipso coenaculo in quo Christus ultimam coenam celebraverat, contigit ; et quidem *cum sero esset* J., i. e. cum multa jam nox esset, postquam discipuli ex Emmaus redierant et apparitionem sibi factam narraverant, *dum adhuc loquerentur*, L. Apostoli autem mensae *accumbebant* Mc. : *fores* domus *erant clausae* J. *propter metum Judaeorum*. Ecce Jesus stat in medio eorum (corpus ejus gloriosum per dotem miraculosam portas penetravit) et dicit *Pax vobis* etc.

R. ad 3m. 1° Eos salutavit, atque ut eorum timorem, ex subito ejus visu et voce ejus audita exortum, sedaret, statim se notum fecit : *Pax vobis*, ait, *ego sum, nolite timere.* — *Pax vobis* שָׁלוֹם לָכֶם *schalom lachem* est consueta formula qua Judaei salutem dant, sed in ore Jesu non est mera formula exoptantis, quin potius est verbum operatorium, quod eis pacem et omne bonum salutare confert reipsa : ideo mox repetitur quando potestas remittendi peccata eis traditur.

2° Exprobravit *incredulitatem eorum et duritiam cordis* Mc., quia iis qui viderant eum ad vitam reducem credere noluerant.

3° Cum adhuc *conturbati et conterriti essent*, propterea quod *existimarent se spiritum* (1) *videre*, benigne demonstravit sibi et carnem et ossa esse, i. e. verum corpus, simulque eos certiores reddidit se Jesum esse, eorum magistrum, in crucifixione clavis et lancea vulneratum. In hunc finem ostendit eis *manus* et *pedes* (J. et *latus*), et dixit *Palpate et videte ;* non sum spiritus, sicut existimatis, nam *spiritus carnem et ossa non habet, sicut me videtis habere.* Ergo corpus Christi gloriosum, hinc quidem erat subtile et penetrabile, illinc vero sub oculorum aspectu manuumque contrectatione cadebat : hoc autem naturaliter fieri non poterat. « Duo mira, ait s. Greg. « *Hom.* 26, et juxta humanam rationem sibi valde contraria ostendit : « dum corpus suum et incorruptibile et tamen palpabile demonstra- « vit. Nam et corrumpi necesse est quod palpatur ; et palpari non « potest quod non corrumpitur. » Igitur, **per Dei omnipotentiam** fit ut corpus gloriosum interdum videri aut tangi nequeat, interdum vero et cerni et palpari possit. Cf. supra q. 953, ad 1m.

Deinde 4°, L. 41 ADHUC ILLIS NON CREDENTIBUS... PRAE GAUDIO : natum est fieri ut cum res felicissima praeter exspectationem contingit, primo momento timeatur ne sit deceptio : vix sibimet ipsi credebant Apostoli prae inopinato gaudio. Ideo Salvator, ut eisdem perfectius comprobaret verum sibi corpus esse, cibum sumpsit *coram eis* (2). Esus autem ille, qui fuit vera comestio, quia

(1) *Spiritum*, i. e. animam ex inferis redeuntem, quae, assumpta corporis specie, spectandam se dabat sicut umbra vel phantasma : gall. *un revenant.*

(2) Obiter petitur. Quoties Christus, Apostolis se ostendens post resurrectionem, cum ipsis **cibum sumpsisse** legitur ?

R. Certum est semel id factum fuisse, nempe in apparitione quae ipso die resurrectionis multa jam

corpus ejus erat vere animatum, non repugnat statui corporis gloriosi ; namque, ut docet s. Aug. *De civ.* 13, 22, « Non potestas sed « egestas edendi ac bibendi tali corpori aufertur » ; praeterea, non dicitur cibum a Jesu acceptum coctum digestumque fuisse, aut corpus ejus eodem vere nutritum fuisse ; potuit fieri ut esca e stomacho per miraculum evanuerit.

5° Tandem, Apostolis dedit potestatem remittendi peccata. Sed, quum summi momenti illud sit, specialem ponemus quaest.

Sacramentum poenitentiae instituitur.

Solus J. hoc refert, 20, 21-23 : vide text. p. 1258.

Q. 970. In quibus rerum adjunctis institutum fuit Sacram. poenitentiae ? Refer verba Christi, eaque explica, demonstrando dogma catholicum his vere contineri.

Apostoli legati a latere. R. Quando Jesus Apostolis simul congregatis spectandum sese obtulit, ipso resurrectionis die, vespere seriore, postquam dixit et fecit quae in q. praec. exposuimus, *iterum* eos alloquens : *Pax vobis !* inquit. *Sicut misit me Pater, et ego* (ego vicissim) *mitto vos :* vos estis legati mei, sicut ego Dei Patris sum legatus ; ergo, qualem potestatem tradidit mihi Pater, talem et ego confero vobis : ad vos spectat opus perficere quod ego incepi. Nunc igitur positive et solemniter confert missionem de qua jam ante Passionem in oratione sacerdotali post Coenam locutus fuerat, J. 17, 18.

Ad solos Apostolos verba facit (non ad alios discipulos, qui cum ipsis erant, L. 24, 33), ut ex substrata materia eruitur. Non tamen potest haec missio in mente Christi ad solas Apostolorum personas restringi : sed quum Ecclesia mansura sit usque ad consummationem seculi, continuari debet ab eorum successoribus. Jam vero successores sunt duplicis generis : alii succedunt cum potestatis plenitudine, sc. Episcopi ; alii cum partiali tantum potestate, sc. presbyteri : et ex traditione catholica definiendum est quae et quanta pars istius missionis et annexae potestatis a Christo collata

---

nocte contigit. Probabiliter iterum, cum Servator juxta litus maris Tiberiadis conspiciendum se obtulit (probabiliter, inquam, nam ibi non dicitur explicate Jesum cum ipsis manducasse . Incertum est utrum cum discipulis Emmanuensibus cibum manducaverit : vide p. 1256. Secundum Vulgatam 3° id fecit in ultima apparitione, die Ascensionis : cf. q. 986.

fuerit presbyteris. In casu praesenti, potestas remittendi peccata, ut constat ex perpetua traditione, etiam presbyteris congruit, cum quodam limite quoad exercitium.

Induti Spiritu s. *Haec cum dixisset, insufflavit et* simul *dixit eis : Accipite Spiritum sanctum.* Flatus erat signum et indicium Spiritus sancti, ut alibi ventus (Ezech. 37, 5 sq. ossa arida flante vento reviviscunt : recogita varios sensus vocis רוּחַ in Script.) ; innuitur eum ex mutua Patris Filiique *spiratione* i. e. ex mutuo affectu procedere. Haec autem Spiritus sancti concessio nonnisi pars quaedam fuit (s. Hier. *Ep. ad Hebid.*, ep. 120, c. 9) abundantissimae illius effusionis, quae die Pentecostes Apostolis data fuit, et de qua mentio fit J. 16, 7 *Si non abiero, Paraclitus non veniet ad vos.* Igitur, haec ultima verba nequaquam pugnant cum eis quae Jesus dixit in apparitione quam hic narramus.

Omnia Sacramenti hujus elementa

Jam vero, Spiritus s. nunc partim eis tribuitur, hoc sensu quod **divinitus** accipiant potestatem remittendi peccata : hujusmodi enim potestas ab homine haberi nequit, nisi quatenus adsit ipsi virtus et opera Spiritus s., quum Deus solus condonare possit offensas contra infinitam Majestatem commissas. *Accipite Spiritum s. : quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* sc. a Deo ; *et quorum retinueritis, retenta sunt.* Adverte non dici quorum *non remiseritis*, sed *retinueritis*, quia signatur actus positivus sacerdotis, qui sententiam profert tamquam judex. Haec dicta sunt de vera peccatorum remissione per actionem propriam et efficacem, non per declarationem remissionis antea a Deo factae.

Porro, hoc intelligendum est de peccatis condonandis in **sacro tribunali,** adeoque post distinctam eorum confessionem in Sacramento poenitentiae voce expressam. Apostoli enim constituuntur judices, et qua tales decernere debent utrum culpae sint remittendae necne (1) : atqui aequum judicium ferre nequeunt, nisi causam cognoverint, adeoque nisi poenitens delicta sua declaraverit *omnia et singula,* scil. *mortalia* (de *venialibus* statim loquemur).

(1) Ex traditione novimus oportere ut congrua imponatur satisfactio seu poenitentia ; atque propter hanc etiam rationem necesse est ut peccatorum numerus et species accurate cognoscantur.

Praeterea, ex eo quod sint judices, potestatem suam exercere non possunt nisi in sibi subditos, proinde agitur tantum de peccatis post Baptismum commissis : sed quod attinet ad haec (post Baptismum commissa) nulla datur restrictio, proinde potestas complectitur tum peccata gravissima (adeo ut in Ecclesia nullum detur peccatum irremissibile), tum etiam peccata levia seu venialia.

Tandem vere judices non essent, si reis non esset stricta **lex et necessitas** sese sistendi coram eorum tribunali, nempe quando peccatum mortale habent. Neque objici potest eos posse obtinere remissionem per charitatem in contritione perfecta, etenim charitas supponit observationem mandatorum Dei, ergo includit propositum confessionis. Diximus *quando peccatum mortale habent*, nam ex traditione novimus venialia non esse necessario subjicienda potestati illi judiciali.

De Baptismo non agitur. Plane gratuita et pro libitu conficta, imo vero contorta regulisque sanae hermeneuticae contraria, est interpretatio quae verba Christi de *Baptismo* explicat : namque ubi de Baptismo sermo habetur in N. T., semper fit mentio de externo abluendi ritu, sive per verbum *βαπτιζειν*, sive alio modo : J. 3, 5 ; Eph. 5, 26 ; 1 Petr. 3, 21 etc. Deinde, peccatorum remissio adscribi non solet hominis baptizantis *voluntati* (ut hic), sed potius virtuti aquae. Tandem, sacerdotes non possunt dici *retinere* peccata eorum quibus Baptismum non conferunt.

Dogma definitum. Merito igitur definit Conc. Trid., sess. 14, can. 3 : « Si quis dixerit verba *Accipite Spiritum S..... retenta sunt*, « non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata « *in Sacramento poenitentiae*, anathema sit. »

Quid de Thoma absente. Thomas Didymus, quamvis absens esset (verisimiliter ex dispersione praecedente, ait s. Chrys. nondum reversus erat), hanc etiam potestatem obtinuisse videtur, quum Christus toti Apostolorum collegio illam dederit. Sunt tamen qui putent ei, utpote cui adhuc fides deesset, quique eatenus haud capax esset Spiritus, potestatem absolvendi nonnisi octo dies postea, quando iterum spectandum se exhibuit Jesus, collatam fuisse.

Q. 971. Potestas consecrandi et potestas absolvendi **non simul** collatae.

Notat A Lap. Apostolos potestatem consecrandi Eucharistiam et potestatem remittendi peccata diversis temporibus accepisse; priorem nempe in ultima Coena, posteriorem vero hoc resurrectionis die.

Potestas absolvendi in s. Ordinatione. Auctor ille addit in Ordinatione sacerdotali, quae nunc fit in Ecclesia. utramque potestatem simul conferri, cum Episcopus iterum manus imponens dicit: *Accipe potestatem offerendi sacrificium*; adeo quidem ut, secundum istius interpretis opinionem, verba, quae in 3ª manuum impositione adduntur: *Accipe potestatem remittendi peccata*, non sint *de essentia*, sed tantum declarent potestatem per priora verba jam traditam. Verum haec sententia nequaquam certa est; ideo mos est et regula ut, si ultima verba fuissent omissa, supplenda essent antequam sacerdos Confessiones audire posset. Haec autem consuetudo nititur probabilitate sententiae, quae docet formulam *Accipe potestatem remittendi peccata* ad vim et essentiam perfectae Ordinationis sacerdotalis etiam requiri.

II. Jesus iterum ab Apostolis, jam praesente Thoma, cernitur.

Praeced. vide ante q. 969.

J. 20, 26. Et post dies octo, iterum erant discipuli ejus intus: et Thomas cum eis. Venit Jesus januis clausis, et stetit in medio, et dixit: Pax vobis. 27 Deinde dicit Thomae: Infer digitum tuum huc, et vide manus meas, et affer manum tuam, et mitte in latus meum: et noli esse incredulus, sed fidelis. 28 Respondit Thomas, et dixit ei: Dominus meus et Deus meus. 29 Dixit ei Jesus: Quia vidisti me Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, et crediderunt.

Conclusio prior Evangelii secundum Joannem.

J. 20, 30. Multa quidem et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quae non sunt scripta in libro hoc. 31 Haec autem scripta sunt, ut credatis, quia Jesus est Christus Filius Dei: et ut credentes vitam habeatis in nomine ejus. 21, 1. Postea manifestavit se etc. *Ante q. 977.*

Q. 972. 1° Expone 6ᵐ Christi apparitionem, sc. eam quae Apostolis, praesente Thoma Didymo, contigit. 2° Ostende ex verbis Thomae Christi divinitatem demonstrari. 3° Quare Deus permisit Thomae dubitationem?

R. ad 1ᵐ. Contigit, non, sicut vult s. Hier., in Galilaea, sed, sicut probat Luc. Brug., cui concinit Estius *in J.*, in urbe Jerusalem (si in Galilaea, *januae* certe non fuissent *clausae*), et probabiliter in eadem domo ac praecedens, ut colligi posse videtur ex verbo *intus* v. 26. Facta autem est *post dies octo*, i. e. die octava (non autem nona) post praecedentem, itaque die octava Resurrectionis (dominica *in Albis*), certe etiam vespere, sicut prior apparitio.

Inde concludimus Apostolos non tam cito profectos fuisse in Galilaeam, quo jusserat Christus ut abirent.

Hoc praenotato, ipsam facti narrationem ex loco cit. J. desumet lector. Sufficiat pauca addere, explicationis gratia.

Venit Jesus etc. Quanta ejus benignitas ! Ad omnia quae Thomas postulaverat se demittit, ut eum ad bonam frugem revocet : « Ad- « venit, ait s. Chrys., ut etiam unum salvet, quamvis ceteris cras- « siorem. » *Dicit Thomae*, quippe qui sciat quid sit in homine absque eo quod quis ei dicat, J. 2, 25 : *Infer digitum tuum huc,* in vulnera manuum mearum, *et vide manus meas :* aliis verbis, manuum vulnera et palpa et aspice.

Addit autem *affer manum tuam et mitte in latus meum :* opinatur Bisping eum loqui de vulnere lateris *tangendo* tantum et non *videndo*, quia sub vestibus erat absconditum : verum nequaquam certa est haec opinio, namque antea Joannes aperte dicit (20, 20) etiam *latus* ostensum fuisse, puta vestibus antrorsum apertis et remotis. Facile crediderim ego idem Thomae permissum fuisse, atque Jesum *de manu in latus missa* ideo tantum locutum esse, quod ad verba Thomae (J. 20, 25) *Nisi mittam manum meam in latus ejus* etc. respiceret.

Noli esse incredulus, μη γινου απιστος *non fias incredulus*, positive et sine excusatione incredulus, nunc jam omne dubium de resurrectione mea depone (non agitur de fide generatim, sed de facto resurrectionis).

Christi divinitas demonstratur.

R. ad 2m. Respondit Thomas *Dominus meus et Deus meus.* Non est exclamatio, significans *O Deum immortalem ! quid video ?* ut contendunt Theodorus Mopsuestenus (cujus interpretatio damnata fuit in 5° concilio oecumenico, sc. in Constantinopolitano 2°, A. 3, c. 11), Sociniani et nonnulli rationalistae, v. gr. Paulus Heidelbergensis ; sed vera est et certa affirmatio, pro *Tu es Dominus meus et Deus meus :* adeo ut Apostolus ille coram ceteris collegis divinitatem Christi aperte agnoverit, et, ut patebit ex infra dicendis, ipsemet Jesus illam fidei professionem, tam expressam tamque firmam, plene approbaverit, imo vero per responsum suum insigniter confirmaverit.

Notat Ben. XIV (*De fest.*, ubi de Ascens.), nunc primum in Evang. *Dei* nomen Christo diserte tribui. *Diserte*, inquam, nam alibi, non quidem eadem, sed aequali loquendi forma, Christum Deum esse significatur, ubi v. gr. dicitur Verbum esse Deum et Verbum carnem assumpsisse, J. 1.

Quinque argumenta. Ex toto autem narrationis contextu certissime probatur verba Thomae non esse exclamationem, sed ea ad Christum referri tamquam affirmationem ; nam a/ scribitur non *et dixit*, sed *et dixit ei* ; b/ vox *Dominus* de Christo necessario intelligenda est ; et c/ fidem Thomae statim laudat Jesus (*quia vidisti me* (1) *credidisti*), ergo pro certo ponendum est Thomam reipsa fidem suam, et praeclaro quidem modo, professum fuisse : atqui, si esset exclamatio, qualem isti contendunt, nulla haberetur fidei declaratio. Praeterea d/ etiam hoc animadverte, morem Judaeis nequaquam fuisse Dei nomine in exclamando abuti : neque obstat Jud. 6, 22, nam verba Gedeonis ibi relata non sunt exclamantis, sed Jehovam alloquentis, ut e versu seq. ib. liquet. Tandem e/ objici nequit in graeco esse articulum cum nominativo ὁ κύριός μου : nam apud Graecos, et apud Hebraeos, nominativus cum art. frequenter ponitur loco vocativi : cf. Beel., *Gramm. Graec.*, § 29.

Exposita vi demonstrativa, quae in verbis Thomae pro confirmando dogmate de *divinitate Christi* certo habetur, pergimus nunc explicare quae spectant ad apparitionem Jesu de qua agitur in 1° puncto quaest. nostrae.

Eximia Thomae fides magnae ejusdem pervicaciae et obstinationi successit, ut, ubi abundaverat delictum, ibi superabundaret gratia ; quare non simpliciter dixit : Credo te *Dominum* meum esse, vel te a morte surrexisse ; sed quod majus est, testatus est se credere quod inde sequebatur, eum vere *Deum* esse, utpote talem qui semetipse ad vitam revocasset.

Tunc dicit ei Jesus : *Quia vidisti me* viventem, *Thoma*, *credidisti*

(1) **An Thomas de facto attrectavit corpus Jesu?** Communis sententia est Thomam non solum *vidisse*, sed etiam *palpasse* corpus Jesu, secundum invitationem quam acceperat : *Infer digitum tuum huc... Affer manum tuam et mitte in latus meum* : verum opinatur Bisping Thomam ut crederet non debuisse attrectare corpus Jesu (probabiliter non est ausus, Corluy), sed ipsi suffecisse ut Jesum coram se vivum viderit ; et hoc quidem innuitur per hoc ipsum quod statim dixerit *Dominus meus et Deus meus*, absque eo quod referatur ipsum invitationi Jesu obsecutum fuisse. Idem innuitur verbis Jesu : *Quia vidisti me credidisti.*

me surrexisse et vere Deum esse. Sed Hebr. 11, 1 *Est autem fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Quomodo ergo Thomas dicitur credidisse quia viderat? Respondet s. Greg. M. *Hom. 26 in Ev.* : « Aliud vidit, aliud credidit.... « Hominem vidit et Deum confessus est. »

Beati qui credunt. Tandem addidit Salvator verbulum, quod nos haud parva afficit laetitia : *Beati* (i. e. beatiores te) *qui non viderunt et crediderunt!* 1 Petr. 1, 8 *Quem* (Jesum Christum) *cum non videritis diligitis, in quem nunc quoque non videntes creditis.* In hac sententia, ait s. Greg., *nos* specialiter signati sumus : utique *beati* sumus, modo fidem nostram operibus sequamur. Ut verba illa Jesu melius intelligamus, notemus cum s. Greg. ib. : « Fides « non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum » : attamen ratio humana potest et debet habere motiva credibilitatis sufficientia.

R. ad 3m. Deus autem Thomae dubitationem permisit, ut **certiorem** redderet ipsam **Christi resurrectionem** : « Numquid « casu, ait s. Greg. *Hom.* 26 *in Ev.*, gestum creditis ut electus « ille discipulus tunc deesset [cum Jesus primum apparuit Apo- « stolis], post autem veniens audiret, audiens dubitaret, dubitans « palparet, palpans crederet? Non hoc casu, sed divina dispen- « satione gestum est. Egit namque miro modo superna Clementia, « ut discipulus ille dubitans, dum in magistro suo vulnera palparet « carnis, in nobis vulnera sanaret infidelitatis. Plus enim nobis « Thomae infidelitas ad fidem, quam fides credentium discipulorum « profuit etc. » Nota s. Greg. loqui in sententia communi quod Thomas reipsa *palpaverit* corpus Jesu ; sed, ut supra notavi in nota marginali, hoc certum non est, et argumentationem s. Greg. non infirmat.

In conclusione quam J. v. 30 adjicit, vox *signa*, secundum s. Chrys., designat apparitiones Jesu miraculosas, *τεκμηρια της αναστασεως* (Act. 1, 3) ; verum melius est sumere vocem *signa σημεια* sensu consueto, de miraculis quae fecit Servator toto vitae tempore, ut innuunt verba *in libro hoc.*

In conspectu discipulorum suorum : hoc addit J., ut innuat se unum ex istis discipulis esse, et potuisse multa alia miracula referre in suo libro, sed quaedam tantum elegisse, ea nempe quae

scopo suo primario magis prodessent. proinde quae lectores inducerent ad credendum v. 31 *Jesum esse Christum* seu Messiam, verum *Dei Filium* : ut per eam fidem *vitam* animae veram *in nomine ejus*, in unione cum ipso, obtinerent.

*Q. 973. Quaestio generalis pro repetitione quadam praecedentium adjecta. Quomodo Christus, quando Apostolis simul congregatis primum iterumque apparuit, eis demonstravit, tum verum sibi corpus esse, tum se alium non esse quam Jesum, eorum magistrum ?

R. 1° Quando eis primum visus est, absente Thoma, tria in hunc finem argumenta dedit : a/ ostendit eis et manus, et pedes, et latus ; b/ non tantum ostendit se ipsis, sed palpandum se praebuit ; c/ imo vero, manducavit coram eis : q. 969.

2° Cum iterum cernendum se obtulit eis, praesente Thoma, hunc veritatis certiorem reddidit, dicens *Infer digitum* etc., q. 972. Obiter notamus ex illis Christi verbis colligi vulnerum cicatrices, imo etiam foramina clavorum et lanceae in corpore ejus glorioso servata fuisse.

§ 6. APPARITIO 7ª AD MARE TIBERIADIS : J. 21, 1-23.

Apparitio illa 7ª a solo J. narratur, nimirum ultimo capite. Hoc autem caput manifeste dicendum est *Appendix* quaedam ; namque universae conclusio historiae Evangelicae in fine capitis praec., v. 30 et 31, habetur (similis clausula adjicitur rursum ad finem capitis hujus 21, v. 24 et 25).

Q. 974. *Praemittitur quaestio de* **authentia** *hujus pericopae.*

*Grotius primus contendit eam adjectam fuisse in Ecclesia Ephesina, forte ab ejus Episcopo, paulo post mortem Joannis, adeoque antequam ejus Evang. ad alias Ecclesias pervenisset. Grotium secuti sunt multi Protestantes, illudque eo libentius fecerunt, quod praecipuum argumentum, quo primatus s. Petri demonstratur, ita catholicis eriperent.

Argumenta pro authentia. Sed 1° omnes codices, versiones et antiqui scriptores hanc Appendicem Evangelio J. tribuunt. 2° Indoles interna hujus partis, saltem a v. 1 usque ad 23, plane indicat Joannem scriptorem : idem enim est stylus et scribendi modus, idem mentis tenerrimus affectus eademque verborum simplicitas. Aliunde **certo** novimus ex definitione Ecclesiae hanc appendicem, saltem v. 1-23, esse *divinitus inspiratam*. Igitur, quaestio tantum potest esse utrum a Joanne, an ab alio auctore *inspirato*, exarata fuerit, vel tota, vel ex parte. Nostra autem sententia est eamdem ab ipso Joanne additam fuisse : quod quidem exponemus in duplici

quaest. seq., sc. q. 975 de 1ª parte v. 1-23, et q. 976 de ultimis vers. 24 et 25.

Q. 975. Quare Joannes adjecit v. 1-23 ?

Non, ut quidam volunt, haec adjecit unice ut falsam quamdam opinionem circa personam suam corrigeret v. 23, nam fere tota pericopa de alio agit, nempe de s. Petro ; sed etiam, et *praesertim*, ut ostenderet Petrum omnibus aliis Apostolis, imo sibimet ipsi Joanni, praepositum fuisse, adeoque **ut primatum Petri confirmaret.**

Hoc autem perficere utile duxit, imprimis pro Ecclesiis Asiae-Minoris ceterisque Ecclesiis graecis et orientalibus, quippe quae Joannem facile habere potuissent tamquam supremum Apostolicae dignitatis latorem et Christi Vicarium, nimirum propter varias circumstantias quae ipsum commendare videbantur. Et 1° quidem usque in finem sec. I, diu postquam Petrus Romae obiisset, ipse in Asia praedicabat, et tamquam ultimus Apostolorum in vita superstes universali veneratione celebrabatur. 2° Idem prae omnibus aliis discipulis dilectus fuerat a Jesu, et pro custodia matris ejus specialiter electus. 3° Vulgo credebatur ipsum mansurum, et solum ex Apostolis mansurum, usque ad alterum Christi adventum.

Jam vero, quum summi momenti esset, pro unitate et conservatione Ecclesiae, ut Petri ejusque successorum suprema auctoritas agnosceretur, s. Joannes, divino instinctu motus, sapienter egit addendo verba quibus Christus primatum Petro de facto contulit, et simul narrando piscatum miraculosum quo praeparata fuerunt verba illa celeberrima.

Q. 976. Authentia v. 24 et 25.

Major quaedam difficultas est pro v. 24 et 25 : nam prior versus videtur adjectus fuisse post mortem Joannis ab uno ex ejus discipulis, qui nomine Ecclesiae Ephesinae loquebatur : inde *scimus* in pl., et in 1ª pers. sicut *arbitror* v. 25, quam alibi in Evang. suo Joannes de semet ipse loquitur in 3ª pers. Posterior autem versus (nempe 25) hyperbolen nimis audacem, a simplicitate et seria scribendi ratione Joannis alienam, continet.

Verumtamen rationes illae tales non sunt ut a communi et antiquissima sententia recedere cogamur : etenim J. suo discipulorum-

que nomine scribere potuit *scimus;* vel plur. ponitur pro sing., sicut 1 Joan. 1, 1 *Quod audivimus* etc. Quod autem attinet ad hyperbolen, haec non adeo dura nobis videbitur, si recogitemus rem indicari vere inexhaustam, sc. vitam Dei-hominis. Similis hyperbole est Gen. 22, 17 *Sicut stellae coeli et arena maris.*

Ceterum, nihil mirum in hoc quod Joannes, qui 20, 30 concluserat Evang. suum, nunc pro appendice quam adjecit pariter quaedam per modum conclusionis addiderit.

Quoquo modo dijudicanda sit haec controversia de v. 24 et 25, dubitare non ausim de **divina inspiratione** istorum versuum; temerarium enim esset particulam tantam (duos versus) libri sacri in dubium vocare. Igitur, saltem dicere deberemus versus illos ab auctore quodam *theopneusta* additos fuisse.

Ordo rei tractandae. Ex attenta narrationis lectione colligitur duo rerum capita praecipua exponenda esse: 1° de apparitione Jesu ad mare Tiberiadis, quacum miraculosa piscium captura connectitur; 2° de sermone Christi ad Petrum: in hoc autem, ut infra dicemus, tres distinguendae sunt particulae.

I. Apparitio Jesu in litore maris Tiberiadis et piscatus miraculosus: J. 21, 1-14.

Praeced. vide ante q. 965.

M. 28, 16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam etc. *Vide seq. infra ante q. 984.*

Praeced. ante q. 972.

J. 21, 1. Postea manifestavit se iterum Jesus discipulis ad mare Tiberiadis. Manifestavit autem sic.

2 Erant simul Simon Petrus, et Thomas, qui dicitur Didymus, et Nathanael, qui erat a Cana Galilaeae, et filii Zebedaei, et alii ex discipulis ejus duo. 3 Dicit eis Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus et nos tecum. Et exierunt, et ascenderunt in navim, et illa nocte nihil prendiderunt.

4 Mane autem facto stetit Jesus in litore: non tamen cognoverunt discipuli quia Jesus est. 5 Dixit ergo eis Jesus: Pueri, numquid pulmentarium habetis? Responderunt ei: Non. 6 Dicit eis: Mittite in dextram navigii rete: et invenietis. Miserunt ergo: et jam non valebant illud trahere prae multitudine piscium. 7 Dixit ergo discipulus ille, quem diligebat Jesus, Petro: Dominus est. Simon Petrus cum audisset quia Dominus est, tunica succinxit se (erat enim nudus) et misit se in mare. 8 Alii autem discipuli navigio venerunt (non enim longe erant a terra, sed quasi cubitis ducentis), trahentes rete piscium.

9 Ut ergo descenderunt in terram, viderunt prunas positas, et piscem

superpositum, et panem. 10 Dicit eis Jesus: Afferte de piscibus, quos prendidistis nunc. 11 Ascendit Simon Petrus, et traxit rete in terram, plenum magnis piscibus centum quinquaginta tribus. Et cum tanti essent, non est scissum rete.

12 Dicit eis Jesus: Venite, prandete. Et nemo audebat discumbentium interrogare eum: Tu quis es? scientes quia Dominus est. 13 Et venit Jesus, et accipit panem, et dat eis, et piscem similiter.

14 Hoc jam tertio manifestatus est Jesus discipulis suis, cum resurrexisset a mortuis. 15 Cum ergo prandissent etc. *Ante q. 980.*

Q. 977. Narra apparitionem Jesu ad mare Tiberiadis.

R. Vide J. 21, 1-14. Apostoli in Galilaeam, ut jusserat Christus, redierant (M. 28, 16), puta diebus octo post resurrectionem, et ibi consuetis suis occupationibus operam dabant, ulteriora magistri sui mandata exspectantes. Dicit J. Jesum tunc **tertio** *manifestatum fuisse discipulis suis,* nempe plurimis ex eis simul congregatis: etenim primum spectandum se obtulit eis quando Thomas absens erat, denuo cum ipse adesset, et nunc tertio. In hoc autem ultimo casu septem tantum discipuli adstabant, inter quos nonnisi quinque Apostoli fuisse videntur. Dico *quinque*, quum credam Nathanaelem eumdem esse ac Bartholomaeum (cf. q. 326, in nota margin.).

Alter piscatus miraculosus.

Q. 978. Secundum piscatum miraculosum cum omnibus rerum adjunctis describe. 2° Mirumne est Apostolos, post Christi resurrectionem, ad piscandum rediisse?

R. ad 1m. Lege J. supra recit. Pro comparatione inter duplex captorum piscium miraculum, vide q. 183. Paucas addo annotationes.

V. 3. VADO PISCARI: Petrus in tota narratione sistitur ut navarchus et piscatus magister. NOCTE: noctem enim piscium capturae aptissimam esse ignorat nemo: cf. L. 5, 5 *per totam noctem laborantes, nihil cepimus.* V. 5. PUERI, παιδια: vox blanda et familiaris, *carissimi:* germ. *Burschen.* PULMENTARIUM, προσφαγιον, idem quod *obsonium*, fl. ad literam *toespijs;* intellige cibum qui cum pane comeditur; puta hic piscem; solent quippe pauperes pisces assos cum pane manducare. « Humano more loquitur, ait s. Chrys., ac si « empturus aliquid esset ab eis. » Interrogatio autem ad futurum miraculum animos praeparat. Jesum nondum distincte vident, quum

aurora sit, eumque nonnisi postea agnoscunt. Ideo, tamquam viro ignoto respondent praecise *Non*.

V. 6. In dextram, fortasse litus versus, ubi minor piscium copia solet esse, et quo proinde nondum jecerant rete.

V. 7. Dominus est, ait Joannes, discipulus dilectionis : **primus Servatorem agnoscit,** vel, ut censet s. Hier. *Adv. Jovin.* 1, 26, quia prior virginitas virginale corpus praesagire videtur; vel potius, quia amor praecipuus, quo exardebat discipulus ille, vehementius et certius in rem amatam animum ejus mentemque ferebat. « Solent similes, ait Ven. Beda *in Joan.*, ideoque amantes « se invicem ex quadam sympathia, et vultus gestuumque « similitudine, agnoscere. » Et s. Ambr. « Decebat revera ut « Virginitas virginale corpus prius agnosceret. » — Petrus, pro nativo indolis fervore, navigii onusti moras non sustinet: hic promptior quidem, sed ille perspicacior fuit, ait s. Chrys.

Tunica succinxit se: τον επενδυτην διεζωσατο, tunicam quae vulgo gestabatur super interulam τον ὑποδυτην (unde vocatur επενδυτης, ab επι ενδυω *super induo*, qua voce 70 vertunt מְעִיל *meil*) induit, ea se cinxit seu circumdedit, fl. *hij omgordde zich met zijn bovenkleed* (Beel., All.), vel *hij omkleedde zich met zijnen kiel*, gall. *il endossa sa blouse*; erat enim nudus, i. e. *il n'avait que son caleçon*. Sensus non est: cingulum misit super interulam suam, quoniam nudus erat, seu quoniam sola interula indutus erat: igitur minus recte explicaretur flandr.: *hij gordde zijn kleed, hij deed eenen gordel rond het kleed of hemde dat hij aan had, want hij was naakt, 't is te zeggen zonder bovenkleederen*. Haec interpretatio ideo rejicienda est, quod interula (quam certe habebat ille qui dicitur *nudus*) cingulo constringenda non esset.

Illud autem superindumentum, quo statim se vestivit Petrus, ut quam posset decentissime Jesu occurrere, intelligitur non tunica talaris, qualem Christus gestare solebat, nam tali non utebantur operarii inter laborem, sed tunica quaedam brevior usque ad genua pertingens (fl. *een grauw lijnwaden of wollen kiel*): haec autem vestis satis larga erat, sicut tunica talaris, et pariter ope cinguli circa lumbos constringebatur; quare dicitur Petrum se illa veste *succinxisse*. Possumus etiam verbum *se succingere* sensu lato sumere pro simpliciter *induere* vestem, ea se circumdare.

Erat enim nudus, i. e. sola interula vel indusio vestitus (cf.

supra ad M. 24, 18), saltem linteo circum partes inhonestas contectus: ut in regionibus calidissimis solent piscatores. *Nudus* hebr. עָרוֹם dicitur in Scriptura ille qui vestem superiorem deposuerat, et nihil aliud gestabat quam subligaculum ante verenda, vel linteum circum ea, vel unicam vestem super pellem, v. gr. tunicam quamdam breviorem, ut pauperes (Job. 22, 6); vel qui, deposita tunica talari, solam habebat interulam seu indusium; quo sensu de divitibus dicitur eos fuisse *nudos*, v. gr. de Saule 1 Reg. 19, 24; de Davide 2 Reg. 6, 20; de Isaia Is. 20, 2 etc. Pariter apud Latinos *nudus* quandoque vocatur qui vestem quidem habet interiorem, sed cui ad ornatum deest toga: sic Aurel. Victor (*De viris ill.*, in *Cincinn.*) refert Cincinnatum a legatis inventum fuisse *nudum arantem*. Vide supra q. 854.

MISIT SE IN MARE, ut natando litus petens, ad Jesum primus accederet

V. 11. ASCENDIT SIMON PETRUS: in navem, quae jam ab aliis adducta fuerat ad littus, rediit, ut rete, quod alii festinantes ad Jesum in aqua reliquerant, traheret ad terram, et secundum Domini jussum de piscibus afferret.

V. 12. PRANDETE, quamvis adhuc valde mane esset: solebant enim tunc cibum sumere qui totam noctem laboraverant. NEMO AUDEBAT etc. Cibum sumpsere in silentio: non enim audebant eadem familiaritate qua antea uti cum eo.

R. ad 2^m. S. Greg. *Hom.* 24: « Negotium, quod ante conversionem sine peccato exstitit, post conversionem repetere culpa non « fuit... Petrus ad piscationem rediit, Matthaeus vero ad telonii « negotium non resedit. » Apostoli ante Pentecosten, cum nondum evangelizare deberent, « Cum nihil haberent quod facerent (s. Chrys.) », jure ac merito capiendis piscibus operam dabant, tum ut otium vitarent, tum etiam ut labore manuum victum sibi acquirerent pauperta temque suam sublevarent.

II. Verba Jesu ad Petrum.

Omnia quae Jesus dixit in illo casu ad tria rerum genera revocanda sunt: 1° Petro confert primatum, 2° ei martyrium praedicit, et 3° de sorte Joannis futura obscure loquitur. Itaque sit quaestio seq.:

Q. 979. Quid Petro dixit Jesus, quando ei aliisque discipulis se videndum et agnoscendum obtulit ad mare Tiberiadis?

R. Tria capita ad quae, ut statim dicebam, reduci potest sermo ejus praeclarissimus, per partes in sequentibus exponam.

A. Primatus Petro confertur: Pasce oves.

Praeced. vide ante q. 977.

J. 21, 15. Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Jesus: Simon Joannis, diligis me plus his? Dicit ei: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 16 Dicit ei iterum: Simon Joannis, diligis me? Ait illi: Etiam, Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos. 17 Dicit ei tertio: Simon Joannis, amas me? Contristatus est Petrus, quia dixit ei tertio: Amas me? et dixit ei: Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas. 18 Amen, amen etc. *Ante q. 982.*

Q. 980. Primatum Petri dogmatice demonstra ex verbis *Pasce agnos meos* etc.

Postquam Jesus beneficium piscatus miraculosi discipulis concesserat, ut supra diximus; postquam eos juxta litus prandere, i. e. jentaculum sumere fecerat: tunc, animis eorum ad audiendum rite praeparatis, Petro dixit: *Simon Joannis, diligis me plus his?* etc. Lege J. l. cit. Ergo tunc gregem suum ei commendavit, atque ita primatum in universam Ecclesiam ipsi magnifice atque solemniter contulit: « Totius orbis doctorem statuit », ait s. Chrys. *in J.* 21, 19. Atque hac ratione demum perfecit quod antea M. 16, 18 ei promiserat.

Ter eum allocutus est; primum: *Pasce agnos meos*, gr. *τα αρνια μου*, proprie *agnellos meos*. Quasi diceret: Si amorem quem erga me profiteris, re ipsa ostendere velis, si rem mihi gratam perficere cupias, *pasce carissimum gregem meum*. Iterum *Pasce*, ait, *agnos meos*: ita habet Vulg.; sed vera lectio videtur *ποιμαινε τα προβατα μου*, *rege oves meas* (in quibusdam codicibus *τα προβατια μου*, *oviculas meas*). Tertio dixit *Pasce oves meas* (lectio probabilior habet *oviculas meas*).

Ut **argumentum dogmaticum,** quod ex hoc loco in praesidium doctrinae catholicae de Primatu Petri desumitur, melius intelligatur, tria notare juvat: 1° Christum ad **solum Petrum,** quem a ceteris Apostolis etiam adstantibus sedulo discernit (*plus his*), loqui, adeoque potestatem ipsi soli tradere; deinde 2° per duplicem vocem *agnos* et *oves* **universum gregem** (inferiores et superiores, pastores aeque ac simplices fideles) ei committi; tandem 3° potestatem, quae conferatur, esse veri et summi regiminis (non solum

dignitatis seu honoris); nam **pascere valet hic regere:** etenim, quod graece bis dicitur βοσκε (*pasce*, cura pro pastione, pascua provide, nutri), id semel exprimitur per ποιμαινε; atqui verbum ποιμαινειν proprie sign. gregem ducere (L. 17, 7; 1 Cor. 9, 7), ei praeesse summo cum imperio, in omnibus quae ad gregis bonum spectant, ergo quod attinet ad iter, ad cibum et pascua, ad ordinem in stabulo alibique servandum etc. Inde verbum ποιμαινειν sign. populum *regere:* M. 2, 6 *Dux qui regat populum meum Israel.* Vide quae de primatu s. Petri longe lateque diximus ad M. 16, 18.

Trina confessio respondet negationi trinae.

Igitur gregem Petro commendavit *ter*, postquam *ter* ab eo testimonium amoris postulasset: *Simon Joannis* (1), *diligis me plus his?.... diligis me?... amas me?* Cum Christus addit *plus his* innuit oportere ut qui primus sit in auctoritate et dignitate, etiam primus sit in amore generoso et devoto erga Christum: quo enim excelsior gradus, eo major debet esse amor et sanctitas.

Respondit Petrus: *Etiam, Domine, tu scis quia amo te;* iterum idem dixit; tertio vero *contristatus* ait: *Domine, tu omnia nosti; tu scis quia amo te.* Quaestioni 1ae αγαπας με, Petrus respondet φιλω σε; eadem sunt verba in 2a quaest. et in 2o responso; sed in 3a quaest. Jesus adhibet verbum Apostoli φιλεις, et Petrus respondet φιλω. Vide quae q. 583 in margine notavi de differentia inter αγαπαω et φιλεω.

Ter igitur amorem testatur, qui Jesum **ter** negaverat. Pulcherrime s. Aug. *In Joan.*: « Redditur negationi trinae trina confessio, « ne minus amori lingua serviat quam timori, et plus vocis elicuisse « videatur mors imminens quam vita praesens. Sit amoris officium « pascere dominicum gregem, si fuit timoris indicium negare pastorem. Qui hoc animo pascunt oves Christi, ut suas velint esse, « non Christi, se convincuntur amare, non Christum, etc. » *Ter* potest etiam sumi pro perfectione, adeo ut Christus *ter* roget quia

(1) *Simon Joannis*: in scriptura primigenia lectio dubia est, nam plures codices habent *Simon Jonae*. Pater autem Petri probabiliter vocabatur **Jona** non *Joannes*: nam M. 16, 17 *Simon Bar-Jona* (absque ulla lectionis fluctuatione); J. 1, 42 *Simon filius Jonae* (et haec Vulgatae lectio numero codicum alias vincit). Nota Petrum hic, quemadmodum in prima ejus vocatione ad Apostolatum (J. 1, 42), et in promissione primatus (M. 16, 17), compellari nomine completo: qua in re habetur quid grande et solemne, atque innuitur magni momenti futurum esse illud quod dicetur.

res agitur maximi momenti, et Petrus *ter* amorem testificans summum amoris gradum significet.

Petrus jam solito modestior. Notatu dignum etiam est Petrum nunc deposuisse pristinam ostentationem atque jactantiam, eumque cum vera humilitate jam loqui : ideo non respondet ad verba Jesu *plus his*, neque amplius audet se aliis praeponere ; praeterea amorem modeste profitetur, cum dicit *Tu scis quia* etc., ad omniscientiae ejus testimonium, potius quam ad animi sui persuasionem prudenter confugiens. « Viden', ait s. Chrys., quanto melior factus sit, « quanto modestior, non arroganter contradicens, ut ante. Ideo « turbatus est : Num forte cum amare me putem, non amo tamen ? »

OBITER.

Num Petrus magis quam Joannes Jesum diligebat, magisque ab eo diligebatur ?

***Q. 981.** Ut ex hoc loco J. certo constat, Petrus magis quam ceteri Apostoli, adeoque magis quam Joannes, Jesum diligebat : cujus quidem amoris indicia ostendit plurima, v. gr. in mare se projicit J. 21, 8, pariter M. 14, 28, ut primus ad Dominum accedat ; in horto solus gladio percutit ; vehementer indignatur cum Christus dicit se multa passurum esse mala, M. 16, 22 ; magistrum a Judaeis comprehensum sequitur etc. Jam vero, eo ipso quod Jesum plus amaverit, etiam ab ipso, qui intima cordis sensa videbat, magis redamari debuit. Verumtamen Joannes videtur fuisse prae ceteris dilectus, namque J. 20, 2 dicitur *discipulus quem amabat Jesus*, et haec certe causa fuit quare J. 13, 23 *in sinu Jesu* recubuerit. Quomodo hoc explicatur ? Videsis s. Thom. 1, 20, 4, ad 3 (cf. ib. 3, 45, 3, ad 4).

Sequens autem solvendi ratio maxime mihi arridet : Joannes magis diligebatur **amore teneritudinis** et affectus personalis, propter juventutem, acumen mentis spirituale, et praesertim virginitatem ; ita Brev. Rom. 27 Dec. « Specialis praero- « gativa castitatis ampliore dilectione eum fecerat dignum » ; concinit s. Hier. *Contra Jovin.*, et s. Aug. *De contin.* 11 ; *Ep. 89 ad Hilar.* Petrus vero magis diligebatur **amore aestimationis** et existimationis, quasi majoris pretii habitus fuerit, propter animi promptitudinem qua in Jesum ferebatur, propter vim indolis actuosam, propter fortitudinem et virilitatem, atque judicii maturitatem (J. 20, 6 tardius venit ad sepulcrum, sed illud intrat). Ideo vitae *activae* figuram refert, Joannes vero *contemplativae*, ut docent ss. Patres. Porro s. Chrys. (*Hom. 87 in J.*, cit. in Brev., oct. s. Joan.) diserte affirmat Jesum erga Petrum majorem testatum esse dilectionem.

Joannes magis intimus, sed Petrus magis honoratus. Ut sententiam nostram ulterius declaremus, dicemus Joannem quidem Jesu magis intimum magisque familiarem fuisse (unde factum sit ut ipse solus, in ultima Coena, rogare ausus fuerit quis demum esset proditor, J. 13, 25) ; sed Petrum majore honore fuisse insignitum, omnibusque praepositum, utpote magistri successorem in auctoritate imperii et regiminis. Verbo dicamus omnia : priori quidem Servator commendavit **matrem, Ecclesiam** vero posteriori. — De hac quaest. cf. Estius *in J.* 21, 15.

B. Martyrium Petro praedicitur.

Praeced. vide ante q. 980.

J. 21, 18. Amen, amen dico tibi: cum esses junior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas: cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. 19 Hoc autem dixit, significans qua morte clarificaturus esset Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei: Sequere me. 20 Conversus Petrus etc. *Ante q. 983.*

Q. 982. Qua occasione, et quibus verbis, Christus praedixit fore ut s. Petrus crucifigeretur? Explica illa verba.

Resp. Jesus Petri testimonium illico accipit, illudque confirmat, praedicens fore ut ipse veritatem et efficaciam dilectionis per **martyrium** quondam demonstret. Nolim astipulari sententiae eorum qui autumant verba sequentia a Jesu dicta fuisse tamquam praemium eximii amoris quem Petrus declaraverat: potius monetur Apostolus animi fortitudinem haud mediocrem pro fide ostendendam fore, simulque certior redditur illud reipsa futurum esse.

Allegoria de morte crucis. Igitur, verba quaedam addit allegorica, ex more juventutis et senectutis desumpta, ut significet qua morte Apostolus ille moriturus sit, sc. per crucis supplicium. Juxta Estium non significatur mors supplicio *crucis* inferenda, sed in genere mors *violenta* pro Christo. Merito ei contradicunt plerique interpretes (vel ipsimet Rationalistae, ut De Wette 5ª ed.), v. gr. Tert. *Scorp.* 15 : « Tunc Petrus ab altero *vincitur*, cum *cruci* « adstringitur. » Hoc adhuc evidentius significatur per *extendes manus tuas*, nam *manuum extensio* specialiter signat supplicium *crucis*. Artemidorus illud vocat την των χειρων εκτασιν, et Plautus ait: « *Dispessis manibus* patibulum cum habebis. » S. Barn. 12 et s. Just. *Tryph.* 97 verba Is. 65, 2 *Expandi manus meas* etc. de Christo crucifixo exponunt.

Sed verba Jesu jam audiamus.

Cum esses junior (sensus non est: cum esses junior quam nunc es: sed: quamdiu eras et eris aetate non provectus, adeoque usque ad senectutem tuam) (1), *cingebas te* ad iter faciendum, *et ambulabas ubi volebas*, plena perfectaque actuum libertate fruebaris et nunc frueris; sed in senectute tua non jam res ita se habebit: tunc vis tibi inferetur; etenim *cum senueris, extendes manus tuas* etc. i. e. tui

(1) Non significatur Petrum tunc fuisse *junioris* adhuc aetatis, sed hoc tantum ponitur, ipsum nondum fuisse *senem*.

ipsius dominus non eris, sed ab alio indueris et deduceris, et eo quidem perduceris quo tu non vis. Sententia haec *indueris* exprimitur per duas actiones : *extendes manus*, ut facit ille qui tunica induitur ab alio, et *cingeris* (*alius te cinget*), quod fit post impositam tunicam (1).

Ita loquitur Jesus per **allegoriam** et *symbolice* (quod fieri solet in sermone prophetico), ut sub ista imagine significet Petro quondam, in provecta aetate, mortem vi inferendam esse, et per crucis quidem supplicium : *extendes manus tuas*, scil. in cruce, *et alius te cinget* i. e. vinculis te cruci adstringet. CINGET, sensu improprio, pro *funibus te ligabit* (2) (*cinget* pertinet ad allegoriam, potius quam ad rem ipsam quae per figuram exprimitur). Sunt tamen qui verbum *cinget* sensu proprio sumant, et putent respici ad cingulum quo verenda damnatorum tegebantur (cf. q. 854) : Langen *Die letz. Lebenst. J.*

Pergit Evangelista : *Et ducet quo tu non vis*, i. e. tibi ita ligato mortem in cruce inferet.

Difficultas miro modo soluta a P. Corluy. LUCET, quum sequatur post *extendes manus tuas et alius te cinget*, rursum spectat ad similitudinem quae latet sub allegoria, potius quam ad ipsam rem quae per figuram significatur. Valde enim naturale est ut, si agatur de sene, prius mentio fiat de ipso vestiendo et deinde de ipso deducendo, sed in supplicio crucis damnati non ducuntur ad supplicium postquam *extensis manibus cincti* seu ligati fuerint. Hoc quidem admittit P. Corluy *Comm. in J.*, dicens patibulum ab istis hoc modo portatum fuisse, ut brachia extensa ligno transverso funibus adstricta essent. Sed mente non concipitur quomodo crux, cujus onus grave erat, tali ratione ad supplicii locum gestaretur.

Nonnulli autem interpretes, quum putent supplicium crucis directe designari, inversionem quamdam (*hysteron proteron*) admittunt, quae inde orta esset quod Jesus rem praecipuam praeposuisset : quasi dixisset *Extendes manus tuas* in cruce, *et ligno adstringeris* (vel, juxta alium sensum, velo *cingeris* super verenda) ;

(1) Tunica, cum larga et longa esset, cingulo constringebatur et pro itinere attollebatur.

(2) Probabile est, ut diximus q. 849, cruciarium pro faciliore supplicii executione *vinculis* ad lignum *ligatum* fuisse antequam clavis affigeretur.

atque ita fiet ut *ductus fueris quo tu non vis*. Haec autem explicatio haud improbabilis est.

Quidquid sit de istis, juvat **pulchra** referre **verba s. Aug.** *in* ℣. 123 : « Hunc invenit exitum ille negator et amator ; praesu- « mendo elatus, negando prostratus, flendo purgatus, confitendo « probatus, patiendo coronatus : hunc invenit exitum, ut pro « ejus nomine perfecta dilectione moreretur, cum quo se moritu- « rum perversa festinatione promiserat. »

Quo tu non vis, sc. ad mortem, a qua natura humana per se abhorret : *vis* dicitur de voluntate improprie dicta. « Licet volun- « tas, ait s. Chrys., firma et constans effecta erat, attamen natura « erat imbecilla : nemo enim sine dolore corpus deponit : ita Deo « utiliter dispensante, ne plurimi violentam sibi mortem inferrent. »

V. 19. *Clarificaturus Deum :* martyrium est maximum testimonium *veritatis*, ergo in gloriam Dei cedit.

Et cum hoc dixisset, addidit **Sequere me.** Cf. J. 13, 36 *Quo ego vado, non potes me modo sequi : sequeris autem postea :* i. e. morte violenta secundum exemplum meum afficieris. Probabiliter eodem sensu sumitur hic *sequere me.* S. Chrys tamen sic : Sequere me in officio docendi et regendi Ecclesiam, esto successor meus : sed hoc jam significatum fuerat per *pasce* et *rege.* Quidam autem neoterici sensu literali hoc intelligunt : Tu nunc veni mecum ; isti putant Jesum voluisse Petrum seorsum vocare, ut nonnihil ipsi secreto diceret (ita *Kuinol). Haec interpretatio suggesta fuit per vers. seq. in quo verbum *sequi* hoc sensu adhibetur.

C. Sors Joannis futura obscure indicatur.

Praeced. vide ante q. 982.

J. 21, 20. Conversus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat Jesus, sequentem, qui et recubuit in coena super pectus ejus, et dixit : Domine, quis est qui tradet te? 21 Hunc ergo cum vidisset Petrus, dixit Jesu : Domine, hic autem quid? 22 Dicit ei Jesus : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? tu me sequere.

23 Exiit ergo sermo iste inter fratres, quia discipulus ille non moritur. Et non dixit ei Jesus : Non moritur : sed : Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te?

CONCLUSIO POSTERIOR ET ULTIMA EVANG. SEC. JOAN.

J. 21, 24. Hic est discipulus ille qui testimonium perhibet de his, et scripsit haec, et scimus quia verum est testimonium ejus.

25 Sunt autem et alia multa quae fecit Jesus : quae si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.

Finis Evang. sec. Joan.

Q. 983. 1° Quis, cui, et qua occasione, dixit haec Vulgatae verba: *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ?* 2° Sensum explica. 3° Quomodo aliqui discipuli primitivae Ecclesiae haec verba intellexerunt ? Rectene ? addendo rationem.

R. ad 1m. Petrus, ut videtur, intellexerat, per verba Jesu *sequere me* non tantum significari, oportere ut magistro adhaereret constanter, sed ut ad exemplum ejus mortem crucis fortiter subiret. Si non ex verbis *sequere me*, saltem hoc didicerat ex praedictione allegorica v. 18 relata. Dum hoc de vitae exitu secum recogitat, conversus videt Joannem sequentem, et de futura illius sorte Jesum interrogat, « Putans, ait s. Chrys., ipsum de se velle « interrogare, nec audere » ; et sic vicem reddit ipsi : Joannes enim in ultima coena, urgente Petro, a Domino petierat quis eum traditurus esset.

Salvator autem **Petri curiositati** (1) satisfacere non vult ; insinuat tamen fore ut Joannes ad provectam senectutem perveniat. *Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te ?* Loco *sic* legi deberet *si*, ut affirmant Mald., Jans. Gand., Estius, Beel., Corluy, etc. ; etenim ex antiquis versionibus sola Vulg. nostra (praeter aliquos Patres latinos, teste Mald.) habet istud *sic ;* atque in codd. graecis certo et constanter reperitur εαν, non ούτω (2).

R. ad 2m et ad 3m. Sensus est : Si volo ut is maneat, sc. in vita (*manere* videtur opponi verbo praecedenti *sequi,* quod probabiliter de morte dictum fuerat), *donec veniam*, puta, extremo mundi tempore tamquam judex futurus, i. e. si volo ut usque ad finem vivat seculorum, *quid ad te ? Tu me sequere*, nempe simili morte, secundum sententiam communem. Ergo tuam propriam sortem cogita, et non te sollicita de sorte alterius. S. Chrys. paulo aliter : *Tu* fac tua, tua cura et provide, officium tuum imple, sc. *me sequendo* tamquam successor.

---

(1) Sunt qui Petro nonnihil invidiae adscribant, Bisp. *eine gewisse Eifersucht*, *Meyer *Eifersuchtelei :* sed immerito, recordatio (v. 20) quaestionis in Coena factae potius insinuat benignam quamdam Petri mentem vicem reddendi Joanni.

(2) **Lectio certo mendosa quare non fuerit correcta.** Mirum est, ait Estius, istud *sic* in Bibl. Sixt. correctum non fuisse : forsitan causa fuit antiphona, quae in Brev. Rom. ad Laud. officii s Joan. legitur, quaeque justa ratione habet *sic*, quia non additur neque addenda sunt verba *Quid ad te ? tu me sequere*, quum haec officio non congruant. Ne ibi imperfecta et suspensa esset oratio *si eum volo manere donec veniam*, placuit *si* mutare in *sic*, salvo tamen sensu, quia *sic* includitur in eo quod est *manere*.

Petri curiositas reprimitur. Christus igitur Petri quaestionem cum molestia quadam audivit, eamque satis severe repulit ; ideo fortasse quod ex inani curiositate, vel saltem ex inconsiderantia fuisset proposita. « Quia Petrus semper, ait s. Chrys., ad tales « interrogationes fervens promptusque erat, fervorem ejus prae- « cidens et docens non esse ulterius inquirendum, sic respondit. » Apostolus autem ille, quum nunc modestior factus fuerit, repugnare, ut supra M. 26, 35, non amplius ausus est (s. Chrys. ad loc. M. modo cit.).

Nostra curiositas excitatur. Sunt qui verba *donec veniam* intelligant de adventu Christi improprie dicto in clade Jerosolymitana, vel (Fouard) de regno Christi in Ecclesia stabilito post destructum Judaismum (Joannes enim solus ex Apostolis felicem illum vidit eventum) : sed hoc sensu tunc intellecta non fuerunt verba Christi, nam ex v. 23 colligimus, eo tempore quo Evangelium Joannis editum fuit, diu post cladem Jerosolymitanam, opinionem adhuc exstitisse inter christianos apostolum Joannem non moriturum. Olim quidam scriptores contenderunt ipsum re vera mortuum non fuisse, vel statim post obitum revixisse, eumdemque nunc in sepulcro requiescere quasi somno mersum, atque inter vivos denuo appariturum in fine seculorum, circa ultimum Christi adventum in terram. Hac de re videsis Mald., et praesertim Calmet *Diss. in obitum s. Joannis Evangelistae* (post proleg in Evang. Joan.), ubi multa sunt quae curiositatem nostram movere possunt.

Difficultas nondum soluta. Unum autem est, mea quidem sententia, quod in quaestione ista hactenus perfecte explicatum non fuit, sc. quo sensu intelligenda sint verba Christi obscurissima *Si eum volo manere donec veniam.* Prima specie, in sensu obvio et naturali videtur Dominus innuere Joannem non moriturum ante alterum suum adventum in fine seculorum; et in v. 23 ipsemet Joannes videtur credere vel exspectare id futurum esse : sed ex una parte, aegre admitterem, quod nonnulli autumant, apostolos in scriptis suis expressisse falsam opinionem Jesu *parousiam* cito eventuram esse (1) (puta quibusdam hominibus istius generationis

(1) Quod ipsi in opinione privata et personali errare potuerint, concedo : sed quod in scriptis divinitus inspiratis errorem hunc expresserint, hoc cum theopneustia conciliare nequeo. An in Scriptura reperiuntur errores, v. gr. de rebus quae ad fidem moresque non spectant ? Non loquor de editionibus aut versionibus Scripturae, sed de textu qualis exiit e manu auctoris.

adhuc viventibus). Ex altera parte, opinio de Joanne adhuc vivente alicubi, quasi in sepulcro dormiente seu in lethargia torpente, nullam habet probabilitatem, ut docet Calmet l. c. Omnino constat ipsum vere mortuum esse Ephesi ibique sepultum (secundum Chron. Alexandr. erat 100 ann.).

Incertus haereo. Quid igitur dicendum? An verba Christi possent haberi tamquam mera hypothesis hyperbolica, hoc sensu: *Si vellem* ut ille maneret in vita mille annis, imo usque ad finem seculorum, quid, quaeso, hoc faceret tibi? Ergo cessa hac de re te sollicitare. Sed obstat *si volo*, non *si vellem*. Ergo explicationem quae plene satisfaciat non invenio, meamque fateor ignorantiam. Rem igitur doctioribus commendo vehementer.

V. 23 et 24. Clausula de cujus authentia multum disputatur: cf. q. 976. *De his* quae in append. referuntur 1-23, non quae in toto Evang. scripta fuerunt, nam hoc conclusum fuerat cap. 20, 30.

Alia multa etc. Ne lectores putarent hoc solum esse quod supplere potuisset, et inde concluderent omnia complete narrata fuisse, affirmat, hyperbole usus populari, impossibile esse singulatim exponere quaecumque fecisset Jesus: indirecte innuit rationem specialem et magni momenti exstitisse quare istud unicum factum adjecerit: q. 975.

Capere, non sensu spirituali pro *intelligere*, ut quidam veteres volunt; sed sensu materiali, ut constat ex *qui scribendi sunt libros*.

§ 7. APPARITIO 8ª, IN MONTE GALILAEAE. 28, 16-20 (fin.).

Praeced. vide ante q. 977.

M. 28, 16. Undecim autem discipuli abierunt in Galilaeam in montem, ubi constituerat illis Jesus. 17 Et videntes eum adoraverunt: quidam autem dubitaverunt. 18 Et accedens Jesus locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in coelo, et in terra. 19 Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti: 20 docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi.

Finis Evang. secund. Matth.

Praeced. ante q. 969.

Mc. 16, 15. Et dixit eis: Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. 16 Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur. 17 Signa autem eos, qui crediderint, haec sequentur: In nomine meo daemonia ejicient: linguis loquentur novis: 18 serpentes tollent: et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super aegros manus imponent, et bene habebunt. 19 Et Dominus quidem etc.

Vide ad. q. 989.

S. Matthaeus, postquam retulit apparitionem Jesu mulieribus factam, omnes alias apparitiones omittit, et unam tandem adhuc narrat, eam nempe de qua in hoc § 7 agitur. Certe ideo hanc memorat, quia summi momenti sunt verba quae Jesus tunc dixit.

Nota. Ex J. 20, 26 novimus Apostolos post octavam Paschatis adhuc Hierosolymis mansisse per 2 saltem dies; deinde abierunt in Galilaeam, secundum mandatum M. 28, 10, ad montem quem Jesus eis designaverat.

Plures interpretes censent verba Mc. 16, 15-18 a Servatore dicta fuisse, non in apparitione 5ª, coram Apostolis absente Thoma (q. 969), ut Marcus primo intuitu videtur significare, sed in monte Galilaeae, ut ait M. Etenim verba Mc. omnino similia sunt iis quae M. habet. Ideo locum illum Marci hic recitavimus; et obiter notamus Evangelistas quandoque conjungere quae non eodem tempore evenerint.

Q. 984. Circa apparitionem Jesu in monte Galilaeae quaeritur: 1° Quis fuerit ille mons. 2° Factumne diversum est ab eo de quo 1 Cor. 15, 6, ubi dicitur Jesum *visum fuisse plus quam 500 fratribus simul?* 3° Num discipuli crediderunt eum quem cernebant esse Jesum? 4° Quibus verbis munus Evangelicum tunc eis traditum fuit? 5° Ostende s. Matthaeum praeclare claudere Evang. suum, et refuta Rationalistas qui veritatem **Ascensionis** oppugnant, propterea quod M. de facto illo nihil dixit.

R. ad 1m. Mons ille non cognoscitur: sunt qui putent eumdem esse de quo M. 5, 1 mentio fit, in quo nempe octo Beatit. praedicatae fuerunt; alii vero opinantur fuisse montem Thabor, etc. Sed certo errant qui dicunt fuisse montem in quem Jesus post multiplicatos panes ascendit M. 14, 23, nam tunc non erat in Galilaea. Ceterum, supponendum est montem illum a Jesu designatum fuisse in una ex apparitionibus ejus Jerosolymitanis.

R. ad 2m. Multi interpretes, teste Estio, censent idem esse factum; sed res dubia est, nam M. de *undecim* tantum loquitur *discipulis:* dici tamen potest de his tantum mentionem fieri a M., quia vult referre mandatum quod ipsis *specialiter* injunctum fuit.

R. ad 3m. **17** VIDENTES EUM ADORAVERUNT: hoc generaliter dictum signif. longe majorem partem eum agnovisse et *adorasse* (genua flectentes vel in terram se prosternentes προσεκύνησαν): certe cultum

religiosum ei exhibuerunt, sed an cultu *latriae* eum tamquam *Deum* adoraverint, dici nequit. *Quidam autem dubitaverunt : οἱ δὲ.* Quum non praecedat *οἱ μὲν*, non dividuntur in duas partes aequales, sed qui dubitaverunt cogitandi sunt numero pauciores, sc. *quidam* tantum ex eis.

Non certe dubitaverunt de ipsamet resurrectione Christi, sitne facta necne : nimis enim certi erant hac de re, post tot apparitiones a L. et J. relatas ; sed dubitaverunt utrum ille quem eminus viderent venire esset revera Jesus (cf. J. 21, 7), an non esset phantasma, sicut olim ipsum pro phantasmate habuerant L. 24, 36. Ergo primo momento eum non agnoscentes, nullum venerationis signum dederunt : immobiles manserunt, forte stupefacti splendore corporis gloriosi subito apparentis. Sed mox Jesus **18** *accedens ad eos*, propiusque se ostendens, omne dubium abstulit. Ita s. Chrys., qui addit : « Quod si quidam dubitaverint, hinc quoque illorum vera-« citatem mirare, quomodo nempe ad ultimum usque diem « infirmitates suas non occultant. »

Fouard aliique dicunt dubitantes illos non fuisse Apostolos, sed alios ex 500 illis fratribus qui simul adessent : verum contextus apud M. omnino indicat Apostolos.

Explicatio autem Luc. Brug., qui aor. *ἐδίστασαν* sumit pro plusquamperfecto, hoc sensu : quidam *antea dubitaverant* (v. gr. Thomas), vim verbis infert et pro arbitrio inventa est.

R. ad 4^{m}. DATA EST MIHI OMNIS POTESTAS IN COELO ET IN TERRA : gravi solemnique utitur exordio, quia res agitur summi momenti. Loquitur de potestate, quam per merita mortis a Deo Patre accepit, adeoque quam tenet qua Redemptor et caput Ecclesiae : Phil. 2, 9 *Propter quod et Deus exaltavit illum* etc. Christus, ut homo, summam illam potestatem consecutus est *ratione inchoata* in Incarnatione, *completo* vero et *perfecto modo* postquam revixit, propter Passionis et mortis merita. Olim jam suprema Christi dominatio praedicta fuerat : Ps. 2, 8 *Dabo tibi gentes hereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.*

Q. 985. Muneris Evangelici sex capita.

19 EUNTES ERGO DOCETE etc. Istud *ergo* optime nectit : si genuinum non sit, quum in plerisque desit codicibus, debet saltem

mente suppleri, hoc modo : quum summa polleam potestate *in coelo et in terra*, eam vobis delegare jure possum ; igitur mitto vos ut eatis in mundum universum eumque fidei subjiciatis. Hunc in finem sequentia perficietis :

1° Evang. gentilibus praedicandum.

Euntes docete omnes gentes : en legitima missio, divinitus accepta, qua nititur eorum auctoritas in praedicando, Rom. 10, 15 *quomodo praedicabunt nisi mittantur ?* — DOCETE : *μαθητευσατε*, *discipulos facite*, in Evangelio instituite, non solos Judaeos, ut dixerat supra (10, 5 *In viam gentium ne abieritis)*, sed *omnes gentes*.

Idem significat Mc. *Euntes in mundum universum, praedicate Evang. omni creaturae.* Nolim enim in dictione *omnis creatura* sensum quemdam abstrusum invenire, quasi homo vocaretur *omnis creatura* propterea quod habeat in se aliquid ceterarum creaturarum (*esse* cum lapidibus, *vivere* cum plantis, *sese movere* et *sentire* cum animalibus, *intelligere* cum Angelis), ut censet s. Greg. (*hom. 29 in Ev.*, cit. in Off. Ascens.) : haec enim sunt longius quaesita, atque a sensu verborum obvio et naturali nimis remota. Dicam simpliciter per *omnem creaturam* designari *omnes omnium gentium homines*, seu *παντα τα εθνη*, ut ait M. in loco parall.

Attamen, a parte rei verum est, per regenerationem hominis in christianismo quamdam etiam naturae irrationalis renovationem (cf. Rom. 8, 19 sq.), et ipsius quidem naturae angelicae perfectionem (Eph. 3, 10 ; 1 Petr. 1, 12), adventuram esse. Atque adeo per Ecclesiae apostolatum aliquo sensu *praedicatur Evangelium omni creaturae*, quia *omnis creatura* aliquid de mirabili ejus effectu participat.

2° Praeceptum baptizandi.

Eos autem qui *crediderint* praedicationi vestrae (hoc supple ex Mc. *Qui crediderit et baptizatus fuerit*), baptizabitis in *nomine Patris* etc. (1). Praecedunt autem doctrina et fides, quia « Fieri non « potest, ait s. Hier., ut corpus baptismi recipiat Sacramentum, « nisi ante anima fidei receperit veritatem. » Baptizandi sunt

(1) Nonnulli auctores censent tunc institutum fuisse Sacram. Baptismi ; alii autem docent illud factum fuisse, quando Jesus baptizatus fuit in Jordane : cf. q. 141.

homines *in nomine Patris* etc. : εις το ονομα, nota εις cum acc., *in nomen*, germ. *auf den Namen* ; significat per Baptismum alicui addici, dicari, mancipari, voveri, consecrari et quodammodo uniri, unde nascatur debitum praestandi ex officio quae istiusmodi statui congruant (Beel. in Act. 19. 3). Vis illa dictionis εις το ονομα eruitur ex 1 Cor. 1, 12 : vide *Comm.* meum *in Epist. Paul.* 6ª ed. *Baptizari* εις τον Χριστον explicavi Rom. 6, 3-11 ; Gal. 3, 27. *In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti*, « Ut quorum una est « divinitas, pergit s. Hier., una sit largitio (1). »

Proprie loquendo mens Jesu non est in his verbis Sacramenti **Baptismatis formam** tradere, nam legitur εις το ονομα, non εν τω ονοματι ; sed ex illis verbis orta est *forma*, ut testatur vetus traditio et perpetua Ecclesiae consuetudo. Huic vero non repugnat quod dicitur in Act. Ap. 2, 38 ; 8, 12 ; 10, 48 ; 19, 5, Baptismum *in nomine Jesu*, vel *Christi*, vel *Jesu-Christi* collatum fuisse : videsis *Comm.* nostr. in ill. l. (5ª ed.).

3° Quid praedicare debeant.

Docebitis homines **20** *servare omnia quaecumque mandavi vobis.* Itaque non sufficit fides, etiam cum Baptismo, sed opera charitatis requiruntur. « Oportet, inquit s. Greg. M. *Hom. 29 in Evang.*, « fidem operibus tenere. Vera etenim fides est, quae in hoc quod « verbis dicit, moribus non contradicit. »

Consectarium dogmaticum. Simul declaratur magisterium vivum a Christo institui : etenim quae *mandata* fuerunt disci debent non ex documentis scriptis, sed ex praedicatione Apostolorum : quae quidem praedicatio legitima missione et auctoritate divina nititur.

4° Quid requiratur ad salutem.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, Mc. (adde ex M. qui *servaverit* usque ad finem vitae *omnia quaecumque mandavi*) *salvus erit*, i. e. vitam aeternam obtinebit (Mc.) : *qui vero non crediderit, condemnabitur*, Mc. Non ait : qui vero non crediderit *et non baptizatus fuerit*,

(1) Ex hoc loco ss. Patres **mysterium ss. Trinitatis** recte demonstrarunt : etenim tres personae distinctae nominantur : sed una eademque auctoritas eis tribuitur, cum dicatur *in nomine* non autem *in nominibus*, proinde una eademque ipsis est natura divina.

quia 1° adultus qui fidem amplecti non vult, per hoc ipsum excluditur a Baptismo ; 2° quia Baptismus aquae potest suppleri per baptismum sanguinis et desiderii, sed fides semper necessaria est.

5° Potestas miracula patrandi.

Signa autem seu miracula omnis generis fidem discipulorum meorum comitabuntur, demonstrabunt et confirmabunt : *daemonia ejicient* etc. Mc. Eadem potestas jam data fuerat olim, p. 362. Initio Ecclesiae frequentiora fuisse miracula, notum est omnibus. De charismatibus istius aetatis videsis 1 Cor. 12, 1 sq. ; in specie de *glossolalia* seu usu *linguarum novarum* cf. 1 Cor. 14, 1 sq. : pleniora hanc in rem dedimus in *Comm.* nostro *Epist. Pauli*, 6ª ed., ad illa loca. *Serpentes tollent,* i. e. impune manu tractabunt (potius quam *auferent, occident, fugabunt)* : exemplum narratur Act. 28, 2 sq. *Si mortiferum quid biberint* etc. : in memoriam nobis revocemus quae de s. Joanne calicem veneno plenum per miraculum confringente traduntur apud s. Aug. in *Soliloq.*, et apud s. Isid. *De morte sanct.* 73.

6° Ecclesiae perpetuitas, ejusque divina auctoritas.

Tandem Apostolos ad munus praedicationis animat : *Ecce ego vobi cum sum, omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Quando dicit *vobiscum* intelligit etiam eorum successores omnes : nos alloquitur, ait s. Aug. *De Gen. ad lit.* 6, 8 ; nec tantum nos, sed etiam eos omnes qui futuri sunt post nos. Neque enim undecim illi, ad quos verba facit usque ad consummationem seculi victuri erant. *Vobiscum sum*, per praesentiam atque auxilium. Sensus est : quodcumque facietis tamquam legati mei, illud ipsum vobiscum perficiam ; auctoritas et potentia mea vestra erit ; igitur non est quod timeatis!

Verbis illis celeberrimis, et merito notandis, demonstratur, tum **Ecclesiae** sanctae **perpetuitas,** tum **divina auctoritas** eorum qui per omnium spatium seculorum succedent Apostolis et nomine Christi Ecclesiam regent.

Pulchra Matthaei conclusio. R. ad 5ᵐ quaestionis 984, p. 1283. Matthaeus Evang. suum pro Judaeis scriptum apte claudit praecepto praedicandi fidem *omnibus gentibus.* Hoc enim Judaeis incul-

candum erat, ut non aegre ferrent gentiles secum vocari ad regnum Messianicum : novimus ex Act. 11, 3 ; 13, 45 ; 22, 22 quantopere hac de re offensi fuerint. Deinde addit in ultimis verbis promissionem illam Christi praeclarissimam : *Ego vobiscum sum usque* etc. **Fundatio Ecclesiae,** quae vices Christi deinceps geret, verbis illis tacite continetur ; atque adeo vita Jesu in terris jam absolvenda est, vel potius in vitam Ecclesiae transibit. Verum, manet ultimum factum, quod ad vitam Domini in terris pertinet, et quo vita ejus altera, seu coelestis, simul incipit, nempe *Ascensio*, de qua tacet quidem M., sed cujus historia ex L. necessario supplenda est.

Rationalistae objiciunt Matthaeum nihil dixisse de Ascensione. Certe satis mirum est a M. nihil omnino dici de modo quo Jesus suos reliquit discipulos. Inde Rationalistae arripuerunt occasionem oppugnandi veritatem Ascensionis : ex. gr. *De Wette (3e *Ausg.*) contendit eo tempore quo M. scripsit, discipulos contentos fuisse hac opinione : Jesum ad Patrem rediisse, et nonnisi postea, quando alia Evangelia prodierunt, mysterium, quod in isto discessu latebat, explicatum fuisse per inventionem aspectabilis ascensus in coelum.

Objectio diluitur. His autem assertionibus plane gratuitis (gall. *de pures suppositions*) pauca respondebimus. Et 1° quidem silentium M., quod attinet ad Ascensionem, ex multis aliis causis oriri potuisse, adeo ut ignorantia aut negatio facti apud M. admittenda non sit. Vide Joannem : nec ipse refert Jesu Ascensionem, attamen factum illud novit et omnino verum agnoscit, quum 20, 17 (coll. 16, 7 seq. ; 14, 2, 3) in ore Jesu diserte ponat praedictionem Ascensionis in coelum. Deinde 2°, si Ascensio fabula est seu mythus, quomodo Apostoli et discipuli eam tam firmiter crediderunt ? Quomodo falsitatem illam docet Ecclesia, quae *columna et firmamentum veritatis* aperte vocatur 1 Tim. 3, 15, et per 18 seculorum existentiam tamquam talis demonstratur ?

Sed haec hactenus, quae jam nimia aut superflua hominibus sanae mentis videbuntur. Ultimam Jesu apparitionem, quae per factum illud mirabile Ascensionis finem habuit, nunc exponere oportet.

8. APPARITIO ULTIMA, IPSOMET ASCENSIONIS DIE. L. 24, 44-49.

Praeced. vide ante q. 969.

L. 24, 44. Et dixit ad eos : Haec sunt verba, quae locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscum, quoniam necesse est impleri omnia quae scripta sunt in lege Moysi, et Prophetis, et Psalmis de me. 45 Tunc aperuit illis sensum ut intelligerent Scripturas: 46 et dixit eis: Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die: 47 et praedicari in nomine ejus poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Jerosolyma. 48 Vos autem testes estis horum. 49 Et ego mitto promissum Patris mei in vos: vos autem sedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto. 50 Eduxit autem eos etc. *Ante q. 990.*

Act. 1, 3. Quibus (Apostolis) et praebuit (Jesus) seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. 4 Et convescens, praecepit eis ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, quam audistis (inquit) per os meum: 5 quia Joannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies.

6 Igitur qui convenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? 7 Dixit autem eis: Non est vestrum nosse tempora vel monumenta, quae Pater posuit in sua potestate: 8 sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos, et eritis mihi testes in Jerusalem, et in omni Judaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae. 9 Et cum haec dixisset etc. *Ante q. 990.*

Confer *Comm.* nostr. *in Act. Apost.* 5ª ed.

Ex Act. Apost. quaedam supplenda. *Conc. hist.* Si Lucae Evang. solum haberemus, facile putaremus Jesum in coelum ascendisse eadem nocte qua Apostolis simul congregatis primum apparuit, vespere diei quo ad vitam redierat; namque verba v. 44 *Et dixit ad eos*, et v. 50 *eduxit autem eos* videntur cum praecedentibus arcte nectenda: verum ex verbis ejusdem Lucae, Act. 1, 3 sq., certissime constat inter Resurr. et Ascens. spatium effluxisse 40 dierum, quo tempore Servator pluries spectandum se dedit Apostolis, eosque plenius in fide instituit.

Lucas autem, in hac pericopa v. 44-49, fortasse collegit atque ad praecipua rerum capita revocavit quaecumque Dominus toto illo temporis intervallo docuit et commendavit. Fieri tamen potuit ut et ipse Christus, cum ultimum Apostolis apparuit, praecedentes suos sermones paucis repetierit atque coagmentaverit; adeo quidem ut ponant nonnulli tamquam verisimile verba illa Lucae, quemadmodum et ea quae referuntur Act. 1, 4-8, in ultima Jesu apparitione vere prolata fuisse, saltem quod attinet ad rerum substantiam.

Q. 986. Narra et expone quae ad ultimam Jesu apparitionem, statim ante Ascensionem ejus, pertinent.

R. Haec contigit die 40 postquam Christus ad vitam redierat, eo ipso die quo in coelum ascendit; imo vero, apparitio per ascensum

Jesu finem accepit. Facta autem est Hierosolymis, quo Apostoli reversi erant ex Galilaea, haud diu posteaquam Servator ibi in monte se conspiciendum dederat (q. 984); probabiliter in eadem evenit domo, in qua jam bis visus fuerat, nempe in coenaculo. Cibum sumpsit cum Apostolis secundum Vulg. Act. 1, 4, quae συναλιζομενος vertit *convescens;* sed verus sensus videtur *congregatus cum ipsis* (vide *Comm.* nostr. *in Act.* 5ª ed.) : tunc colloquium cum eis instituit, quod ad quatuor reducimus capita (1) :

1° Omnia fuerunt praedicta.

Scripturae oracula explicavit, et ostendit ista omnia in morte et resurrectione sua, quamadmodum etiam in praecepto quod dedit eis praedicandi ubique, eventu confirmata fuisse : L. 24, 44-47 ; addiditque auxilium divinum eis non defuturum, v. 48 et 49a. Sed haec Lucae pericopa paucis illustranda est.

44. *In lege* etc., secundum tripartitam V. T. divisionem Judaeis solemnem : cf. M. 5, 17.

45. *Aperuit illis sensum ut* etc. Vetus T. tunc tantum rite et plene intelligimus, quando Christus nobis sensum aperit, et proinde quando illud in lumine Novi T. conspicimus.

46. *Scriptum est* de Passione Ps. 21 ; Is. 53 ; Dan. 9, 26 ; de resurrectione Ps. 15, 10 coll. Act. 2, 31 ; 13, 35 ; *tertia die*, typice apud Jon. 2, 1 sq.

47. *Et praedicari* etc. De praedicatione Messianica *omnibus gentibus* Is. 40, 3 ; 42, 1 ; 49, 1 et 6. Incipienda a Jerusalem seu *primum Judaeis* facienda Is. 2, 3 ; 28, 16 ; 40, 9 ; 60, 1 sq. Cf. M. 15, 24.

48. *Vos testes estis horum* : proprium Apostolorum officium erat *testari* de vita et doctrina, de morte et resurrectione Jesu, ut constat ex Act. 1, 8, 21 sq.

49. *Et ego mitto* etc. Pro testificatione illa auxilium supernum eis promittit, sc. Spiritum s. Hunc autem vocat *promissum Patris*, vel quia respicit ad promissiones V. T., ut Joel 3, 1 et 2 ; Is. 44, 1 sq., coll. Act. 2, 16 sq., vel quia ipse eum promisit nomine Patris, ut dicemus nunc.

---

(1) Loquimur secundum sententiam eorum qui putant apud L. 24, 44-49 et in Act. 1, 4-8 ultimum Jesu sermonem summatim referri.

2° Mox accipient Spiritum s.

Jussit ut Hierosolymis non discederent, sed ibi *sederent* et quiete exspectarent Spiritum s., quem nomine Patris sui coelestis eis promiserat (nempe J. 14, 16 et 26; 15, 26; 16, 13), et in quo essent quasi *baptizandi* Act. ; aliis verbis, induendi erant *virtute ex alto* L., quod mox futurum esse significavit (*non post multos hos dies* Act.).

3° Interrogatio importuna.

Tunc Apostoli interrogarunt Jesum utrum tempore illo *restitueret regnum Israel*, terrenum et politicum. Ipse autem noluit satisfacere huic quaestioni, neque opportunum duxit de indole spirituali novi regni eos nunc plenius edocere : certe ob rationem quam dederat antea J. 16, 12 *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Ideo eorum interrogationi nimis curiosae respondit : *Non est vestrum nosse tempora vel momenta quae Pater posuit in sua potestate. Sed accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.*

4° Ultima Jesu verba in terris : Ecclesia ipsi substituitur.

Tandem munus, quod antea jam ipsis commiserat, ultimum renovavit. *Eritis mihi testes* Act. et L., i. e. testimonium de me reddetis, hoc sensu quod *in nomine meo praedicabitis poenitentiam et remissionem peccatorum* L.; aliis verbis, salutem Evangelicam nuntiabitis, meamque promulgabitis doctrinam. Idque facietis *in nomine meo*, cum mea auctoritate et potestate, tamquam legati mei *a latere* (gall. *envoyés plénipotentiaires*) ; et hac quidem missione fungemini apud *omnes gentes, incipientes ab Jerosolyma* L., inde *in omni Judaea et Samaria, et usque ad ultimum terrae* Act. Haec sunt suprema Christi in terris verba, merito notanda; hisque demum **constituitur Ecclesia**, cujus officium et efficientia statuto die, quo Spiritus s. in Apostolos descendet, gloriosissimum accipient initium.

Juvat etiam animadvertere verba illa memorabilissima simul fuisse **ultimum vale** quod Jesus dixit dilectis suis **Apostolis**, atque in eo contineri duo rerum capita summi momenti, scil. 1° compendium omnium instructionum quas eis antea dedisset, et 2° sublimem auctoritatem divinamque potestatem eis concessam : verbo, eorum *officium* ab una parte, et ab altera parte eorum *dignitatem*.

Jesus urbem egreditur. *Cum* autem illa omnia *dixisset* Act., *eduxit eos foras in Bethaniam* L., quod sic intelligi potest : cum ipsis ex urbe egressus, secutus est viam quae ducit Bethaniam ; et, postquam in verticem montis Oliveti pervenisset, constitit ibi, indeque in coelum ascendit : vide § 9 infra.

Apparitiones Jesu in aliis Script. libris memoratae.

***Q. 987.** Praeter illas Christi apparitiones, quae in Evang. referuntur, de quibusnam aliis mentio fit in Scriptura ?

R. 1° Multi putant apparitionem 1 Cor. 15, 6, quingentis fratribus factam, distinctam esse ab illa quam q. 984 narravimus.

2° Christus videndum se praebuit s. Jacobo, 1 Cor. 15, 7. Intelligi videtur Jacobus Minor, episcopus Hierosolymitanus et frater Domini, cui Jesus singulariter sese ostendit, quemadmodum istud in gratiam Petri fecerat ; forte ideo quod Jacobo magna esset apud Judaeos auctoritas. Certe id contigit post apparitionem 500 fratribus factam, siquidem de hac statim antea (v. 6) mentio fit in Epist. ad Cor. ; proinde contigit non multo ante ipsum Ascensionis diem (1).

3° Paucis annis postea, Christus Saulo apparuit in via ad Damascum, quando ipsum ad fidem convertit, 1 Cor. 15, 8 ; coll. Act. 9, 5.

4° Possumus addere a s. Stephano, cum lapidaretur, visum fuisse Jesum stantem ad dextram Dei, Act. 7, 55.

Tandem s. Joannes, in visionibus quas habuit in insula Patmos, Apoc. 1, 13 sqq., pluries et sub variis figuris Jesum in coelis gloriosum contemplatus est : sed visiones istae Joannis fuerunt omnes *extaticae*, animo Apostoli a sensibus alienato, adeoque plane diversae a praecedentibus.

***Q. 988.** (Repetendi gratia). Quoties accidit ut Christus, quando spectandum se obtulit, statim agnitus non fuerit ?

R. Ter : 1° quando apparuit Mariae Magd. J. 20, 14 ; 2° discipulis euntibus in Emmaus L. 24, 17 ; et 3° septem discipulis in litore lacus Tiberiadis J. 21, 4.

COMPLEMENTUM

EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.

§ 9. ASCENSUS CHRISTI IN COELUM.

Q. 989. Quare in commentario Matthaei quaedam apte adjunguntur de **Ascensione** et de **Descensu Spiritus s.** ?

Quaedam de Jesu *Ascensione* adjungimus, propterea quod in ea sit « Consummatio et adimpletio reliquarum solemnitatum [quae ad

(1) Ut fabulosum rejicimus quod s. Hier. *De vir. ill.* 2 refert ex Ev. Hebr.: Jacobum jurasse se non comesturum panem donec videret Dominum a mortuis resuscitatum ; Jesum autem ei apparuisse ut voto eum solveret.

« Christum spectant], et felix clausula itinerarii Filii Dei (s. Bern., « *Serm. 2 de Ascens.*). » Cf. supra q. 26. Deinde verbulum addendum erit de fundatione et exordio Ecclesiae die Pentecostes, quum Ecclesia sit finis ob quem Christus in terram venerit, atque adeo ultimus fructus vitae et mortis ejus ; seu potius et verius, quum vita Christi in terris tunc in vitam Ecclesiae transierit : cf. q. 994.

Praeced., vide ante q. 984.

Mc. 16, 19. Et Dominus quidem Jesus, postquam locutus est eis, assumptus est in coelum, et sedet a dextris Dei.

20 Illi autem profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante, sequentibus signis.

Finis Evang. Mc.

Praeced. ante q. 986.

L. 24, 50. Eduxit autem eos foras in Bethaniam : et elevatis manibus suis benedixit eis. 51 Et factum est, dum benediceret illis, recessit ab eis, et ferebatur in coelum.

52 Et ipsi adorantes, regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno : 53 et erant semper in templo, laudantes et benedicentes Deum. Amen.

Finis Evang. L.

Praeced. ante q. 986.

Act. 1, 9. Et cum haec dixisset, videntibus illis, elevatus est : et nubes suscepit eum ab oculis eorum. 10 Cumque intuerentur in coelum euntem illum, ecce duo viri astiterunt juxta illos in vestibus albis, 11 qui et dixerunt : Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum? Hic Jesus, qui assumptus est a vobis in coelum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in coelum.

12 Tunc reversi sunt Jerosolymam, a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.

13 Et cum introissent in coenaculum etc. *Incipit historia Ecclesiae per electionem Matthiae, et per descensum Spiritus sancti.*

Praenota Mc. 16, 19 *Et Dominus quidem Jesus postquam locutus est eis* non certo referri ad ea quae apud Evangelistam illum proxime praecedunt : nam sermones, qui ibi v. 15-18 recitantur, a Jesu probabiliter prolati fuerunt in apparitione 8ª, quae facta est in monte Galilaeae, ut diximus supra ante quaestionem 984. Igitur verba Marci, *postquam Jesus locutus est eis*, intelligenda sunt generatim de omnibus quae Salvator, per 40 dies inter resurr. et ascens., discipulis dixerat.

Q. 990. Ascensionem Christi cum omnibus loci, temporis rerumque adjunctis narra et explica.

R. Quae proxime praecesserint, q. 986 exposuimus. Ergo Ascensio contigit die 40° post Resurr., proinde feria 5ª, nempe die 5° Maii, secundum sententiam communem, quae tenet Jesum 25 Martii mortuum esse.

Mystica ratio. Quo vero diei tempore ? Audi s. Aug. *in Ps.* 54, 18: « **Vespere,** Dominus in cruce, **mane** in resurrectione, **meridie** « in Ascensione. » Quod sane arcana significatione non vacat : in meridie enim (ut addit ib.) lux excelsa est, splendor sapientiae, fervor dilectionis.

Ascensio contigit in monte Oliveti.

Locus autem fuit, non, ut plures Protestantes contendunt (v. gr. W. Smith *The student's Scripture history;* pariter *Dict.* a. *Olives (mount of)* vicus Bethania, sed vertex montis Oliveti, unde via Bethaniam descendit (intelligitur vertex medius). Hoc innuitur Act. 1, 12, ubi dicitur Apostolos post Ascens. rediisse Hierosolymam *a monte qui vocatur Oliveti, qui est juxta Jerusalem, sabbati habens iter.*

Objicitur L. 24, 50 *Eduxit eos foras in Bethaniam*, ἑως εις Βηθανιαν, quod significare videtur *usque ad Bethaniam*, adeo ut ierit cum ipsis Bethaniam; qui vicus erat longius distans, ultra verticem montis, adeoque in latere ejus orientali; namque J. 11, 18 dicitur ab urbe distare *15 stadiis*, quum vertex montis Oliveti nonnisi spatio *itineris sabbatici* Act. 1, 12, i. e. sex circiter stadiis remotus esset.

A Lap. censet Jesum reipsa Bethaniam perrexisse, ut Lazarum ejusque sorores valere diceret; deinde cum ipsis aliisque discipulis rediisse in verticem montis Olivarum, atque ex eo in coelum ascendisse. Bisping vero ἑως εις ita intelligit: usque in eum locum (montis Olivarum) unde iter Bethaniam descendit *(Bis gen Bethanien*, fl. *tot naar Bethanie waart)*. Fouard adoptat lectionem Sin. et cod. Bezae προς Βεθ., *versus Bethaniam.*

De cetero, antiqua traditio, quae Ascensionem in vertice montis collocat, validissimis comprobatur testimoniis. Sic Eus. *Vita Const.* 3, 43 refert s. Helenam ibidem ecclesiam in memoriam eventus illius gloriosissimi aedificasse. Idem *Dem. Ev.* 6, 18 pariter docet Christum ibi ascendisse in coelum. Cf. etiam s. Hier. *in Zach.* 1, 15; *Ep. ad Eust.* seu *epitaph. Paulae*, ep. 108, 12.

Quinam aderant? Praeter undecim Apostolos multi alii aderant testes, ut colligi videtur ex Act. 1, 13 et 14, probabiliter plerique ex 72 discipulis, mulieres piae quae Jesum secutae erant a Galilaea, Maria mater Jesu et fratres Domini (Act. l. c.). Hi omnes erant e Galilaea (Act. 1, 11 *viri Galilaei*), cujus incolae magis quam ceteri Judaei semper Jesu addicti fuerunt, ut patet ex universo Evangelio. Facile admitterem, cum A Lap. et Calm. aliisque, totidem adfuisse spectatores quot essent in coenaculo congregati, quando postea electio s. Matthiae facta est: *fere* 120 *homines* Act. 1, 15.

Ultima benedictio. Jesus autem, qui certe veste indutus erat,

ut antea semper (1) (Ben. XIV, *De festis*, c. 10, 45), *elevatis manibus suis*, ultimum *benedixit eis*. Verisimilius videtur et probabilius, inquit Ben. XIV ib. n. 36, eum benedixisse manibus ad eos qui aderant extensis, sicut sacerdotes in vetere Lege faciebant (Lev. 9, 22), non autem sublata dextera signum crucis formasse, sicut sacerdotes in Missa populo benedicunt.

An vultum ad Romam convertebat? In hoc ultimo momento Jesum habuisse faciem conversam ad plagam coeli septentrionali-occidentalem, adeoque respexisse ad Romam et ad gentes ethnicas, nonnulli colligunt ex vestigio pedum quod in petra reliquit (de quo statim dicemus): Adrich. *Theatr. Terrae S.* citatus ap. Allioli, *Alterth.* § 97. Sed hoc valde incertum est; supponi tamen potest propter significationem mysticam.

Sua virtute ascendit. *Et factum est dum benediceret illis, recessit ab eis et ferebatur in coelum* L.: nimirum *videntibus illis* sensim et per motum lentum *elevatus est*, puta, a Deo Patre; sed cum ipse unum sit cum Deo Patre, utpote Deus verus, ascendit *sua virtute* in aerem superiorem et inde in summum coelum. Virtute ipsi propria ascendit, id est, teste s. Thoma 3, 57, 3, ad 2^m, non ea quae ad naturam humanam pertinet, sed virtute divina, et ea quae animae beatae congruit.

Triumphans ingreditur coelum et sedet in throno. Cum autem jam in altum venisset, *nubes suscepit eum* et eripuit *ab oculis eorum*. Non dubitem quin angelicorum ordinum comitatu circumseptus coelum intraverit. Justorum animas e Patrum Limbo secum adduxit triumphans: Eph. 4, 8 et Ps. 67, 19; cf. *Comm.* nostr. in utrumq. loc. Coelum autem, in quod Christus ascendit, est locus quidam definitus: nam, ut docet s. Aug. (*Ep.* 187, 3, ed. M.), tamquam Deus est ubique, tamquam homo est in coelo, ubi sedet ad dextram Patris, i. e. in perfecta beatitudinis requie et in summa dignitate. Ibi sacerdos aeternus *interpellat pro nobis*, Hebr. 7, 25.

Angeli nuntiant ejus reditum. *Cumque intuerentur in coelum*

---

(1) **Pictores Jesum debite vestiant.** Jesum in Ascens., quemadmodum in transfig., in singulis apparitionibus coram Apostolis mulieribusque piis, ac generatim in variis Evangelicae historiae eventibus, *decenter* modesteque vestibus indutum fuisse, ad morem viri gravis, atque secundum consuetudinem magistrorum inter Judaeos istius aetatis, probe animadvertant pictores: unde tandem aliquando abstineant oportet ab inveterato ac plane reprehensibili usu oculis nostris effingendi Servatorem, panno quodam volitante, aut fascia oblonga ventis agitata, vixdum contectum (opportunus semper ventus procellosus, secus videtur Jesus nudus totus). **Ces artistes! Ces artistes!** Num vero exceptio facienda sit in imagine Jesu cruci affixi, alibi diximus satis.

euntem illum, sperantes eum denuo aspicere : *ecce duo viri* (angeli sub specie virorum) *astiterunt juxta illos in vestimentis albis, qui et dixerunt : Viri Galilaei, quid statis aspicientes in coelum ?* Magistrum vestrum amplius videre non potestis. *Hic Jesus, qui assumptus* (1) *est a vobis in coelum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in coelum* (Act. 1, 10 et 11), quando extremo mundi die redibit, judex vivorum et mortuorum : veniet igitur nubibus vectus, cum corpore glorioso et aspectabili, propria virtute per aerem sublimem ductus. Quod autem dicitur de Jesu redituro *in nubibus coeli* (cf. not. ad M. 26, 64), hoc sane de ea nubium specie, quae nunc existit, intelligendum non est, quum mundus totus sit innovandus.

Jesus jam adoratur ut Deus. Tunc in genua provoluti, Jesum *adoraverunt*, certe cultu latriae tamquam Deum et Dominum suum (*ipsi adorantes* L., i. e. postquam adoravissent, in graeco est aor.). Non legimus, ait Mald. (in L. 24, 52), nisi hoc loco, Christum a discipulis *adoratum*. Nam, etsi Deum esse credebant, tamen, quia solum in eo videbant hominem, tamquam cum homine versabantur. Hunc demum *adorant*, cum in coelum ferri vident, coacti re ipsa confiteri Deum, quem ante sola fide confitebantur (2).

Quod ait Mald. non legi alibi Christum a discipulis fuisse *adoratum*, hoc sensu intelligendum est, in aliis circumstantiis non

---

(1) **Assumptus,** eodem sensu quo dicitur *elevatus*, ut modo explicavi. Similiter dicitur *resuscitatus a Deo*, quamvis sua potestate vitam recuperarit ; cf. q. 952. Sunt tamen qui verba *elevatus est* vel *assumptus est* intelligant de natura humana ab Angelis elevata. In Brev. Rom. die oct. Ascens. sub nomine s. Aug. legitur : « Dum audis *elevatum*, agnosce militiae coelestis obsequium. »

(2) **Pia traditio de pedum vestigiis** in monte Oliveti. Probabile est eos osculatos fuisse vestigia pedum, quae Dominus in monte Oliveti reliquisse traditur. Dicit s. Aug. *In Joan.* tr. 47, 4 ista sua aetate adhuc haberi et adorari. Cf. etiam *De locis hebr. in Act. Ap.*, inter opera s. Hier. (ed. Migne, t. III, p. 1301). Ven. Beda, *De nom. locor. in Act. Ap.* (ap. Migne III, 1039) : « Ubi « (in monte Oliveti) ultima Domini vestigia humo impressa hodieque monstrantur. Cumque terra « eodem quotidie a credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum « continuo recipiunt. Denique, cum ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate et pulcherrimo « opere conderetur, summum tantum cacumen, ut perhibent, propter dominici corporis meatum « nullo modo contegi et concamerari potuit, sed transitus ejus iter ad coelum usque patet apertum. » Cf. etiam Sulp. Sev., *Hist. s.* l. 2, 33 ; s. Paulin. Nolan., *Ep. 11 ad Severum*.

Origo istius traditionis. Ben. XIV *De festis*, ubi de Ascens., n. 53, opinatur miraculum illud praedictum fuisse Zach. 14, 4 *Et stabunt pedes ejus* (Domini) *in die illa super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem*. Sed s. Hier. *in Zach.* haec verba sensu translato intelligit, et de Jesu vestigiis ibi conservatis minime cogitat. Fieri potuit ut antiqua illa traditio ex Zach. loco, nimis ad literam sumpto, orta sit. Nolim tamen eamdem ut *certo falsam* rejicere, eo vel magis quod Allioli *Alterth.* § 97 eam admittat. Mislin *Les ss. Lieux* III : « Il n'y a plus que l'empreinte du pied gauche... reconnaissable encore, mais déformée par la piété des fidèles... A en « juger par l'empreinte, Jésus-Christ en montant au ciel était tourné vers le nord. » Traditio illa de pedum vestigiis impugnatur in op. *Smith, *Dict.* a. *Olives* (*mount of*), ubi etiam negatur Ascensum in vertice montis Olivarum evenisse : vide supra.

adeo probabile esse verbum *adorare* stricte sumendum esse. Sic M. 14, 33 discipuli qui in navicula erant *adoraverunt* Jesum : sed satis dubitari potest utrum tunc ageretur de cultu latriae : cf. annot. ad ill. l. Mulieres quibus apparuerat Jesus *adoraverunt* eum M. 28, 9 : an tamquam *Deum*, non constat. Discipuli in monte Galilaeae *adoraverunt* Jesum M. 28, 17 : rursum dici nequit utrum cultu *latriae*.

Laeti se praeparant ad descensum Spiritus s. *Regressi sunt in Jerusalem cum gaudio magno* L. Et merito quidem gaudebant, quia « ascensu Christi fidem spemque omnem suam confirmari viderant (Mald.). » Gaudium autem illud plane pium et religiosum erat : quod vel inde colligitur, quod per dies sequentes semper essent *in templo, laudantes et benedicentes Deum* L. ; et tempus, quod in templo non transigebant, in coenaculo terebant, *perseverantes omnes unanimiter in oratione*, Act. 1, 14 : atque ita se praeparabant ad adventum Spiritus s. die Pentecostes ; quo demum die fundata Ecclesia, munus apostolicum a Jesu acceptum inchoarunt, et mox Hierosolymis *profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis* Mc.

Ultima verba Ev. Marci. His verbis, quibus Mc. aptissime concludit Evang. suum, connectitur historia Ecclesiae cum historia Salvatoris : Christus enim in coelum ascendit, ut tamquam caput Ecclesiae ibi regnet, et Apostoli ejus auxilio muniti inchoant missionem suam in universo mundo.

Triplex modus elevationis in coelum. Quod autem attinet ad Ascensionis modum et rationem, notate Eliam *curru*, B. Mariam V. *angelis*, Christum vero *sua virtute* in coelum sublatos fuisse. S. Greg. *Hom. 29 in Ev.* : « Elias in curru legitur ascendisse, ut « aperte demonstraretur quia homo purus adjutorio indigebat « alieno.... Redemptor autem noster non curru, non angelis « sublevatus (1) legitur, quia is qui fecerat omnia, super omnia « virtute sua ferebatur. » Addit similitudinem esse inter Ascensum Christi et raptum Eliae et Henoch : unde alter alterius figura quaedam dicendus sit. De Elia cf. q. 499.

(1) Quidam tamen, ut supra diximus, admittunt angelorum ministerium intervenisse ; sed Jesum, utpote Deum, nullo *indiguisse* alieno auxilio diserte profitentur. Aliud est de B. Maria V. ; atque ideo *proprie* dicimus Christi *Ascensionem* Mariae vero *Assumptionem*

Q. 991. Rationes convenientiae. S. Th. 3. 57, docet decuisse ut Christus in coelum ascenderet, idque utilius nobis fuisse, quam si nobiscum commoratus esset in terris, praesertim quum fides nostra ac spes magis exerceantur. Ideo ipsemet dixit J. 16, 7 *Expedit vobis ut ego vadam* etc. Idem s. Th. ib. a. 6 explicat quo sensu Christi Ascensio causa sit nostrae salutis.

Oracula autem **de Christi Ascensione** reperiuntur in Ps. 67. praecipue v. 19, nempe in sensu typico seu mystico, ut colligitur ex Eph. 4, 8, et ut demonstrare conati sumus in *Comm.* nostro *Psalm.* 3ª ed. 1886 3 vol. Illudque plenius pertractavimus in opusculo *Psalmi Pentecostes*, Brugis 1880. Alia praeterea vaticinatio habetur in Ps. 46: videsis opusculum et comm. cit. Deinde ingressus summi Pontificis in Sanctum-Sanctorum **praefiguravit** Christi Ascensionem, ut docet s. Paulus Hebr. 9 et 10; cf. *comm.* nostr. in *Epist. Paul.* ad ill. l. (6ª ed. 1899).

Vitae Dominicae facta quae in monte Olivarum contigere.

Obiter addimus duas quaestiones generales, in quibus componuntur ea quae in eodem loco facta sunt.

***Q. 992.** Indica **quatuor** Christi **miracula** in monte Olivarum perpetrata.

R. 1m Ficulneae imprecatus, eam aridam reddidit: cf. q. 566; 2m milites ceterosque adversarios solo verbo *Ego sum* in terram prostravit; 3m auriculam Malchi sanavit; 4m virtute sibi propria cum corpore glorioso in coelum ascendit.

***Q. 993.** Enumera praecipua facta vitae Christi, quae in monte Olivarum contigerunt.

R. 1º Ibi evenerunt plura quae spectant ad ingressum Jesu triumphalem, vide supra q. 551 et 553. 2º Ibidem Christus ficulneam arefecit, ut statim dicebam; qua occasione docuit vim orationis ad Deum: cf. q. 566. 3º Tres dies ante mortem, e monte Oliveti templi aedificia aspiciens, praedixit ea funditus esse destruenda: cf. q. 605. 4º In ultima vitae hebdomade singulis vesperis cum discipulis in horto Gethsemane precibus vacabat, ibique, vel Bethaniae, ad alterum montis latus, pernoctabat. 5º Adde ea quae referuntur ad angores ejus in horto (v. gr. sudorem sanguineum), ad ejus comprehensionem, ad fugam Apostolorum etc. 6º Tandem ibi contigit gloriosus ejus in coelum ascensus.

Christi vitam continuat Ecclesia. Christus e conspectu mortalium tandem evanuit: rediit in coelum unde in terram descenderat; atque ita clauditur series earum rerum quae ad actionem seu operationem ejus personalem inter homines spectant: deinceps, ut in § seq. dicemus, vitam munusque ejus continuabit Ecclesia, quae sensu quodam improprio *permanens Jesu Christi in mundo incarnatio* vocatur.

Evangelium connectitur cum Vet. Test. Antequam de hac altera Redemptoris vita, mystica nempe et *impersonali* (si ita loqui fas est), verbulum adjiciamus: opportunum erit in fine Evangelicae historiae universam vitae ejus personalis seriem ultimum intueri, et investigare qua ratione in Vet. Test. praedicta et prae-

figurata olim jam fuerint quae in terrestri ejus fortuna aut fato evenerint memorabilissima.

Nonnisi pauca indicabimus rerum capita, nihil aliud prae oculis habentes quam ut uberiora cupientibus viam quasi aperiamus, et, ut aimus, perticas plantemus ductrices. Hanc autem tractationem ad calcem removemus in Append. IV, Excurs. 54, q. 1210.

Jam ad ultimum illum historiae Dominicae paragraphum, qui, ut q. 989 diximus, vitam historiamque Christi in Ecclesia continuatam inducit, devenimus.

§ 10. FUNDATIO ECCLESIAE EJUSQUE EXORDIUM.

Christus heri et hodie, ipse et in secula.
Hebr. 13, 8.

Q. 994. Ostende **descensum Spiritus,** quo Ecclesiae vita exorditur, dici posse **complementum Evangelii ultimum.**

Resp. Ecclesia, quae corpus est Christi mysticum, et per quam quasi continuatur vita ejus in terris, fundata est (pleno et definito modo, gall. *définitivement*) suumque incepit historiae curriculum per descensum Spiritus s. et primam Apostolorum praedicationem. Igitur hic eventus vere dicendus est **ultimus Evangelii terminus,** ejusque complementum extremum.

Christus omnia fecit propter Ecclesiam. Omnia enim, quae fecit Christus, in eum finem suscepta fuerunt, ut Ecclesia, cujus munus est opus Christi salutare usque ad consummationem seculorum deducere, constitueretur. Semen illud *sinapis* jecit (cf. q. 1143), ex quo crevit *arbor vitae*, quae est Ecclesia. Vel, si aliam adhibere velimus figuram, Scripturae s. admodum familiarem, haec est *vitis* illa spiritualis, quam Christus plantavit in agro Dei ; seu potius ipsemet dici potest vitis illa, quae *palmites* in universam mittens terram, Ecclesiam Catholicam protulit.

Per enumerationem partium illud demonstratur. Et re quidem vera, Christus docuit, ut sua Ecclesiae essent dogmata, morumque praecepta. Miracula fecit, ut Ecclesiae a se fundatae tribueret auctoritatem divinam adeoque eamdem erroris omnis immunem esse comprobaret. Passus et mortuus est, ut, genus humanum redimens, Ecclesiam formaret sanctam et immaculatam. A morte surrexit, ut vitam novam et supernaturalem Ecclesiae infunderet. In coelum ascendit, ut *mitteret Spiritum s.*, qui Eccle-

12763

siam regeret et animaret ; utque *sedens a dextris Dei* Patris sine ulla intermissione *interpellaret pro nobis*, membris Ecclesiae : ita in dies perficit opus illud *Mediatoris*, propter quod Ecclesia peragit sua officia omnia, Deum precando, populum regendo, Sacramenta administrando etc. Verbo, quod operatur Ecclesia in terris, ipsemet Christus idem praestat in coelis ; quando Ecclesia *solvit* vel *ligat*, ligat solvitque Christus ipse. Ideo Apostolos sibi copulavit, ut qui eos eorumque successores in Ecclesia *audiret* vel *sperneret*, dicendus sit Christum audire vel spernere.

Sic effectu comprobatur quod ait s. Paulus Hebr. 13, 8 : *Jesus Christus heri et hodie ; ipse et in secula.*

Ultima Christi evolutio est Ecclesia, sicut ultima seminis evolutio est productio novi seminis novaeque plantae. Igitur, si accurate et proprie loqui velimus, dicemus vitam Christi finem non habuisse, cum ipse in coelum ascendit, sed cum fundata fuit Ecclesia. Semen enim latet in semine, ait s. Greg. *Hom. 26 in Ev.* ; imo vero, plena seminis vis atque efficientia tunc tantum exseritur, cum in planta matura atque evoluta novum profertur semen : jam vero, semen novum, quod latebat in Christo, est Ecclesia, quae, dum evolvitur et crescit, opus Christi pergit atque absolvit. Quae quum ita sint, verissimum est effatum : **ultimam vitae Christi aetatem** et partem (*la dernière phase*) **in vita et historia Ecclesiae** reperiri.

Haec tamen vitae aetas, qua Evang. completur, novi libri argumentum ac materiam merito suppeditat, ejusque initia in *Actibus Apost.* narrantur, cum nempe mirabilia Pentecostes facta et mysteria describuntur.

Concludimus, in descensu Spiritus s. haberi **connexionem Evangelii cum altera novi Test. parte :** cf. supra q. 26. Hic igitur sistendum in explicatione Evangelii, quam hactenus tradidimus amplissimam, sed quam inanem fructuque vacuam fore novimus, nisi eam penetret ac fecundet Spiritus gratia. Igitur

Te nunc, Deus piissime,
Vultu precamur cernuo :
Illapsa nobis coelitus
Largire dona Spiritus.

FINIS TOMI II.

MUSEUM

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BS2575.S74 C001 V002
SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM
3 0311 00022 5073

WITHDRAWN

44364

BS
2575
.S74
AUTHOR
v.2
TITLE
44364
Steenkiste, J.A. von
SANCTUM JESU CHRISTI EVANGELIUM SECUNDUM MATTHAEUM
DATE DUE

FRS LIBR

3 0311 00022 5073